
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
49C
8





MEDICINA SACRA.

IN QVA LOCA SACRÆ SCRIPTVRÆ, quæ Philosophiam, aut Medicinam redolent Medicè, & Physicè illustrantur.

OPVS MEDICIS, ET PHILOSOPHIS utilissimum, Theologis non ingratum, politioris literaturæ studiosis non iniucundum.

AVTORE D. MARCELINO VBERTE THAVSTANO, olim in Complutensi Academia nunc autem in Cæsaraugustana Vespertinæ Cathedræ Professore.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM nostrum Regalem, D. D. CAROLVM BALTHASAR utriusque Orbis hæreditarium maximum.

Alessandro  Poriër.

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIO.

Cæsaraugustæ: Ex Typographia Generalis Regij Xenodochij Deiparæ de GRATIA, Anno M.DC.XLV.



SERENISSIMO
PRINCIPI NOSTRO REGALI, D. D. Carolo Balthasar Austriaco, utriusque Orbis hæreditario maximo.



VLLA (Maxime Princeps) insigne erat triumphantium Romanorum quam in triumpho præseferebant inclusis intra eam remedijs, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Erat hæc bulla rotunda, ut Macrobius scribit, in cordis figurã formata quam ante pectus annectebant in collo. Liber hic qui de otio triumphavit, & triumphat nunc de charta deletili, & triumphaturus sperat de invidia, & oblivione in pectore præsefert Serenissimum nomen vestræ Regalis celsitudinis ceu Bullam remedia includentem adversus livorem, & mortalitatem, nam semel ausus consecrari prophanari non sperat, & elevatus ad talem olympi altitudinem erigitur supra nebulam, & quamlibet aliam meteorologicam impressionem invidiæ, & mordacitatis. Nebulæ nanquæ infra olympum subsistunt. Vestræ celsitudini, & suis solus illi invidit Magnus Alexander audiens lacrymatus Philosophum Anaxarcum tractantem de orbium pluralitate quasi in prophetia furens, quod vix uni dominaretur, & futuri essent plurium orbium maximi hæredes. Faxit Deus, quod vestra celsitudo sic enim speramus victor quærat ut Balthasar dominum in Ierusalem.

Vestræ celsitudinis

Mancipium.

Doct. Marcelinus Vberte.

SAcram Medicinam Doct. Marcelini Vberte, Vespertinæ Cathedræ Medicæ Professoris mihi commissam à peradmodũ illustri D.D. Ferdinando de Sada, Sedis vaccantis Capituli Metropolitani Vicario Generali; libens oculis, & mente lustravi, nilque non sacræ doctrinæ, & perfectis moribus consonum reperi, imò multa autoris ingenio digna perlegi, & ita utilem, & dignam censeo, ut in lucem edatur, ut tam philosophis, & medicis, quam omnibus pateat eius utilitas, & autoris labor. Cæsaraugustæ 2. Augusti anno 1644.

Lambertus Lopez Liberalium Artium interpres, & sacræ Theologiæ Doctor.

Damos licencia para que se imprima el libro arriba mencionado, atenta la suprascripta su aprobacion. Dat. en Zaragoça a tres de Agosto del año M.DC.XXXXIV.

Don Fernando de Sada.

Por mandado de dicho señor Vicario General,

Por Lorenzo Moles Notario.

Miguel Zornoza Notario.

AP-

APPROBATIO DOCTORIS FRANcisci Magallon, Civis Cæsaraugustæ.

ILlustrissimus dominus don Petrus Paulus Fernãdez Zapata de Heredia & Vrrea, Miles Mesnadarius, Maiestatis nostri Regis Philippi Tertij Cõsiliarius, Regni Aragonum Gubernator, Præsidens Regiæ Audientiæ. Hunc librum sub titulo *Medicina Sacra*, mihi Doctori Francisco Magallon Medico, approbandum commissit, illum atentè perlegi in eoque nihil contra bonos mores, imò complura tum ad Philosophiam, tum ad Medicinã spectãtia, doctissimè, & accutissimè elaborata inveni, ideoque Typis dignissimum, literatisque utilissimum, & iucundissimum censeo. Dat. Cæsaraugustæ prima die mensis Iulij, anno 1644.

Doct. Franciscus Magallon.

CON

DON Felipe por la gracia de Dios, Rei de Caſtilla, de Aragon, de las dos Sicilias, de Ieruſalen, &c.

DON Pedro Pablo Zapata Ferrandez de Heredia i Vrrea, Cavallero Meſnadero, ſeñor de la Villa de Traſmoz, Caſtelviejo, i la Mata, del Conſejo de ſu Mageſtad, ſu Governador de Aragó, i Preſidente en la Real Audiencia del: De nueſtra cierta ciencia, i por la Real autoridad que uſamos deliberadamente, i conſulta en nombre de ſu Mageſtad, i como ſu Preſidente ſobredicho, damos licencia, permiſſo, i facultad al Dotor Marcelino de Vberte, para que por tiempo de diez años contaderos del dia de la data de las preſentes, pueda imprimir, i vender, i hazer imprimir, i vender en el preſente Reino de Aragon, i en qualquiere parte del, un libro que ha compueſto, intitulado *Medicina Sacra*, ſin incurrir por ello en pena alguna, teniendo por ello la miſma licencia del Ordinario deſta Ciudad, i Dioceſi. I que aviendolo mandado ver, i reconocer no ſe ha hallado en el coſa contra nueſtra ſanta Fè Catolica, buenas coſtumbres, Regalias de ſu Mageſtad, i leyes deſte Reino. Prohibiendo como prohibimos, que ninguna otra perſona no pueda imprimir, ſin licencia de ſu Mageſtad, Nueſtra, ò del que Preſidiere en la Real Audiencia deſte Reino, ſo pena de mil florines de oro de Aragon, i a ſus Reales cofres aplicaderos, i de que tengan perdidos los moldes de la impreſsion, i libros que ſe huvieren impreſſo. POR lo qual ordenamos i mandamos en nombre de ſu Mageſtad, a todos, i qualeſquiere Miniſtros ſuyos, mayores, i menores conſtituidos, i conſtituideros, i otras qualeſquiere perſonas que lo ſobredicho obſerven, cumplan, i guarden, ſin poner en ello eſtorvo, ni dificultad alguna, al dicho Dotor Marcelino de Vberte, ò à quien ſu poder tuviere, ſi la gracia de ſu Mageſtad les es cara, i de mas de ſu ira, è indignacion, i de las penas arriba dichas, i de otras a nueſtro arbitrio reſervadas deſean no incurrir. I aſsimiſmo ordenamos, i mandamos, que la preſente licencia vaya impreſſa en el principio de cada volumen de los que ſe imprimieren. En teſtimonio de lo qual mandamos deſpachar las preſentes en la forma acoſtumbrada, ſelladas con el ſello comun de ſu Mageſtad. Dat. en Zaragoça a cinco de Iulio de mil ſeiſcientos quarenta i quatro.

El Governador de Aragon.

V. Sada Aſſeſſor.

Dñs Regens Offic. Generalis Gubernationis mandavit mihi Balthaſari de Robres & Loſilla, viſa per Sada Ordinarium Aſſeſſorem.

PRÆ-

VSurpatum censebit Lector, hoc scribendi genus quasi ad Medicos, & Philosophos non pertineat. Sed viri docti quos imittamur ut exemplar ius præscribunt. Nam Vallesius scripsit doctissimè de sacra philosophia. Ader de morbis in Evangelio. Moles physiologiam, & pathologiam corporis Christi. Neque dicendum mittere nos falcem in messem alienã, potius enim colligimus flosculos Medicinæ, & Philosophiæ inter messem pullulantes, quam messem demetamus. Ætiopiæ Imperator combusit leges Imperiales cum glossographis, quas remisit illi Portugalliæ Rex dicens: Regnum meum solo unico libro qui Biblia dicitur sacra gubernatur. Et profecto quemadmodum Deus prima veritas est, & primum in uno quoque genere est norma, & regula reliquorum, ita Biblia sacra est primus liber, ad cuius instar omnes debent formari, & eorum regulari veritates. Quocirca bonum mihi omen in primis meis tenuibus laboribus ad sacram anchoram cõfugere. Neque quidquid est in sacra pagina contextum æqualiter instruit. Plura enim immediatè diriguntur in Deum ultimum finem. Aliqua mores corrigunt. Nonnulla naturam manifestant omnia tamen eandem continent veritatem. Et si bonus Poeta cũ loquitur de aliqua arte debet loqui iuxta veritatem, & proprietatem artis; quanto plus sancti divino afflati spiritu quum loquuntur Medicè, aut physicè? Vel ergo propositio in sacra pagina medica, & physica id intendit, quod sonat, aut accomodatur hominum locutioni. Vtrumque vero medicum in

ſtruit,& tandem dirigit in Deum. Sapientia enim Prover. 9. miſsit ancillas ſuas hoc eſt naturales ſcientias, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Ex cuiuſcũque textus viſceribus genuinam, & ſelectiorem controverſiam elicio, quam pro ingenioli exiguitate ad amuſſim exagito in fine verò corollaria propono in quibus per expreſsionem tota præcedens doctrina, & textus illuſtratio redditur colata. Exoptarem candide Lector dignum aliquid oculis tuis propoſuiſſe. Sed ignoſce non feciſſe. Hoc ſaltem intendo, quod ad meliora inviteris edenda, nam ut benè Theophraſtus cap. 8. metaph. in his, quæ tranſcẽdere non poſſumus ſatis eſſe arbitrandum ſiquis lucem aliquam plus indagare volenti oſtendat. Vale.

ME-

MEDICINA SACRA.

CAPVT I.

FORMAVIT Igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Genes. *cap.* 2.



XORDIVM, Et Anacephaleosis operis nobilissimi, hominis fabrica admirabilis exprimitur intextu. Multi philosophi, & poetæ antiqui ex terra factum hominem dixerunt Ovidius, Lucretius, Mercurius Termagnus, qui sine dubio libros sacros perlegit. Sacra vero scriptura ex limo terræ factum fuisse hominem docet, aggregato scilicet ex terra, & aqua. Deus ergo, quasi divinus figulus ex luto vas istud mirabile efformavit. Igitur limo terræ mixto cuidã imperfecto, ex aqua, & terra cõiunxit Deus portionem aëris, & subtilissimi ignis, sed ex terra, & aqua maiorem molem, ex igne, & aëre minorem portionem, sed maiorem virtutem.

QVATVOR elemẽta astiterunt hominis efformationi quemadmodum omnibus mixtis. Sed dubitatur merito utrum naturaliter omnia elementa debeant concurrere, ut fiat temperamentum.

QVOD sint necessaria quatuor elemẽta videtur probari,

bari ex communi consensu deducto ab Hyppocrate in libro de natura humana quem postea confirmavit Aristoteles, & ultimo Avicena in capite de elementis & in cap. de complexionibus definiens complexionem; ait resultare, ex actione elementorum adinvicem agentium; atque ex diversitate partium in mixto, id etiam posset probari, imò & ex ultima dissolutione in quatuor corpora simplicia. Hugo Senensis non solum ait esse necessaria, quatuor elementa adinvicem agentia, & patientia, sed præter hoc aliud requiri, certos scilicet modos, inter quos unus est, ut per minima se tangant. Sed principaliter requiritur limitatum agens, & determinatum inducens talem formã temperamenti. Probat Senensis suam opinionem certis quibusdam casibus. Primò, quia quantumvis ad opera animalia sit temperatum membrum, requirit tamen à cerebrò limitatum temperamentum per spiritum traductum. Ergo præter proporcionem qualitatum, requiritur agens determinatum producens complexionem.

SECVNDO quia in uno simplici elemento, quantumvis inveniatur temperies, & proporcio qualitatum; si tamen tale elementum non esset ad minima divisum, & alia tria elementa simul suis minimis iuxta ponerentur non resultaret temperamentum.

TERTIO, quia si ageret unũ simplex, verbi gratia, ignis in aquam cum sit prædominans, neutiquam mixtum generaret, sed simplici actione transmutaret, quamvis aqua per quascunque dispositiones transiret.

HAEC tamen Senensis sententia facillime evellitur; non enim adducit rationem efficacem, quæ probet tot requiri ad temperamentum. Vno siquidem fundamento proposito rationes Senensis dilabuntur: nam ille tactus per minima non necessario debet fieri per minima elementorum quatuor immediate; sed sufficit tẽperari qualitates adhuc in minima materia signata quamvis talis

mate-

materia sit mixtorum,& non ipsorum elementorum immediatè.

Ad secundum quod dicit requiri limitatum agens, & ponit exemplum in complexione influente nullam videtur habere difficultatem, nam nos non negamus requiri ad mixtionem viventium, & animalium agens aliquod univocum subordinatū æquivoco, vel solum agens æquivocum quod influat in formæ inductionem; hoc enim necessarium est ut elementa eleventur ad quod ipsa sola non sufficiunt secundum sententiam Divi Thomæ,& ferè omniū peripateticorum asserentium cælum generare viventia. Talis ergo temperies pro hoc individuo Petro, aut Ioanne requirit agens univocum parentes, scilicet, & qui operentur tali temperie seminali, & tali influxu cælesti qui supleat deffectus inferiores. Igitur Senensis debebat advertere quod aliud est temperamentum, aliud verò tale temperamentum: illud solum dicit qualitatem resultantem ex primis; hoc addit modum, & determinatam quandam materiam cui insit, spiritum verbi gratia, semen, plantam, carnem. Itaque quod ipse putat esse necessarium ad temperiem, non est necessarium nisi ad modificandam temperiem.

Ad tertiam rationem concedimus ignem esse magis activum,& prædominantem; negamus tamen quod ob hanc causam mixtum non generaretur, sed simplici actione transmutaret; quia hoc verum esset si deficeret agens, scilicet cælum: verum cum hoc sit causa temperamentorum ante quam transmutet omnino generat mixtum. Si non esset prædominium non fieret mixtum, quia quantū ageret unum resisteret aliud. Verum quando est certa proporcio in victoria introducit temperiem cælum.

Santa-crvz in Avicenam, opusculo de temperamētis cum Marsilio, & alijs tenet, non esse necessarium, ut elementa concurrant immediaté ad mixtionem; nam illa

dispositio mixta sine præsentia elementorum potest pro duci, quod expresse docuit Aristoles 2. de part. anim. cap. 1. inquit enim: Cum itaque triplex sit compositio: prima statui potest ea, quæ ex primordijs conficitur, quæ elementa nonnulli appellant, terram dico, aquam, aërē, ignem, sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, ijsque non omnibus, sed ut alibi antea expressum est, humor enim, & calor, & siccitas, & frigus materia sunt corporum compositorum; quæ verba videntur confirmare dictum.

Ex his deducunt non esse contra Aristotelem, nec adversus veritatem asserere posse, scilicet mixtum fieri, ex materia unius elementi cum virtutibus aliorum. Quod probat Marsilius: quia si per aspectus cæli agentis in terram non posset fieri mixtum, vel esset defectu materiæ, vel dispositionum qualitativarum, sed neutrum istorum, dici potest; quia, & materia terræ est apta ad suscipiendū, & corpora cælestia apta ad agendum: ergo fiet ex acta aliqua temperies pro mixti forma.

DEINDE argumentantur: Nam supposito, quod detur mixtum parvę quantitatis totum homogeneum, arguunt sic: ad producendam illam complexionem in mixto homogeneo; solum concurrit qualitativa dispositio, & non sunt necessaria, quatuor elementa redacta ad minima; ergo etiam id poterit contingere in materia unius elementi. Probant principale antecedens, quia si talis connexio elementorum, ibi concurret, aut minimorum, ut illi volunt non posset esse eam uniformis qualitativa mixtio: est ergo potens solus qualitatum concursus ad faciendam mixtionem veram in illa materia. Ergo similiter fiet in materia unius elementi siquidē omnes materiæ sunt eiusdem speciei.

ET confirmant: nā contrarij opinantes asserunt, esse necessarium, ut elementa, ad minima dividantur; ita, ut mini-

ni-

nimum unius tangat minimum alterius. Tunc sic suma mus minimum, quod correspondeat terræ: istud minimũ erit verè mixtum, & non per alia minima, quæ cum illo misceantur; ergo per solam mixtam qualitatem, sive per solum temperamentũ. ergo si in uno minimo terræ servatur ratio mixti per solas qualitates elementares dicendum est, quòd ex solo uno elemento poterit fieri tempe ramentum, agentibus alijs virtutibus, sine elementorum concursu.

VLTIMO: probant experientia, quæ docet ex homogenea substãtia, generari alia mixta cùm nova complexione. Ergo non est dicendũ esse necessaria elemẽta ad minimum divisa. Antecedens patet nam videmus aquas convertere in lapides tam illa, quæ sunt similia quam illa, quæ sunt dissimidia; sic enim fit corallus, & alij lapides.

DICETUR ad hoc ibi esse diversas partes virtuales minimas terreas aqueas, &c. Sed certe hoc gratis dictum nã (præter quam, quod sæpius dictum est non repugnare mixtum homogeneum) respectu virtutis lapidificativæ impentivens est illa eterogeneitas ficta; cum non reperiatur lapidificare melius propter heterogeneitatem maiorem. Hæc est sententia prædictorum auctorum.

VERUM enim vero nostra conclusio est: non posse fieri mixtum ex uno elemento cum qualitatibus dumtaxat aliorum, & sine illorum concursu. Sufficere tamen concursum ignis, & aquæ, ex quibus duobus elementis conflari possunt mixta. Hæc conclusio duas habet partes. Prima probatur, quia quamvis non concurrant elementa debent concurrere saltem qualitates, quia ex harum pugna refractione resultant qualitates remissæ mixtorum: sed qualitates non possunt concurrere; ergo non fiet mixtum. Minor probatur; quia qualitates cum sua intensione summa non possunt esse sine subiecto, atqui nullum est subiectum citra elementa quod habeat qualitates in

 summo

summo, vel prope summum; ergo non possunt concurrere qualitates, sine elementis, ut incipiat pugna.

DEINDE quia in mixtis saltem heterogeneis, non sufficit qualitativa dispositio, nisi etiam ad sit diversitas partium crassarum, & tenuium, sed talis diversitas provenit ex maiori, vel minori portione elementorum crassorum, aut tenuium, ergo non potest concurrere unum dumtaxat elementum.

SECVNDA pars conclusionis, nimirum quod sufficiant duo elementa ad generationem mixtorum, ignis, & aqua ex quibus posśint conflari aliquando. Probatur primo auctoritate Hyppocratis in primo textu, lib. de diæta, vbi sic scribit: Constituuntur quidem igitur tum animantia omnia tum homo ipse ex duobus concordibus, & commodis usu differentibus vero facultate igne, scilicet, & aqua. Sed quod hoc loco Hyppocrates hominem constituat ex igno, & aqua multis ansam dedit suspicandi hunc librum de diæta non esse Hyppocraticum, quod libro de natura humana quatuor demonstraverit principia; sed certé in libro de natura humana quatuor constituit elementa concurrentia, quia regulariter, & de facto, ut plurimum illa quatuor concurrunt, quod & nos libenter fatemur. Verum enim, verò in rigore aliquando ex solis igne, & aqua duobus elementis potest mixtum generari, quod in libro de diæta intendit insinuare.

QVANDO etiam in primo Genesis dicitur: & spiritus Domini ferebatur super aquas; alia lectio habet incubavat aquas, ambo enim significat dictio Hæbraica: insinuatur vero utrunque, ignem scilicet ferri per aquas, easque fovere, ac incubare ad generationem mixturum. Quasi etiam hic meminerit sacra Scriptura duorum elementorum ignis, & aquæ, quæ præcisè sunt necessaria ad formanda mixta, & ex quibus possunt fie-

fieri, quamvis, & alia etiam, ut plurimum concurrant.

DEINDE, si quatuor qualitates adinvicem agentes, & patientes mixtam possunt producere dispositionem quare ignis, & aqua illam non valebunt efficere, cum istis quatuor qualitatibus prædita sint? Poterit igitur ignis aquam deducere per gradus siccitatis similes terræ, & per gradus humiditatis similis aeris.

ATQVE cum probabilissimum sit qualitates simbolas esse eiusdem speciei non est difficile, quod ex duobus elementis contrarijs fiat unum temperamentum, & unum mixtum.

NIHIL deficit ad hoc, ut conflетur mixtum modo adsint ignis, & aqua: non qualitates quia omnes quatuor reperiuntur; neque modus substantiæ, aut secunda qualitas, ut crassities, & tenuitas; quia illa reperitur in aqua; hæc vero in igne. Dices, hæc est summa; illa vero remissa: ad mixtum vero hetergeneum diversi gradus requiruntur intensionis crassitiei, & tenuitatis. Sed tamen omnes hi acquiri possunt per actionem, & passionem: nam aqua potest acquirere densitatem terræ per actionem caloris, ut patet in corallo, & alijs mixtis, quæ generantur in aqua per condensationem eius, nam corallus densitatem habet terræ. Tum aqua acquirere potest tenuitatem aeris immo, & converti in aerem, ut patet in aqua fervente cuius per ebullitionem aliqua pars convertitur in aerem.

AD Aristotelem pro sententia Santa-Cruz Marsilij, & aliorum respondetur potius ex illius verbis deduci contrarium sensum, vel nostrum: ait enim; sed melius fortasse dici potest ex virtutibus confici elementorum, ijsque non omnibus. Per hæc verba; hisque non omnibus non intellexit Aristoteles, qualitativam dispositio-

 tio-

tionem, quia omnes qualitates requiruntur; sed procul dubio assistentiam, & præsentialem concursum omnium elementorum, quia sufficiunt aliquando in rigore ignis, & aqua.

AD secundum dicimus per aspectum cęli agentis in terram non posse fieri mixtum, quia deficit tenuitas aeris terra enim quantũ vis agat calor non potest converti in aerem, aut ignem, neque acquirere moderatam crassitiem aquæ, dumtaxat per actionem caloris amplius densatur: in mixto autem saltem heterogeneo diversitas partium requiritur tenuium tenuiorum, crassiorum, & minus crassarum. Ad tertium eodem modo non sufficere qualitativam dispositionem primarum qualitatum, nisi adsit etiam symotria modi substantiæ, vel secundarum qualitatum puta tenuitatis, & crassitiei.

AD confirmationem respondetur, quod minimum, quod correspondet terræ est verè mixtum, & non per alia minima quæ cum illo misceantur; negamus autem ex hoc bene inferri sufficere qualitativam dispositionem, quia iam concurrunt elementa per minima se tangentia; neque enim est necessarium, quod elementa penetrentur, sed quod misceantur; ex hac enim præsentia resultat utilis pugna elementorum, & diversitas partium crassarum, & tenuium, hoc enim modo iam concurrunt elementa intimiori præsentia qua possunt.

AD ultimum respondetur in generatione coralli duplex saltem concurrere elementum ignem, & aquam. Aqua quia in eo generatur: ignis, quia tum diffusus est per omnia, ut probavimus super *cap.* 19. *Genesis*: Tum calor saltem solis ignescit aliquando in terra, & in aqua, ut patet in igne generato in subterraneis. Idem contigit in generatione coralli. Ignem representat, & igni proportione respondet pulcherrimus ille coralli rubor. Neque etiam est mixtum omnino homogeneum, quia habet

par-

partes crassas, & tenuissimas quibus epilepsiam mittificat, quamvis de lapidum genere sit quia crassus; huiusmodi exhalationes tenuissimæ non possunt negari.

Sit primum corollarium. Quamvis vera sint dicta hominis formationi astiterunt quatuor elementa sua corporali præsentia. De terra, & aqua non potest esse dubiũ, quia ut ait textus formavit Deus hominem ex limo terræ, limus autem mixtionem terræ, & aquæ significat. De igne probabiliter dictum est significari per spiritum, cum dicitur, & spiritus Domini ferebatur super aquas; commiscebatur ergo ignis cum aqua ad fæcunditatem. Aer etiam præsentialiter astitit, quia formatio hominis fuit facta in regione illius. Posset verò facere Deus hominem ex uno solo elemẽto, & non solum ex uno; sed nulla omnino præsupposita materia, sicut creavit ex puro nihilo cœlum, & terram: tamen creata iam materia licet ita remota, voluit illam assumere ad formandum hominem, ut in hoc saltem iam inciperet aliquis ordo rerum elucescere. Quamvis autem ex aqua pisces; ex limo hominem produxerit, non debet aliquis intelligere fuisse hanc actionem ex præsuposita materia naturalem. Neutiquam certé, sed pure supernaturalem, & divinam, & à sola potentia infinita effluxam; nam facere aliquid ex materia disposita, & proxima generantis est naturaliter, sed facere aliquid ex materia prorsus remota est creatoris infiniti.

Et rationi fuerit consentaneum, quia primum humanum corpus debebat cum perfectione possibili formari, tanquam primum it sua specie, & omnium individuorũ origo; maior verò perfectio est quatuor elementa convenisse, quia natura in tantum pulchra, quantum varia. Cõfirmatur quia admiranda corporis humani fabrica pignus divinæ omnipotentiæ tot multiplici varietate constans plus arguit, quam materiam unius elementi. Neque Deus in formatione mirabili expectavit, quod aucta pug-

na

tionem, quia omnes qualitates requiruntur; sed procul dubio assistentiam, & præsentialem concursum omnium elementorum, quia sufficiunt aliquando in rigore ignis, & aqua.

Ad secundum dicimus per aspectum cęli agentis in terram non posse fieri mixtum, quia deficit tenuitas aeris terra enim quantũ vis agat calor non potest converti in aerem, aut ignem, neque acquirere moderatam crassitiem aquæ, dumtaxat per actionem caloris amplius densatur; in mixto autem saltem heterogeneo diversitas partium requiritur tenuium tenuiorum, crassiorum, & minus crassarum. Ad tertium eodem modo non sufficere qualitativam dispositionem primarum qualitatum, nisi adsit etiam symotria modi substantiæ, vel secundarum qualitatum puta tenuitatis, & crassitiei.

Ad confirmationem respondetur, quod minimum; quod correspondet terræ est verè mixtum, & non per alia minima quæ cum illo misceantur; negamus autem ex hoc bene inferri sufficere qualitativam dispositionem, quia iam concurrunt elementa per minima se tangentia; neque enim est necessarium, quod elementa penetrentur, sed quod misceantur; ex hac enim præsentia resultat utilis pugna elementorum, & diversitas partium crassarum, & tenuium, hoc enim modo iam concurrunt elementa intimiori præsentia qua possunt.

Ad ultimum respondetur in generatione coralli duplex saltem concurrere elementum ignem, & aquam. Aqua quia in eo generatur: ignis, quia tum diffusus est per omnia, ut probavimus super *cap.* 19. *Genesis*: Tum calor saltem solis ignescit aliquando in terra, & in aqua, ut patet in igne generato in subterraneis. Idem contigit in generatione coralli. Ignem representat, & igni proportione respondet pulcherrimus ille coralli rubor. Neque etiam est mixtum omnino homogeneum, quia habet

par-

partes crassas, & tenuissimas quibus epilepsiam mittificat, quamvis de lapidum genere sit quia crassus; huiusmodi exhalationes tenuissimæ non possunt negari.

Sit primum corollarium. Quamvis vera sint dicta hominis formationi astiterunt quatuor elementa sua corporali præsentia. De terra, & aqua non potest esse dubiū, quia ut ait textus formavit Deus hominem ex limo terræ, limus autem mixtionem terræ, & aquæ significat. De igne probabiliter dictum est significari per spiritum, cum dicitur, & spiritus Domini ferebatur super aquis; commiscebatur ergo ignis cum aqua ad fæcunditatem. Aer etiam præsentialiter astitit, quia formatio hominis fuit facta in regione illius. Posset verò facere Deus hominem ex uno solo elemēto, & non solum ex uno; sed nulla omnino præsuposita materia, sicut creavit ex puro nihilo cœlum & terram: tamen creata iam materia licet ita remota, voluit illam assumere ad formandum hominem, ut in hoc saltem iam inciperet aliquis ordo rerum elucescere. Quamvis autem ex aqua pisces; ex limo hominem produxerit, non debet aliquis intelligere fuisse hanc actionem ex præsuposita materia naturalem. Neutiquam certé, sed pure supernaturalem, & divinam, & à sola potentia infinita effluxam; nam facere aliquid ex materia disposita, & proxima generantis est naturaliter, sed facere aliquid ex materia prorsus remota est creatoris infiniti.

Et rationi fuerit consentaneum, quia primum humanum corpus debebat cum perfectione possibili formari, tanquam primum it sua specie, & omnium individuorū origo; maior verò perfectio est quatuor elementa convenisse, quia natura in tantum pulchra, quantum varia. Cōfirmatur quia admiranda corporis humani fabrica pignus divinæ omnipotentiæ tot multiplici varietate constans plus arguit, quam materiam unius elementi. Neque Deus informatione mirabili expectavit, quod aucta pug-

na

na qualitatum, ut supleretur præsentialitas deficientium elementorum resultaret, ut sic mixtum, siquidem opus fuit supernaturale, & divinum.

SECVNDVM corollarium. Mysteriũ subest illis verbis; & inspiravit in faciem eius ex physica doctrina emergẽs. Hæc autem consideratio sit potius contemplantis quam docentis; non est enim in animo moraliter docere, sed physicè contemplari. Respiratio est actio composita ex inspiratione, & expiratione: inspiratio est motus foris intro, ut ipsum ostendit nomen, nam inspirare idem est, quod intro spirare: expiratio est motus intus foras, quasi extra sit spiratio. His positis videtur, quod inspiratio in formatione potuis fuerit expiratio, quã inspiratio, quando quidẽ procedebat adeo, & intrabat in hominẽ, & respectu Dei spirantis, erat motus intus foras, & non foris intro. Cæterum divinus est terminus mirabiliter significativus. Deus est ubicunque etiam in homine, qui formabatur per essentiam, præsentiam, & potentiam; atque, ita rectè dicitur inspiravit, idest intro spiravit. Sed qua ratione fuit motus foris intro cum Deus inspirãs intus esset? Hominis creatio fuit opus, ad extra directum tamen in Deum, qui sibi uniebat hominem per gratiam, & ad se referebat tanquam in ultimum finem.

TERTIVM corollarium. Quid significat: & factus est homo in animam viventem? Anima est pars hominis, & nunquam totum est propter partem, sed pars propter totum. Id quidem verum est in physicis, sed hic significatur; quod homo non vivit propter corpus, sed propter vitam animæ.

CAPVT

CAPVT II.

NVNC ergo ne forte mittat manum suam, & summat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum, emissit eum Dominus de Paradyso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est, ex *cap.* 3. Genesis.



IDETVR providentia Dei emissio Adami de Paradyso voluptatis, ne sumere de ligno vitę, & comederet, & hac ratione viveret in æternum. Vtrum verò virtus aliqua physica concurrat, non est indignum examine. Viventia omnia nutritione servantur, ut nisi nutrirentur mox intéritura, quod quidem notissimum est, ut pariter quod nutritio accipiatur ex alimentis. Nutritio est novæ substantiæ repositio pro ea quæ continenter absumitur. Sed quæ sit causa eius absumptionis nō adeo constat. Et quia hic excavatur radix nostræ mortalitatis, aliquantum immorandum in hac controversia.

HAEC est Apologia antiquorum nam plurimi recentiores inter quos præcipui Vallesius hoc in loco, & Santa Cruz in Avicenam, & alij docent calorem naturalem nequaquam efficere ullo modo consumptionem nostri, sed dūtaxat igneum, qui in nobis levibus ex causis frequenter accēditur. Decisio controversiæ simpliciter est necessaria ad explicationē textus, elevat enim virtutē ligni vitæ, de qua sumus acturi; si calor domesticus est inimicus.

PVTREDO cōmunis est finis cū omniū, quæ intereūt, autem ex defectu humidi substantifici animalia senio, & tandem morte conficiantur oportet examinare num talis defectus contigat ex actione caloris humidum absumentis, adeo ut idem calor nativus proprij interitus sit causa, & tandem putredinem inducat.

Et

Et quia calor nativus duplex est alter influens acorde, alter verò radicalis;de utroque potest esse dubitatio seorsum examinanda. De influente dubium non est quibusdam, quod evaporet partes humidas membrorum,& absumat nonnihili de humido substantifico. Hanc sententiã tenet inter recentiores Santa-Cruz, super Avicenam.

Et probatur, quia nemo ambigit, quod calor influens vivificus dicitur, quia suscitat calorem partium internarum,& externarum;ergo in huiusmodi occursu, & actu atione, non potest non attenuari humidum illud substãtificum,& in vaporem mutari, usque ad effluxum. Confirmatur quia omnium ferè medicorũ notio ea est, quod calor nativus resolvit, aliquam substantiam;ergo si aliqua parte vera est talis notio, de calore nativo influente à corde intelligenda est, qui magis intensus est, & aliunde venit, atque ita in hoc causu non potest, non immutare partem quam contingit.

Et rursus à simili confirmatur, nam calor influens attenuat sanguinis partem calidiorem,& tenuiorem ad generationem spirituum, absũmit etiam biliosum sanguinem, & serum humorum, quod tenuissimum est, ergo à fortiori substantiam humidã, quę in cõtinuo est effluxu.

Sed quid moror? calor nativus quicunque ille sit, sive radicalis, sive influens, non solum evaporat humidum substantificum, sed absumit. Hanc conclusionem tenet antiquitas fere omnis. *Hipocrates 6. Epid.* in illa sententia: *Anima hominis semper producitur, &c.* Eiusdem est aurea sententia. Calor nos occidit qui corpora produxit. El alibi: una natura esse,& non esse, & aliæ infinitæ in lib. de Genitura, de dieta, de corde, Aristoteles lib. de spiratione, lib. de morte, & 3. proble. q. 75. Avicena, etiam recensens causas senectutis, & mortis inquit: calor etiam ad hoc adiuvat.

Et probatur primò á priori, quia qualitates elemen-

torum per actionem, & re actionē in generatione mixtorum, hoc solum acquirunt, imò, & deperdunt, quod in elementis erant in summo in mixtis vero per refractionem sunt in remisso; ergo solum distinguũtur penes maiorem, vel minorem intensionem: Igitur, si calor elemẽtalis ex natura sua humidum depopulatur, calor etiam nativus mixtorum idem humidum depopulabitur. Antecedens notum est quantum ego intelligo; nam commune est axioma, quod in mixtione formæ elementorũ corrumpuntur, qualitates vero eædem remanent, retusæ tamen, & refractæ pro natura mixti generati, citra summum illum gradum.

PRIMA consequentia, satis patet: Pars prima, secundæ consequentiæ constat etiam, & experimento probatur, neq; maiori indiget probatione, quã explicatione terminorum; nimirum, quod calor elementalis, sive igneus absumit humedum, ut apparet in fulmine; in Elychnijs, in quibus pabulum olei absumitur. Apparet etiam in trãsmutatione elementorum; aër enim non aliter transmutatur in ignem, quam per absumptionem humiditatis aëris, & per introductionem siccitatis ignis, quæ est qualitas connaturalis. Secunda pars, consequentiæ secundæ, nempè, quod etiam calor mixtorum humidum depopuletur: rectè videtur illata, nam magis, & minus non variant speciem, sed solum intendunt, vel remittunt effectũ: calor vero naturalis, quia penes gradus, dumtaxat distinctus ab elementali eundem effectum, si placet remissum, nimirum humidi assumptionem producet. Cõfirmatur: nam idem secundum idem semper est aptum facere idẽ, calor autem elementalis idem remanet in mixto, ac sub inde easdem actiones molietur.

DICES, calor ille elementalis, iam est diversificatus contractus in mixtis; nam in elemento est igneus, in mixto verò est naturalis, ac proinde mirum non est quod

tam

tam diversos effectus producat, vel quod effectum elementalem, non possit conservare in mixtis. Semper tamen stat ratio posita, natura enim caloris non corrumpitur, nec pervertitur, sed dumtaxat temperatur, & modificatur ad essentiam naturalem, quæ contraria non est, sed diversa ex tali modificatione, & regulatione ab anima; igitur non tollitur caloris activitas illa naturalis absumēdi humidum.

SI caloris naturalis, quia naturalis, quantumvis dicatur ab anima regulatus, non absumit humidum, quia nō opportet, ut absumatur, est enim hoc contra leges naturæ, & contra moderationem nativam, quia potius debet conservare partem. Dixerim, quod calor agit cum delectu, & prævisione, & iudicio, quod absurdum iudicatur. Qua enim ratione calor ille, potest amittere manente natura proprium impulsum, & propensionem ad effectus sibi connaturales?

PRÆTEREA, ut probavi in disputatione de febribus calor præternaturam, & naturalis non differunt in ratione caloris; nam in febribus non est unus calor, qui concoquat, & alter, qui lædat actiones, seu manifestè consumat humidum, ut in febre marasmo. Quin etiam, quia continuatus est in eodem subiecto, non diversificatur numero; nam calor unus numero, propter identitatem ligni, in quo est, si dividatur, fit diversus. Igitur si isdem est calor præternaturam, & naturalis igneus, & secundum naturā cum concedatur de igneo, quod absumat omne humidū, in quod pabulatur, idem debet concedi de naturali, dummodo nullum sit impedimentum, quo factus fuerit secūdum naturam, nullum autem apparet, nisi temperis, quā acquirit per mixtionem, hæc autem remittit actionem non tollit illam.

INSVPER, si calor nativus, non absumit suum humidū nulla daretur causa necessaria, & intrinseca senectutis, &

mor-

mortis naturalis: à posteriori autem cognoscimus mortē inevitabilem; ergo intra nos metipsos habemus causam nostri interitus. Antecedens constare potest inductione, nam aër, qui continuo nos exiccat posset eligi humidus. Motus animi, & corporis possent regulari, iuxta exigentiam humidi: fuligines, quæ etiam recensentur inter causas partiales senectutis, & mortis, quatenus cum sin præternaturam detentæ in corpore agunt cōtra nostra principia vitalia, etiam possunt expurgatæ in homine raræ cōtexturæ, in aëreque temperato constituto excludi à causa necessaria senectutis. Neque, quod causæ exiccantes sint celeriores, & activiores in exiccando, quam nutriētes ad humectandum, quia tales causæ sunt semper in actu, neque spectant aliunde ad agendum; arguit necessitatem mortis, tum quia huiusmodi causæ sunt externæ, quod autem agit contra huiusmodi noxam causarum exiccantium, nempè alimentum nutriēs intrinsecum est, & proximius parti reparandæ: ergo præstātius in actione. Porrò etiam alimentum, ut probabo inferius potest maiorē humiditatē præbere nutrito: ergo potest repare, id, quod de perditum est. Confirmatur, quia, ut inducebam, huiusmodi causæ externæ possunt tum vitari, tum temperari, vel alio quovismodo refringi in actione, quoad non sit inevitabilis, ex parte senectutis necessitas.

SED concedamus, quod omnes hæ causæ regulariter loquendo, non possint vitari, quamvis una, vel altera vitetur, quia videtur impossibile. Profectò Hypotesis impossibilis omnino non est, quia potest dari in mundo homo temperatissimus raræ contexturæ in aëre temperato degens, qui alimentis utatur euchymis, & boni succi, quiq; nullum errorem committat invictu, & per epicrasim accipiat cibos ab omni conturbatione animi se motus. Cæterum quamvis in pluribus deficere possit Hypotesis in pluribus verificari potest, atque saltem deducere possumus,

mus, quod essent aliqui, qui longissimam ducerent vitã, & ultra statam, & præsentem periodum, quæ ad octoginta ad summum annos extenditur. Hoc autem non observatur. Igitur ideo, quia intrinsecum habemus, & iugẽ inimicum, nempè calorem nostrum nativum, qui continuo pabulum depopulatur, usque ad interitum. Et in hoc magis elucet conditoris admirabilis sapientia, quæ ita hominem obliviosum stimulatum plasmavit, ut quemadmodum in morte mirificus insevit vitam; ita in vita, hoc est in principijs vitalibus calore, & humido substantificis insevit mortem, vt habeat homo internum vermem arborem corrodentem, in gratiam memorię æternæ beatitudinis.

SANTA-CRVZ concedit calorem cordis influentẽ humidum depascere, nẽ utiquam tamẽ calorem radicalem, & innatum. Contra quem sic formo argumentum. Calor influens humidum absumit, ergo perinde etiam radicalis & innatus. Patet consequẽtia: quia insitus fovetur ab influente, & vivificatur, quod enim tribuit cordialis calor particulari, nihil aliud est præter maiorem intensionem, (loquor in ratione caloris) nam illum suscitat emortuũ, & quasi languentem: ergo nullum ponitur impedimentum, quo minus absumat humidum. Illa maior intensio, quæ additur per adventum influentis, potius conducit ad absumptionem, quam illam impediat; neque enim influens complantatus in parte amissit esse caloris, neque proprietates connaturales, sed dumtaxat attemperatur, & fit instrumentum animæ.

HANC sententiam antiquam Hippocratis, tenet Sanctus Tomas, 1.p.q.97.articul.4.in corpore: dixerat enim Angelicus Doctor in articulo antecedenti ad primum. Quod primus homo indigebat cibis in statu innocentiæ, quia calor naturalis absumebat humidum. In articulo verò sequenti citato declarat, & quis sit iste calor, in inquit:

duo

duo remedia habebat homo in primo ſtatu adverſus duos deffectus. Prior deffectus eſt perditio humidi per actionem caloris naturalis, qui eſt animæ inſtrumentum; & contra hunc deffectum ſubveniebatur homini per eſum aliorum lignorum Paradyſi: Sicut, & nunc ſubvenitur nobis percibos, quos aſſumimus. Alter deffectus erat debilitatio naturæ per admixtionem extranei humidi, & huic ſubveniebatur per lignum vitæ. Hactenus D. Thomas, qui nullum reputat inconveniens, quod inſtrumentum animæ conſumat humidum. Scio, quid reſpondeat Santa-Cruz, nempè, quod loquatur Angelicus Doctor de calore cordis; nam hic ait per excellentiam eſt inſtrumentum animæ, in quo manifeſtantur omnes animi affectus, & ille manifeſtat actiones omnium partium, quippè ſine illo nulla actio elucеſcit animalis.

SED puriſſimam lucem Angelici Doctoris, nulla nebula obſcurare poteſt. Clariſſima namque ſunt illius verba: & diſtinctio hæc de calore influente, & radicali noviter inventa contra mentem in hac parte Angelici Doctoris. Sic monſtro. Etenim calor naturalis cōſumit humidum partium, ut teſtatur D. Thomas, hoc autem non efficit calor influens cordis, quia non exiſtit in partibus, ſed verè innatus, & radicalis, quem complantatum ideo vacant, quia diffuſus eſt per partis ſubſtantiam. Calor influens cordis per arterias defertur ad vivificandum innatum; ergo deffectu præſentiæ non poteſt eſſe cauſa exhauſtus.

NEC valet, ſi dixeris cum occurrit parti evaporari humidiorem, ob plures rationes: tū quia ſub forma ſanguinis influentis, non ſe inſinuat imminutiſſimas partes, hoc enim radicali, & verè innato tribuendum, qui medio alimento apenitioribus particulis attrahitur. Tum etiam, quia influens, quam primum accedit ſuſcitatque

partium calorem suo munere fungitur, nihil enim aliud affert partibus præter aliqualem intensionem. Deinceps namque non amplius influens, sed radicalis innatus, & complantatus est. Hoc apparet in animi pathematis in quibus tam varios edit motus, foris intro, & intus foras, quo tempore calfiunt, vel refrigerãtur partes, prout accedit, vel recedit. Igitur radicalis, qui ex influẽte veluti coagmentatur, quiq; in partibus subsistit, est qui humidũ exhaurit. Eo instanti, quo intendit cõplantatum identificatur cum illo; nam in verecundia, & in timore, & ira substrahitur partibus calor ferè in instanti; & in eodem communicatur; partibus communicatus, calor innatus partium est, à partibus retractus, partes calore proprio orbantur, igitur qui absumit radicalis est.

OB easdem rationes contra mentem D. Thomæ asseritur illum loqui de calore influente. Hic namq; instrumentum propriè non est animæ ad actiones obeundas, sed radicalis innatus, & complantatus. Ex sufficienti partium ennumeratione commonstratur, nam facultas irascibilis, quæ in corde residet, utitur calore radicali tanquam instrumento non autem influenti: nam cũ huiusmodi sint actiones vitales debent esse actiones partis vitalis, nempè substantiæ cordis, ac propterea genuinum instrumentum erit calor, quem vocant huiusmodi recentiores formam partis, nam cor quatenus pars vivẽtis est animata operatur.

ADDE, quod instrumentũ huiusmodi non est separatum, sed coniunctum, ac subinde suo principali agenti. Anima verò, neque in sanguine influenti est, quia non vivit, neque illi proximè coniunctus, ut de radicali, & innato verificatur.

FACVLTAS concupiscibilis moratur in parẽchymate hepatis; instrumentũ verò illius, non potest esse calor influens, quia aliquantulum distat, & proximior est calor

lor radicalis. Idem dicendum de facultate rationali, quæ propriè non in vasis cerebri, quamvis in illis elaborentur spiritus, conducentes ad opus, sed in substantia medullari residet, quæ habet pro instrumēto calorē radicalem minimè verò influentem cordis. Valens inditium, quod minus viget animalis facultas rationis particeps quando calor influens cordis, vel copiosior fluit, vel ardentior, ut in iuventute, & in ira. Maximè autem elucescit in ætate consistenti, vel in primo senio, & paccato corde, quando nimirum calor influens, vel remissior, vel in minori copia fluit, quatenus cerebrum suo calore proprio, & radicali gaudet, eoque satis temperato. Eodem modo philosophandum in alijs facultatibus.

DICES calor influens cordis habet rationē instrumēti animæ, quia in illo manifestantur omnes animi affectus, ut in ira, & verecundia, in timore, & gaudio in quibus varijs motibus cietur, prout ab anima retrahitur, vel diffunditur, nam in timore retrahitur ad cor; in gaudio spargitur ad cutim, ut in rigore. Hi omnes motus gubernātur ab anima, ergo calor influēs est instrumētū illius. In hac obiectione negari nō potest, quod huiusmodi varij motus caloris influentis dirigantur ab anima. Cæterum nō proinde dicemus, potius esse instrumentum illius calorem influentem quam radicalem. Etenim omnes hi motus cientur ab anima, & à calore radicali tanquam instrumēto; nam in ira facultas irascibilis cordis medijs facultatibus attractrice, & expultrice agitat sanguinē, & spiritum multifariam. Idem dicendū de alijs pathematis. In quibus corporis facultates attrahunt, vel expellunt sanguinem, & spiritum. Exēplū etiā habemus in somno, in quo trahēs cerebri facultas vocat ad se, & ad interiora spiritus animales: Secundario autem vitales simul cum sanguine retrocedūt; cuius causa partes externæ in somno frigent. Cum hoc tamen stat, quod facultas, & anima

utantur, tanquam instrumento calore radicali substantiç medullaris cerebri, in qua residet facultas.

QVID igitur sanguis arterialis, & calor influens in pa thematis, non sunt instrumenta cum promptè obediant huc, & illuc? Profecto, vel sunt instrumentũ instrumenti animæ, puta caloris radicalis, vel, ut verius loquamur tãtummodo sunt materia obedientialis illius: nam trahens facultas partium, vel cordis, vel Iecoris, cerebri, aut cuiuslibet alterius particulæ, cui insit attractrix virtutẽ habet trahendi ad interiora, & diffundendi, si opus sit facultate expultrice medio tamen calore radicali, tanquam genuino instrumento.

ECCE qua ratione calor influens propriè, nõ est instrumentum animæ, sed materia circa quam versatur actio proprij instrumenti, ut lignum respectu serræ trahit, enim facultas cordis medio calore insito in timore sanguinem, & spiritum, & in gaudio expellit.

HANC sententiã proculdubio tenet, quidquid alij dicant Galenus lib. de Marasmo, ita enim scribit; quod autem naturæ progressu corpora siccentur, quodque innatum id calidum efficiat, ut 1. de tuend. valetudi. & necessario, nunc repetemus est undequaque verum; Perperam verò Galenum loqui de influente quidam affirmant.

SED veritas ulterius elucescit in responsione argumẽtorũ: nam quidam putant se demonstrare contra nostrã opinionẽ hoc argumento, quo intendunt probare, quod calor non conservet per se, & resolvat ex accidenti.

CALOR partis est forma; ergo non potest agere in illã partem actione transeunti. Illud argumẽtum supponit falsum, quod calefactio, & infrigidatio semper sint actiones transeuntes, benè enim possunt esse actiones imanẽnes, v. gra. infrigidatio aquæ ab intrinseco, cum se reducit ad pristinam temperiem est actio immanens. Et ita licet calor, sit in parte tanquam forma, de quo paulo post;

po-



poteſt movere illammet partem ad ulteriorem gradum quaſi per reſultantiam.

PRÆTEREA arguunt, & ſupponunt, quod iſte calor, ut tria ſit connaturalis diſpoſitio cõſervativa partis ab anima regulata, & conſervata. Tum ſic. Nihil poteſt moveri ad id, quod habet; ergo humidum non poteſt recipere aliquid ab illo calore in genere cauſæ efficientis. Antecedẽs eſt principium notiſſimum in philoſophia; nam paſum debet eſſe denudatum à forma recipienda; ergo cũ calor ſit forma illius humidi; impoſſibile eſt, quod calor agat in illud, nam ſi eſt forma implicat, quod ſit efficiens reſpectu illius.

HOC argumentum multipliceter peccat: nam aliter, & aliter concludit in prima, & ultima conſequentia. Nam prima conſequentia falſa eſt; nam humidum ante quam ultimo patiatur à calore non habet tenuitatem; ante quã verò omnino abſumatur acquirit tenuitatẽ; ergo movetur ad id quod non habet. Ecce quo capite falſa eſt prima conſequentia.

SECVNDA autem conſequentia deficit in eo, quod ſupponat calorem eſſe formam humidi. Hæc ſuppoſitio eſt Achiles contrariæ ſententiæ imbecillis tamen: & miror, quod falſo omni ex parte nitatur fundamento, & quod tam ore pleno, & ſine acriori examine paſſim vocent in medium hanc propoſitionem. calor innatus eſt forma humidi. Sæpiſſime mecum cogitavi, ex quo nam capite poſſet aliqualem habere apparientiam, & non invenio. Sed, quia nihil magis prælingua habeãt opportet, ut in eo examinando ſiſtamus gradum.

PORRO falſum eſt: quod calor ſit forma humidi; neque humidum forma caloris innati; quin etiam falſum eſt, id aliud, quod circumfertur, nimirum calor innatus eſt forma partis. Paſſim apud Galenum, invenimus plura attributa caloris innati: verbi gratia, 5. Apho. com. 22. ait Ga-

lenus, quod calor nativus est natura nostra, & 4. Aph. 37. calor nativus est illa natura, quæ solida corpora regit, & 1. Aph. com. 15. Calor innatus est facultas gubernans corpora nostra. Omnes tamē hę propositiones sunt energiæ quædā. & cū grano salis intelligēdæ; alias in rigore physico falsæ. Etenim calor innatus, non potest esse facultas gubernans corpora nostra, sed instrumētum facultatis. Neque in rigore calore nativus est nostra natura, quia in principijs substantialibus, sita est, non autem in accidentalibus de cuius censu est calor.

SED ad propositiones argumēti redeamus. Calor innatus, nō potest esse forma humidi, neque humidum forma calidi: quia una qualitas non potest esse forma alterius. Calor nativus ex natura sua consumit humidum, utpatet in igne; Ergo invariata natura, non potest esse forma eius, quod destruit; invariatur, quia formæ elementorum corrumpuntur, qualitates manent in mixtis.

RVRSVS, qua ratione calidum innatū potest esse forma partis? Pars profecto, quid substantiale est, calor innatus, quantumvis innatus accidens est, & qualitas de tertio genere qualitatis; quo nam ergo modo, accidens potest esse forma substantiæ? Quod calor nativus, quia autor saltem, ut instrumentū omniū actionum in nostro corpore dicatur facultas gubernans hominē, radix humanę vitę natura nostra, & nostra substantia transeat: Sunt nimirū encomia caloris innati. Quod verò ex his attributis lato modo sumptis inferatur rigurosa propositio concedi nō potest. Dices fortasse (nihil enim aliud suspicor) quod quamvis calidum innatum, non sit forma partis, quatenus pars est compositi physici substantialis forma sit partis, quatenus totum mixtum est.

SED, neque sustineri potest responsio; nā forma corporis mixti est temperamentum ex quatuor qualitatibus

coa-

coalescens, & quemadmodum temperies potest mutari. Imò de facto mutatur toto vitæ cursu, & hoc per reactionem, & repassionem quatuor primarum qualitatum inter se se; asserendum videtur à fortiori, quod calor innatus agere possit in humidum.

OBIICIVNT præterea, quia illud, quod debet dimanare ab actu virtuali in actum formalem debet esse aliquid connaturale tali subiecto, vel tali formæ. Verum quamvis concedatur, quod illa siccitas possit dimanare à calore est tamen simpliciter violenta formæ, & subiecto; ergo calor non potest suum humidum exiccare; nam ut esset ridiculũ quòd á forma aquę resultaret calor, ita à forma huius partis non potest dimanare dispositio violenta. Sed hoc argumentum eodem pede claudicat, falsum enim omnino est; quod calor sit forma partis. Temperies partialis huius particulæ, quatenus mixtæ est forma ad summum illius; tota autem temperies potest mutari, & de facto mutatur per motum coalterativum quatuor qualitatũ. Dimanat ergo siccitas á calore, non tamen á parte; calori verò nequaquam est violenta siccitas.

MERITO Garcia Complutensis, Vallesium notat, quod cum in controversijs tam accerrime defendat calorem, non posse agere in suum humidum tamen, 4. meteoro. Dicit coctionem fieri á calore rei, quæ concoquitur. Quia consequenter loquendo tenetur fateri humidũ rei, quæ concoquitur pati à proprio calore. Sed respondent dicendo, quod calor unius partis inadæquatè coquit aliã, & esse deveniendum ad unam partem, quę coquat, & ipsa perfecta fit. Sed contra, quia totum mixtum est æqualiter crudum secundum omnes suas partes. Hinc naufragantur profecto adversarij; nam iterum respondent, quod in parte magis disposita emanat à forma debitus calor ad perficiendam illam partem; & rursus illa conducit ad maturationem aliarum.

SED nunc mea sententia, tandē tandē coacti fatentur affirmare, quod negabant, nempè, quod in parte magis disposita calor emanans à forma agit in suum humidum. Quid enim aliud intendit nostra conclusio. Cæterum plura, etiam involuunt in responsione, quæ inconstantiam suæ veritatis ostenduntur, nā si totum mixtum çqualiter est crudum, ob quam causam in una parte magis, quam in alia datur talis absumptio, & actio caloris? Rursus rationes, quæ suadent Vallesio ad affirmandum coctionem fieri á calore rei, quæ concoquitur, ulterius procedunt quam in eo sistant, quod calor unius partis, coquat aliā, ut patet ex contextu; nam calor unius partis respectu alterius, ita extraneus est, ac solis calor, vel ventriculi: negat vero Vallesius, quod perficiatur pars in coctione ab alio, quam á proprio calore. Subeunt etiam contradictionem, dum affirmant in eadem solutione argumenti; quod dimanat actualis calor à quo patitur suum humidum; tamen ad mortem naturalem, non posse emanare, quia repugnat naturæ, quasi aliter mors adveniat, quam humido repatiente à suo calore.

OBIICIVNT ulterius, quia calidum innatum perficit, actuatque partes in ordine ad esse, & operari communicata qualitate connaturali; ergo non corrumpit. Cōmunis adhibetur solutio, nihil peior, quia communis, quod calor in quantum calor resolvit, in quantum naturalis perficit. In cautum, & ridiculum modum dicendi istum appellant impossibile iudicantes, quod calor perficiat, & corrumpat, cum tamen impossibile, non sit, sed omnino conforme naturæ.

OSTENDAM appositissimo exemplo, sit quod sit maximè conclusivo. Vinum enim calidum est, & humidū, & in principijs suæ coctionis, quando perficitur in dolio cōservat innatus illius calor humidum suum substantificū, perficit namque illud, & concoquit digerit proprias cru-

ditates, expellitque; interim tamen humidum suum absumit, & exiccat. Quod ex eo patet, quia vinum recẽs in omnium sententia calidum, & humidum est in primo: mediocris ætatis calidius est, & minus humidum; vetustũ tamen calidum, & siccum evadit. Nescio an inveniri possit exemplum magis, symbolum magisque suasorium. Vinum namque maximam habet familiaritatem cũ nostra natura: In primordijs calidum est, & humidum, ut homo; decursu ætatis etiam siccescit, & tandem si senio conficiatur omnino exolvitur accescit, & frigidum, & siccum evadit, ut à cetũm homini prorsus simile, qui in ultimo senio frigidus est, & siccus.

VIDE qua ratione coherere possunt absũptio in calore humiditatis, & cõservatio propriè perfectionis. Prçterea in febribus Hecticis unus, & idẽ calor, quatenus igneus ad talẽ deducit, & humiditatẽ devastat; quatenus verò naturalis concoquit. Negari enim nõ potest, in Hectico, dũ vivit celebrentur aliquę coctiones; ex qua parte conservat, quãvis ex alia consumat humidũ; non enim datur unus calor ad coquendũ, & alius ad absumendũ. Calor quatenus calor ex natura sua absumit, quatenus verò coarctatus ad esse naturale cõservat. Neq; etiam si regulatus ab anima cohiberi potest, quin absumat, quia artifex quamvis dirigat instrumentum, in totum illud aliquando coercere non potest, ut cultellus si accutissimus sit, quandoque plus secat quam vellit artifex.

OBIICIVNT tandẽ; nam si calor ageret in humidũ, in hieme magna fieret dissipatio, quia calor naturalis intẽsus magis est, quã in æstate, ut inquit Hippo. 1. Aph. 15. sed nõ fit; ergo humidũ non patitur à calido. Maior propositio constat; minor verò non minus, ex eo, quod in hieme robustus est, & copiosus calor innatus, ut docet Aphorismus; at si multũ dissiparetur languesceret, ut contingit æstate.

AD argumentum dicimus, duplici motu agitari calorẽ: na-

nativum uno ad spheram, altero ad pabulum. Ex his duobus motibus, qui maiorem languorẽ inducit, est ille, qui ad spheram terminatur. His positis in Hieme; quamvis non ita dissipetur, atque in ęstate, dissipatur tamen latẽter, ut ex contextu Hyppocratis in Aphorismo anteriori deducitur: inquit enim. Qui crescunt plurimum habẽt calidi innati; plurimo igitur egent alimento alioqui corpus absumitur. Quid clarius dici potest? idem repetit sequẽti Aphorismo.

SIT primum corollarium. Homo nisi peccasset nunquam fuisset moriturus, si quidem per peccatum intrasse mortem sacra testatur pagina: tamen, & si non peccasset fuisset mortalis expugna caloris in evitabili in humidum, ut diximus. Neque per peccatum factus est mortalis, qui mortalis nõ esset, sed moriturus, qui mortalis iam esset. Sed quomodo mortalis cum esset à morte erat præservãdus; Deus scit. Magnam partẽ eius præservationis fuisse in fructu ligni vitæ, ipse dicit. Duorum ergo alterum videtur consentaneum, aut fructum illum fuisse cibotũ omnium præstantissimum, atque vim habuisse servandi homines diutissimè, quod significat verbum in æternum, ut in alijs locis: Deumque antequam id expleretur tempus fuisse eos in vitam æternam translaturum. Aut habuisse vim tribuendi vitam æternam; habuisse verò eam nõ natura, sed benedictione.

SECVNDVM corollarium. Dubitari potest circa textũ, utrum comederit Adamus, dũ esset in Paradyso de fructu ligni vitæ. Ratio dubitandi, quia in eodem capite in collocutione. Evæ cum serpente respondit mulier de fructu lignorum, quæ sunt in Paradyso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradysi præcepit nobis Deus ne comederemus. Propositio mulieris est universalis, excipiendo dumtaxat lignum prohibitum scientię boni, & mali, & verbum de præsenti vescimur, videtur signi fi-

ficare comedisse de ligno. Hoc tamen suspectum reddit litera textus, nam videtur, quod emissio Adami de Paradyso fuerit exercita, ne mitteret manum suam, & summeret de ligno, & comederet, & vivet in æternum, & quia lignum vitæ erat in medio Paradysi, sicut, & prohibitum scientiæ boni, & mali fortasse parentes fugiẽtes occasionem accedendi ad lignum vetitum abstinuerunt se à ligno vitæ aliquando.

TERTIVM corollarium. Non sunt currenti lingua legenda verba capitis: & collocavit ante Paradysum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilẽ ad custodiendam viam ligni vitæ. Non solum enim custodivit Cherubim lignum vitæ, ne caperetur apparẽtibus; sed etiam viam ligni vitæ, quasi etiam occasionem sustulerit Deus, tantum vult, ut fugiatur. Nec abs re fuerit suspicari, quod lignum vitæ, siquidem virtutẽ habebat adeo excellentem tribuendi vitam æternam, quæ quamvis elevaretur supra vires naturæ, intra eas etiam habuit mirificam vim restaurandi, & nutriendi; quod triplicem nostrã substantiam resarciret, spirituosam humidum, & solidã, & cum spirituosa maximè restauretur à vaporibus; quod excellentissimum lignum vitæ, esset forsam aromaticum, & suaviter odoriferum, quod si ita fuit non mirum, quod Cherubim custodierit non solum lignum, sed etiam viam ligni; ne odore aromatico confortatus diutius viveret Adamus, quam sibi fuerat constitutum post peccatum.

VLTIMVM suspicor, quod vita Parentum, qui nascebãtur, usque ad diluvium communiter ad nongentos annos protracta vivacitatem acquisivit, ex aliquã comestione Adami de ligno, si forte comedit brevi illo spatio, quo fuit in Paradyso, vel ex odoratu vitalissimi aromatis. Et sicut naturam roboravit sensim propagata, ita naturam dereliquit sensim degenerata in metam brevissimam.

CAPVT III.

Q*VO Audito Sara risit post ostium Tabernaculi*. Genes. 18.



ARAE Risus utrumque mysterium continet, divinum, & physicum. Divinum à limine saluto, physicum autem visitare intendo, ob arcana difficillima, & recondita, ut scripserit Cicero de Claris oratoribus 2. atque illud primũ, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo existat, atque ita repente erumpat viderit Democritus. Plura ergo continet philosophica ad honorem risus Saræ explicanda.

VT ergo ab eius natura exordinamur sic potest definiri. Est semi convulsio risus musculorum præsertim buccarum producta à novitate delectabili medio calido influenti. Descriptio hæc interim dum alius exactiorem nõ proponat naturam explicat Dicitur semi convulsio, quia exquisita convulsio non est, tum quia non est à morbo, tum quia quodadmodo cohiberi potest. Verum enim vero dici potest semi convulsio, quia in risu eandem dispositionem contrahunt musculi, quam in vera convulsione. Deinde etiam, quamvis cohiberi possit, admodum tamen difficulter præcipué in causa vehementi, & in primo eius insultu. Hoc etiam habet commune cum convulsione exquisita, quod sit affectus dolorificus, si quodadmodo increverit, nam in magno risu hypocrondia dolent, & ilia. Confirmat quod de herba Sardonia scribit Dioscorides, quod media convulsione infert mortem, & ex eius usu morientes risum repræsentant. Vnde emanavit proberbium de risu Sardonio, qui significat potius dolorem quam voluptatem.

PRAE-

PRAETEREA dicitur affectus musculorum buccarum, quia præcipué in talibus musculis observatur contractio versus suam originem. Hoc videtur insinuare sacrum eloquium in cap. 8. Iob ubi legitur. Donec impleatur risu os tuum, & labia tua Iubilo. Etenim quamvis verum sit, quod in intensiori risu, illo qui fit vocibus magnis, seu chachinis concitentur etiam musculi, qui thoracem movent, & laryngam, & ipsum etiam diaphragma. In risu levi, & temperato in quo sua essentia conservatur, sola labia diducimus, os aperimus, anterioresque dentes Gelasinos, id circò vocatos ostendimus; quo etiam motu quædam in facie lineæ apparēt oculosque lætos facimus. Hinc illud Martialis lib. 7.

Nec grata est facies cui Gelasinus abest.

Et illud Ovidij 3. amor. Eleg prima.

Limis subrisit occellis.

Per alia verba definitionis, producta à novitate delectabili, demonstratur obiectum risus, seu causa motiva, nempè novitas delectabilis, novitas enim seorsum sumpta non potest movere risum, quia plures sunt novitates tristes, quæ fletum potius excitant, quam risum: Neque delectatio sola risus est causa, quia in hominibus serijs, & modestis, plerumque datur delectatio sine risu: debet ergo coniũgi delectatio cum novitate. Sed quia de causa risus plura dicenda sunt, hinc subsisto, & transeo ad explicanda ultima verba definitionis.

MEDIO calido influenti. Per hæc verba demonstratur causa interna, immediata, & proxima risus, supradicta enim dumtaxat est causa, ut diximus motiva externa, & mediata. Calidum ergo influens est, quod movetur in risu, illud commune instrumentum plurium actionum in corpore; quod suam consistentiam sitam habet in sanguine arteriali, & spiritu, quo mediante celebrantur omnia pathemata, ira, timor, mœstitia, verecundia. Risus ergo

etiam

etiam perficitur á calido influenti, & sanguine arteriali cum spiritu. A causa namque competenti subito movetur à corde, tamquam ab arce, & principio, vel si mavis à termino à quo, & diffunditur, usque ad musculos buccarum, ut ad terminum ad quem, & si vehementia causæ ad fuerit thoracem etiam commovet, & diaphragma. Portio ergo acrior sanguinis, & spiritus subito, & affatim irruẽs in musculos ipsos pungit, & veluti mordicat, ac proinde semi convelluntur, & contrahuntur, quemadmodũ in rigore, & epilepsia, & fit risus. Nec valet si dicas, quod sanguis & spiritus substantia sunt maximè familiaris & naturalis, quæ non possit irritare. Quoniam talis irritatio levis est, & ex parte iucunda, & deliciosa. Et in spasmo non proportionato ad materiam, qui vulgo dicitur (calãbre) sensus quidam dolorificus percipitur formicarũ inundantium, ut etiã in torpore, qui tamen producitur ab spiritibus non potentibus permeare partium substantiam. Quod autẽ oriatur á corde, tamquã ab origine risus apparet in verbis nostri textus: ait enim; cecidit Abrahã in faciẽ suam, & risit in corde suo. Quin & titillatio sub axillis risum citat.

MAIOR est difficultas de causis risus, in qua triplex extat opinio. Prima est Nicandri Iosij Venafrani Opusculo de risu, cap. 6. existimantis causam, seu obiectum à quo risus proficiscitur, quam risus materiam ipse vocat esse rẽ turpẽ citra dolorẽ, cuius rei plura ponit exẽpla veluti hystrionũ vestitus, verba apparatus. & similia deformia quidẽ, ac tamen ridicula sicut, & incedẽtis lapsus pluvio cęlo.

ALTERA sentẽtia est Fracastorij putantis gaudium simul, & admirationẽ risum cõmovere cui opinioni assentitur Vallesius doctissimus. Alia est Frãcisci Valeriolæ existimantis, solum gaudium sine ulla admiratione, si tamen profusum fuerit, & intensum, ad ridendum concitare, quã opinionem sequitur Franciscus Casserta, lib. de Sympt. motus animalis.

SED

Sed prima opinio Nicandri falsa est, non enim est turpitudo citra dolorem causa risus. Probatur primo. Nam multa risum excitant absque turpitudine, ut amicorũ visio, disserte dicẽtis concio, bonũ de re nostra, vel amicorũ nunciũ, ergo turpitudo non est ratio formalis obiecti risus. Respondet Nicander ab his, quæ attulimus obiectis non verũ risum, qui solũ á re turpi citra dolorẽ fit oriri, sed rictũ quendã, quẽ risus effigiẽ, & inchoationẽ inquit esse, & à lætitia confestim contingere concedit, non autem à turpitudine. Sed contra quia rictus in rigore risus est, nam repræsentat motionem hilarem faciei cũ oris apertione, labiorumque diductione, moderatus tamẽ, & temperatus, quia non fit cum chachyno ut intensus, quamvis Horatius putaverit per risum fieri rictum dum inquit.

Ergo non satis est risu diducere rictum.

Magis igitur, & minus nõ variant speciem, & turpitudo per accidens se habet ad generationem risus.

Probatur deinde si obiectũ turpe esset causa risus, illo posito subsequeretur necessario, sed nõ sẽper movet risũ, quia ad præsentiã talis obiecti aliqui ridẽt alij nõ, non ergo turpitudo citra dolorẽ est obiectũ ridiculũ. Respondet Nicander, turpia obiecta non movere, quãdoq; risum ob indispositionẽ potẽtiæ ridẽtis, & turpia de quibus sermo sẽper esse ridicula in potẽtia. Sed hoc nõ solvit argumẽtũ, sed illud corroborat. Ex eo enim, quod huiusmodi turpia nõ sunt sẽper actu ridicula, sed potẽtia manifestè, sequitur, non esse ridicula propter actualem huiusmodi turpitudinem, quæ semper actu obijcitur potentiæ, sed ob aliam rationem nempè delectationis, & gaudij, quam quandoque afferunt huiusmodi turpia, quandoque non pro varietate potentiæ ad gaudendum dispositæ.

Probatur tertio, quia histrionũ vestitus, verba, apparatus, regulariter loquendo risum solent causare etiam in serijs hominibus. Cæterum quando hæc turpissima omnino sunt, & plusquam solent quando sunt redicula, non

solũ risum non movent, verum & tollunt si prius aderat, & fastidium pariunt in viris modestis, ut patet experientia. Ergo si turpitudo est ratio formalis obiecti risus ea aucta debet augere risum, & cum illum tollat, & suspendat in hoc casu, imo & fastidium generet, necessarium obiectum risus censeri non potest.

PROBATVR quarto, quia plures homines rident ex titillatione quos manifestum est non ridere ratione turpitudinis, ut putat Nicander, sed blandi sensus, & delectationis generatæ per titillactionem.

PROBATVR quinto, si obiectum ratione turpitudinis risum moveret, certè fletum risui contrarium deberet movere obiectum pulchrũ ratione pulchritudinis, quod fallum est omnino.

PROBATVR sexto, quia apud omnes est in confesso risum verum pendere à iucunditate animi, quam nequeũt tribuere turpia quatenus talia. Tum quia risit Zoroastres, qua natus est prima die, quo tempore non poterat cognoscere turpia, quatenus turpia: tum quia sit quandoque risus ex septi transversi vulnere, cuius risus causa nullatenus est turpitudo.

NICANDRI opinio nititur sola autoritate Aristotelis initio operis de Arte Poëtica, ubi ridiculum à turpi proficisci, inquit, & ridiculum esse aliquo modo peccatum, & turpitudinẽ sine dolore, minimèque noxiam, & proinde ridiculam statim apparere distortam faciem sine dolore. Quæ omnia indicant ad mentem Aristotelis turpia posse rissum commovere.

AD autoritatem Aristotelis, & ad ea, quæ obijci possunt pro Nicandro. Respondetur, turpia causare risum, quatenus causant delectationem; hanc verò non semper causant, nisi quando intercedit ludibrium, contemptus, & convicium. Exempli gratia. Ridemus præsertim Hispani viso homine cadente, vel à tauris capro modò noxa

ma-

maxima non fuerit, quia ex superbia generatur in nobis contemptus,& convicium,& ex his quædam delectatio. Colligitur hoc, quia hæc, quæ risum excitāt in levioribus hominibus;in benè morigeratis, & circumspectis, & servis Dei, non solum non movent risum, sed commisserationem generant, quia iuxta illorum humilitatem, contemptus non excitatur, nec convicium, sed labo boris compassio. Præterea Comicorū ridiculi apparatus saltus, dicteria, scommata risum cōmovent, quatenus ex contemptu,& ludibrio concepto delectatio quędam generatur. Patet, nam si, verbi gratia, commici apparatus. scommata,& dicteria representent dicta, vel facta sutorum, omnes illi ridebunt, qui delectentur in irrisione, & contemptu, sutores verò non solùm non ridebunt, verū etiam contristabuntur, quia in his omnibus contemnūtur,& irridentur. Proinde irridere est illi ridere, vel cōviciari, vel illudere, quæ superbiam, & contemptum connotat. Ovid. Terentius in Phorm.

Satiñ superbè illuditis me.

Et Virgilius 9. Æneid.

Verbis virtutem illude superbis.

OPINIO Fracastorij, & Vallesij existimantium gaudium simul,& admirationē movere risum falsa est. Probatur, quia admiratio oritur ex rebus arduis, à quibus animus suspensus tenetur, quo suspenso ferè omnes motiones corporis cohibentur, ut constat experientia. Confirmatur, quia nullus unquam ridens ob commicorum ridiculos apparatus, saltus, dicteria, scommata, vel certè ob infantium, parvulorum, varios insultandi modos varias gesticulationes balbulam, ac concinam locutionem, aliaq; facta puerilia,& ridicula, captus est admiratione. Dicunt aliqui, quod in his, & similibus casibus latet aliqua admiratio. Sed nescimus, an admirari, an ridere talem debeamus responsionem. Quia ut dictum

est admiratio ex natura sua suspendit, sive illa maxima, sive parva fuerit, & consequenter non erit risus causa concitans, sed prohibens.

Ex his dissolvitur problema; cur quibusdam figuris, aut monstruosis, aut deformibus confictis nobis inscijs ad ludendum, & iocandum, his visis quam primum suspensi tenemur, ubi vero non vera esse monstra, sed figmenta studio iocandi composita noverimus ridemus; quia primo ex re ardua visa admirationem capimus, qua suspensi existimus animo, postea verò re benè cognita, ex iucunditate accepta ad risum commovemur; risum ergo inhibet admiratio, tantum abest, quod illius sit causa motiva.

PROBATVR secundò: Ridemus plerumque nobis ab alijs titillatis; in quo casu nulla potest admitti admiratio; ergo neque, ut causa, neq; ut obiectum admiratio risum generat. Respondet Fracastorius; risum ex titillatu non esse verum risum, cuius etiam opinionis fuisse Nicolaum Florentinum, testatur Vallesius, loco citato. Et certè ridicula est talis responsio viri, qui cum risibilis sit homo, verum ex titillatu risum fieri negaverit. Ridemus etiam in usu veneris in amplexibus osculis, alijsque similibus casibus, in quibus certè ipsa docente experientia, non admiramur, sed delectamur. Vallesius etiam in risu ex titillatu concedit admirationē, & consequenter in quocumque, & ostendere nititur, quia in risu ex titillatu adest novitas, à qua admirationem censet proficisci. Sed certè improbabilis est modus dicendi: tū quia ut diximus admiratio omnem actionem suspendit, & in specie risum. Tum quia aliud, est novitas, & admiratio, atque ita falsum assumit ex rei novitate in admirationem nos duci, nam admiratio per se pendet tanquam ab obiecto à rebus arduis, & difficilibus, quæ si fuerint nova intendunt admirationem. Cæterum potest

test dari novitas, sine difficultate, ac proinde sine admiratione.

PROBATVR tertiò: Hyppocrates lib. de Septimestri partu, & Aristoteles 7. de Hist. animal. cap. 10. uterque sapientissimus testantur, & experientia comprobatur infantes quadragesima ab ex ortu die natos ridere, hoc autem tempore nullus rationis, nec consequenter admirationis est usus: igitur admiratio nullum habet locum in generatione risus. Quin, & Zoroastres, qui ex monstruositate subito natus risit, usum admirationis exercuit.

TANDEM, qui moriuntur ex vulnere septi transversi ridere solent, ut plures viri fidedigni testantur, & Poëtæ cecinere. Et quod magis est Hyppocrates 5. Epid. 92. Thyconem referens catapulta percussum in phrene ridẽdo perijsse. Et Arist. 3. de part. animal. c. 10. inquit: Vulnerata præcordia in prælio risum attulisse, in tali autem casu, nulla admiratio concurrit.

NEQVE sententia Valeriolæ, & Caserte, asserentium gaudium, solum si fuerit profusum esse causam risus, ut sic intellecta sustineri potest. Probatur. Gaudiũ est quædam voluptas, sed, ut colligitur ex Platone in Timæo, Hyppocrate, & Galeno 1. de cau. symptomatum cap. 6. Voluptas necessario connotat mutationem subito, & affatim factam ab statu præternaturam ad statum secundum naturam: Ergo gaudium solũ, ut sic non est causa risus. Confirmatur, quia postquam aliquis risit ad primũ nuncium alicuius rei delectabilis, cum eodẽ manet gaudio non tamen ridet; igitur aliquid superadditur gaudio ad hoc, ut sit vera causa, & effectiva risus, nempè, quod fiat cum mutatione subito, & affatim facta.

DICES delectatio, ut constat ex D. T. 1. contra Gentes cap. 9. est quædã quietatio voluntatis in volito, ergo necessario non est ex medicorum sententia mutatio ab sta-

tu præternaturam ad statum secundum naturam. Respõdemus, quod Angel. Doct. loquitur de gaudio volũtatis, & portionis superioris, quod quidem in tali quietatione consistit voluntatis, ut patet in immutabili beatorum gaudio. Quod verò dicitur causa risus propriè voluptas est, & gaudium portionis inferioris appetitus sensitivi, & requirit talem mutationem subito, & affatim factam, quia duo requiruntur ad voluptatem, natura, quæ delectatur, & obiectum delectabile. Si naturalicetur obiectum iam non delectat, quia non est obiectum, sed natura, ideo tales mutationes requiruntur, ut immutetur potentia. Idcirco delectatur visus in prima visione obiecti pulchri, si verò assuefiat tali obiecto multo minus gaudet: delectatur olfactus prima evaporatione boni odoris: si verò assuescat ei, non solùm ferè non delectatur, sed etiam vix persentit odorem illum suavissimum. Voluptas ergo risus requirit immutationem appetitus sensitivi. Quibus positis.

SIT conclusio. Novitas delectabilis, ut constat ex definitione risus eius est causa. Probatur, quia gaudium solũ ut inquit supradicta opinio non est causa risus, ut probavimus, & amplius confirmatur, nã id, quod in levioribus, & vulgaribus hominibus causat gaudium cum risu, in hominibus modestis circumspectis, & benè morigeratis generat gaudium, sed sine risu, quia quod est novitas levioribus, & supinis hominibus, nullatenus est hominibus cordatis. Neq; novitas sola generat risum, ut patet, debet ergo esse novitas delectabilis. Deducitur ex sacro contextu. Dixit enim Sara: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo. Quasi annunciaretur res nova amborum senectuti, cæterum delectabilis, qualis est progenies filiorum.

PORRO, quia delectamur non solum in causa risus, verum etiam in risu ipso opportuit, ut ad sensationem ap-

appetitus sensitivi boni sibi convenientis, moveatur ad prosecutionem illius, quo tempore subito, & affatim movetur sanguis, & spiritus, & irruit in musculos buccarum in quibus causat quandam titillationem, & consequẽter illam semi convulsionem in qua risus formaliter consistit.

OBIICIES primo, ex Fracastorio, & Vallesio; inter animalia solus homo ridet; ergo quia solus homo admiratur simul, & oblectatur: Ergo ab oblectatione, seu gaudio, & ab admiratione visus impellitur, seu quod idem est ab obiectis afferentibus gaudium, & admirationem.

RESPONDETVR negando consequentiam: non enim benè ex risu colligimus admirationem esse causam illius, neque absolutè inferimus admirationem esse in homine, quia adest risus sicuti, neque ex loquela, quæ soli homini inest, aut cogitatrice vi, aut incessu erecto capite deducimus admirationem. Ridet autem solus homo; quia cætera animalia idoneam ad ridendum conformationem, non habent organorum; hinc domesticos catulos videmus nobis occurrentes, & more suo lætas voces emittentes, aliaque gaudij signa ferentes, non tamen verè ridentes, quia natura ipsis, & alijs animalibus lætitiæ indicia hominis propria, non concessit, nec organorum constitutionem, quibus risus hominis propriùs exprimeretur.

OBIICIES secundò. Fatui, & pueri sunt ad risum procliviores, non ob aliam rationem; nisi quia fatui, & pueri faciliùs admirantur, quam sanæ mentis homines, & adultiores: est igitur admiratio risus causa. Respondetur facilius ridere fatuos, & pueros, nõ ob admirationem, ut putat obiectio, sed quia ob minorem experientiam, quam habent de rebus, plures res delectabiles sunt illis novæ, quæ viris serijs, & doctis non sunt: & plures res novæ sunt illis delectabiles, quoniam mentem habent

curis solutam,& desidiosam,quæ viris expertis,& serijs, non apparent delectabiles, qui attentius considerant finem,& naturam caducam illarum.

CVR autem rideant morientes ex septo transverso vulnerato, aliud problema est difficile. Aliqui dicunt ex diaphragmatis calfactione provenire risum, quam opinionem tribuunt Aristoteli, loco citato, 3. de part. animal. cap. 10. sed falsum est; nam in febribus omnibus recipit diaphragma calfactionem, in quibus tamen risus, non movetur. Præterea in casu vulneris, quæcumque ponatur in phrenibus intemperies, sivé calida, sivé frigida, sivè alia, ea præternaturalis est,& dolorifica, est enim ex vulneris occasione, non igitur risum, sed fletum potius debet concitare.

ALII dicũt inter quos est Caserta, quod risus ex phrenibus vulneratis fit ex falsa, & delira mentis oblectatione. Hoc est vulnerato diaphragmate cõtingit delirare homines eo delirio, quo pulchra,& delectabilia, ac iucunda delirãti menti repræsententur, quæ ad ridendum moveant. Sed hæc opinio parũ verosimilis est. Nullã enim reddit causam risus in vulneratis. Quãvis enim verũ sit, quod detur cõnexio inter vulnus, aut inflãmationem septi, & deliriũ, quia propter maximam cõmunionem, quam habet hæc pars cũ cerebro trahit illud in consensum: tũ ratione plurium nervorũ, tum ratióne motus cõtinui. Cęterum, quod delirium fit cum risu, quãvis experiatur causa tamen, nõ redditur ab hac opinione. Dumtaxat enim communicantur cerebro vapores calidi,& inflammatorij; sed ex hoc non sequitur, quod sint voluptuosi; nam omnia deliria habẽt vapores calidos in quibus nõ datur risus. Præterea, nam argumentũ secundúm, quo impugnatur prima opinio impugnat,& hãc nimirum quælibet intemperies subsecuta ad vulnus dolorifica est, ac proinde potiùs doloris quam voluptatis productiva.

SIT

SIT conclusio. Risus ex septi transversi vulnere fit ex titillatu spiritus, & sanguinis. Probatur nam in superioribus ostendimus, quod in generatione risus subito, & affatim movetur sanguis & spiritus, & irruit in musculor buccarum, in quibus causat quandã titillationem, & consequẽtur semi convulsionẽ. Ex quibus infertur, quod in risu regulariter loquendo irruenter moventur spiritus, & sanguis à corde tanquã à principio, & talis motus habet expirationem concõmittantem, ut patet, nã inspiratione cohibemus risum, & expiratione profusiorem illum emittimus. Atque ita in magno risu spiritus, & sanguis moventur per totum thoracem, & organa respirationis, nam, ut diximus in magno risu hypocondria dolent, & illia. Et cum diaphragma tegatur pleura, & terminet pectus, ad ipsum etiam perveniunt spiritus, & sanguis, & in eo quandam voluptuosam titillationem causant. Quoniam ergo assuetum est septum confluxui spirituum, & titillationi; proinde in vulnere cum aliàs etiã confluant, ex consuetudine patitur titillationem, & per sympathiã excitatur risus. Nescio an arrideat omnibus huius de risu problematis solutio, Mihi sanè probabilior visa est.

SED obijcies primò. Quia ex hac opinione ponitur diaphragma organum titillatus, quod falsum apparet, nam organum titillatus est caro, quælibet delicatiori mollitie, & sensu prædita, quæ ubi leviter fuerit contrectata titillatur, & convellitur quodadmodo. Hinc axillæ, hinc latera, & plantæ pedum titillatu sunt præditæ. Respondetur, quod quælibet pars delicata, & sensu prædita potest pati titillationem, si leviter fuerit cõtrectata; proinde diaphragma, quia maximo pollet sensu potest ab spiritibus, & sanguinis arterialis tenuiori portione titillari. Quod autem spiritus possint efficere titillationem mirum non est cum leviter pungant,

& ſint impetum facientes. Cōſtat hoc in ſtupore in quo ſenſus formicarum percipitur ab ſpiritibus. In ſpaſmo non proporcionato ad materiam dicto (calambre) obſervatur, titillatio ab ſpiritibus penetrare non omnino potentibus. Denique in extremo veneris, quo maior fuerit confluentia ſpirituum, tanto maior titillatio perſentitur in partibus genitalibus.

OBIICIES ſecundo. Nam ſequeretur; etiam plantis pedum, vel axillis vulneratis, non ſecus, ac ſepto tranſverſo ſauciato debere, vel poſſe ridere homines; quod eſt contra experientiam. Reſpondetur, quod huiuſmodi partes, non ſemper titillantur in riſu, ſed cum leviter fuerint contrectatæ. Contra verò diaphragma in omni riſu titillatur, quia, ut diximus riſus habet commitem expirationem, & inſpirationem ſi repetatur. Hoc autem adeo eſt verum, ut quiſq; in ſe experiri poteſt, ut eo inſtanti, in quo ſemi convelluntur muſculi buccarum fiat reberberatio, & reflexio riſus, ſeu potiùs calidi influentis infundo pectoris ad regionem diaphragmatis. Ac proinde in nullius partis vulnere, ſeu inflammatione contingit riſus, niſi in vulnere, ſeu inflammatione diaphragmatis.

OBIICIES tertiò. Titillantur partes, ex blanda contrectatione, & delectabili, quæ idcirco ad riſum impellit, ſed vulnus, & inciſſio eſt cauſa doloris non blandæ contrectationis, & delectabilis, nō igitur in ſepto tranſverſo põteſt vulnus titillatum efficere. Reſpondetur, quod in vulnere ſepti tranſverſi, ſeu inflammatione, non cauſat riſum confluxus dolorificus, & inflammatorius, quia hic, ut benè aſtruit obiectio, non eſt voluptuoſus, ſed dolorificus, ſed confluxus calidi influentis, ſanguinis, nempè, & ſpiritus, qui ex conſuetudine confluendi ad talem partem in riſu omni, cōfluit etiam in vulnere ad levem occaſionem, & per ſympatiam excitat riſum.

SIT

SIT iam primum corrollarium pro intelligentia philosophica textus. Risus Abrahæ irreprehensibilis fuit. Primò, quia non subijt angeli reprehensionem. Secundò, quia inquit D. Augustinus lib. 19. de civitate cap. 26. Risus Abrahæ exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis. Tandem deducitur ex contextu physicè. Quia ex modestia cohibuit risum ne nimis profunderetur, ait enim sacra pagina: Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo. Diximus verò, quod calidum influens in risu irruit ex corde in musculos faciei: ex casu verò Abrahæ in facie facta fuit compressione repulsio calidi in cor, quia claudendo os, & comprimendo faciem solemus risum cohibere, & ideo risit in corde. Modestia autem hæc digna fuit Abrahæ, quia, ut inquit Ecclesiasticus cap. 21. Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit.

SECVNDVM corollarium. Risus Saræ fuit reprehensibilis, & non immunis à culpa diffidentiæ. Etenim quamvis D. Ambrosius dicat, quod talis risus potius fuit representatio mysterij, ita enim ait: risit nesciens, quid rideret, quod in Isaac esset paritura lætitiam, omnes tamen alij sancti risum taxant: Et deducitur physicè ex contextu, præter id, quod angelus illum reprehendit; nam risus in solitario loco arguit maiorem causam, & maiorem profusionem, dicimus enim ad ponderandam causam. (*A mis solas me reia.*) Nam in societate risus facilior est ob sympathiam, & ideo ait Sara cap. 21. sequenti Genes. Risum fecit mihi Dominus, quicumque audierit corridebit mihi. Sara verò risit solitariè, quia ut inquit textus. Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi: vel ut alia lectio habet, *risit occulte*: risit ergo diversimodé, ac Abraham.

TERTIVM corollarium. Risus Abrahæ, & Saræ conduxit naturaliter ad conceptionem subsecuturam. Nam quamvis mirabilissima fuit Saræ fœtura, Deus non derogat


gat legibus naturæ, sed utitur etiam causis secundis, ad faciendda mirabilia. Quamobrem horum patrum risus induxit in sanguine alacritatem, & spiritus vivificavit, ut ex hac parte suaviter sequeretur mirabilis, & portentosa conceptio media hac dispositione, & alijs, nimirum maritalibus amplexibus. Hoc enim insinuavit Sara, cum dixit: Postquam consenvi, & dominus meus vetulus est voluptati operam dabo. Quod autem risus possit vivificare sanguinem, & spiritum certum est; nam Philosophus Cratylus, qui toto vitæ tempore flevit, vix attigit sexagesimum annum. Democritus verò qui frequentissimè ridebat, ad centum, & viginti annos vitam produxit. Ego novi quartanarium, qui tempore accesionis solicitabat titillationē factam á servo sub axillis, & partibus, qui referebat, quod quamvis ridebat invitus, nihilominus melius habebat & paroxismus erat minor. Et hæc de littera textus.



CAPVT

CAPVT IIII.

IGITVR Dominus pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur, & ignem à Domino de cælo. Genes. *cap.* 19.



D Lucem huius ignis aggredimur discutiendã (relictis alijs, quæ de hoc elemento excitari possunt) controversiam de sphera ignis ne putet aliquis cum Strabone in sua Geografia ignem hunc qui absumpsit Sodomitas elementarem fuisse, & à cælo cui proximam volunt, pleriq; spherã descendisse.

IN qua re post habita Pythagoricorum sententia, qui dixerunt ignem naturaliter collocatum fuisse in centro mundi, cuius fecit mentionem Aristo. 2. cæli. cap. 13. non defuerunt philosophi, & medici, qui dixerunt propriam spheram, & locum naturalem ignis, non esse iuxta cælũ, nec esse alium ignem præter illum, qui per hæc inferiora dispersus est. Ita Cardanus lib. de subtilitate Vallesius 4. meteoro, cap. 4. & de sacra philosophia, cap. 1. & Segarra lib. de natura humana, cap. 37. Probãt auctoritate Hyppocratis lib. de flatibus, ubi inquit, quod inter cælum, & terram est id omne aere plenum est, ubi negat ignis spherã.

PROBANT etiã rationibus. Prima est quia nõ est cur tãta moles circa cęlũ, sine aliquo fundamẽto ponatur, nullũ autem est: neque sensu visus, aut aliquo alio diiudicari potest, si autem esset calore, aut luce se manifestaret. Secũda: quia si ibi esset, cũ maxima activitate polleat brevi tẽpore omnia inferiora cõsumeret, & cõbureret. Simili argumẽto utitur Arist. 2. de cælo, cap. 7. ad probandũ cælestia corpore nõ esse ignea, quia iã multo ante tẽpore omnia inferiora essent consũpta, siquidẽ ignis iste inferior, quæ sibi

aproxi-

aproximata sunt comburit. Tertia quia non est aliquis usus eius si ibi ponatur, nam neque est ad generationem mixtorum, siquidem non est modus, quo ad hæc inferiora perveniat, ut cum alijs miscibilibus congrediatur: neque ad calfacienda hæc inferiora, quia ad hunc usum iste inferior, ignis sufficit, & qui producitur à sole.

QVARTA ratio, si ille esset locus naturalis ignis, ad illũ moveretur secundum naturam, hoc est falsum, probatur quia alias secum deferret ignita corpora intra quæ continetur. Ostendunt quia non aliter lignum super aquam est, nisi quia aerem continet intra poros, qui naturaliter collocatur supra aquam; ergo cum ferrum, & ligna contineat ignem intra poros si prope cælum est locus naturalis eius ad illum movebitur, & ea corpora secum deferret, quod est contra experientiam.

QVINTO probant, quia ignis nõ perseverat citra corruptionem, nisi habeat materiam in qua foveatur: quod præter quam quod constat experimento, scribit Hyppocrates ita lib. 1. de dieta. Hanc ob causam sano igni, quidẽ ubi ad extremitatem aquæ pervenerit (idest ubi humiditas consumpta est, & deficit alimentum) evanescit ignis cum ventum est ad cineres; at verò iuxta cælum, non est materia aliqua qua foveatur, ergo, &c.

VLTIMA ratio, quia si daretur maximé colligeretur, ex naturali motu ipsius, sed hoc non ergo. Probatur minor, nam in subterraneis sunt ignes, qui ad supremum locum non ascendunt.

SECVNDA opinio communis est asserentium ignis propriam spheram contineri, iuxta cælum inter concavum lunæ, & superficiem superiorem aeris. Ita fere omnes philosophi. Plura loca Aristotelis adducuntur pro hac opinione, quæ nostra in sententiam confirmabunt, ut patebit postea. Rationes autem aliquæ adducuntur, quę dumtaxat probant dari ignem in rerum natur-

nibus conceditur. Dicunt enim concessa aqua necessario debere concedi ignem qui contrarius est, nam ut inquit Sacra Scriptura Ecclesiastici 33. & sic intueri in omnia opera altissimi duo contra duo, & unum contra unum. Sed hoc non negatur, sed quod detur iuxta cælum sphera propria separata à quovis alio elemento.

PROBANT primo ex motu sursum simpliciter, nam talis datur in universo, ergo debet convenire alicui corpori secundum naturam, nulli autem nisi igni; ergo. Eodem argumento usus fuit Aristoteles ad probandum dari quintum corpus diversum à quatuor elementis, lib. 1. cæli cap. 2.

SECVNDO quia non videtur magis naturæ repugnans dari talem ignis spheram determinatam, quam aliorum elementorum nam dicat quis, cur alia habent secundum se tota proprium, & determinatum locum non veró ignis.

TERTIO probant quia constitui in propria sphera conducit, maximè ad perpetuam conservationem ipsius, quia si per partes esset dispersus, facile à magna mole aliorum currumperetur, quæ sunt contraria, aut tenentur dicere ipsum esse incorruptibile. Neque obstat inquiunt contra hanc rationem quod obijci solet ex Aristotel. lib. 1. cæli cap. 12. asserente; omne corruptibile aliquando corrumpetur, ille autem ignis non corrumperetur, quia ibi existenti non accedit aliquod contrarium. Respondetur totum non corrumpi, sed partes eius, si autem mundus duraret in æternum, non esset aliqua pars, quæ nõ corrumperetur, nam probabile est nullam partem duraturam ita proximam cælo, ut ab illo loco non distraheretur; posset enim impelli, & resistente cælo discedere.

QVARTO quia nullum corpus simplex eorum, quæ cognovit Aristoteles datur cui non conveniat, aliquis motus secundum naturam, habet ergo ignis, & ex consequēti virtutem motivam naturalem, & locum naturalem, nullus autem est præter cælum, ergo intentum. Explicatur hæc ratio, quia quærunt cur alia elementa habent virtutem motivam, quæ sequitur primas qualitates naturales eorum, non verò ignis, præsertim cum habeat contraria a quibus corrumpi possit.

QVINTO ignis movetur naturaliter supra aerem; ergo locus eius est iuxta cælum; consequentia patet, quia nullus alter locus supra aerem potest excogitari. Probatur antecedens, quia flamma movetur naturaliter supra aerē sursum; ergo habet locum naturalem supra aerem: ergo totus ignis quia eadem ratio est totuis, & partis. Sed dices talem motum non esse ex levitate ignis, sed materiæ cuius est, ut fumi ad cuius motum sursum ascendit. Sed contra, quia ignis in pulvere tormentario brevi tempore incenditur, & sursum movetur, licet in materia existat; ergo illa non est sufficiens solutio, si enim propter motū materiæ, esset deorsum iste de quo est sermo, non ita materia, præsertim quod experimento constat flammam cælerius moveri sursum, quàm fumum extinctum, & tā magna vi ut corpus grave secumferat, quod non facit fumus.

DICES ex sententia recentiorum ignem, scilicet, qui propæ cælum est tantum esse levem, nostrum verò inferiorem descēdere, & habere gravitatem naturaliter; quod probant ex eo quod Galenus dixerit, lib. de usu respirationis naturaliter deorsum vergere, ut alimento fruatur. Sed hoc falsum est cum enim sit ignis iste eiusdem speciei, & substantialiter corpus simplex, non potest habere aliam virtutem motivam specie naturaliter quam illa; neque est ille motus localis deorsum qui versus alimentum videtur,

tur, sed generatio quædam substantialis versus locum inferiorem, quo alimentum applicatur fuerit, quæ similiter ab igne elementali.

SIT iam nostra conclusio. Sphera ignis non solum comprehendit locum inter superficiem aeris, & concavum Lunæ, sed etiam omnia hæc inferiora. Hæc conclusio duas habet partes. Prima est inter superficiem aeris, & Lunam dari ignem. Secunda etiam in his inferioribus ubi contingunt generationes, & corruptiones. Prima pars est contra primam opinionem. Secunda verò contra secundam.

PROBATVR prima primo, auctoritate Aristoteles 3. de generatione animal. cap. 11. dicentis. Quartum genus nō in his locis, quærendum est quanquam aliquid esse erigat ordine ignis, id enim quartum corpus enumeratur; verū ignis formam non propriam habere videtur; sed in alio corpore, aut enim aer, aut fumus, aut terra esse videtur, quod ignitum est, sed enim genus hoc apud Lunam quærendum est, hæc enim quartam illam distantiam adipisci videtur. Et 4. physico, cap. 5. tex. 46. assignans singulis elementis loca naturalia ait: ob hoc quidem terra quidem in aqua est hic verò in aere, hic in æthere, æther in cœlo cœlū autem non in alio est, ubi nomine ætheris intelligit ignem ut patet. Et 4. cæli tex. 23. cap. 3. ubi simplicia corpora contigua esse affirmat, ut terram aquæ, aquam aeri, & hunc igni. Secundo probatur omnibus rationibus adductis pro secunda opinione. Absurdum etiam esset dicere aerem occupare totum spatium inter nos, & cælum.

TERTIO, nam quæmadmodum prima, & secunda regio aeris sunt violentatæ, tertia verò iam est purior, & calida, & humida iuxta propriam naturam; ita etiam suprema pars regionis ignis saltem debet esse extra violentiā, & purior, hæc autem procul dubio est quæ cælum contingit. Quod autem prima, & secunda regio aeris violentiā subeant patet concessum ab omnibus, sunt enim frigidæ:

con-

contra propriam naturam aeris qui calidus eſt, vel in ſummo.vel prope. Hanc autem violentiam patiuntur à vaporibus aquæ,tanquam á cauſa efficienti,& ab inferiorum generatione,tanquam à finali. Meritò enim auctor naturæ eas ita temperavit, ut ſubſequerentur generationes,tum animalium,tum meteororum pluviæ,nivis,grãdinis,roris.

SED reſpondeamus obiectionibus contra primam partem concluſionis. Ad locum Hyppocratis lib. de flatibus dicimus non intellexiſſe aere eſſe plenum ſpatium inter cælum,& terram,ſed vel igne,vel eius nutrimento,ſcripſit enim paulò infra: etenim igni ſpiritus nutrimentum præbet. Atque ſpiritu non aere replere ſpatium affirmat.

AD priorem rationem reſpondetur, quod ob nimiam raritatem calor,neque lux eius ignis ſupremi ad nos pervenit,atque ita ſenſibus non eſt manifeſtus locus, ſed rationi. Hoc intellexit Sanctus Thomas 1.p.q.66.art.1.ad 2.quando ait ignem non eſſe lucidum, neque enim vult luce carere in ſe,ſed non ita ibi eſſe talem, ut videri á nobis poſsit.

AD ſecundam rationem communiter reſpondetur,negando illum ignem poſſe aerem totum conſumere, quia reſiſtit per humiditatem. Alij addunt peculiarem concurſum aſtrorum influentium, quibus incumbit elementa, prout conducunt ad perfectionem univerſi conſervare. Hanc doctrinam docet D.Thom.quæſt.5. de malo, artic. 1.ad 6.ubi ait: Quod ita ſunt contrariæ qualitates in corpore mixto,ſicut ſunt contraria elementa in mundo, & ſicut contraria elementa non ſe invicem corrumpunt, quia conſervantur per virtutem corporis cæleſtis, à quo actiones eorum regulantur, ita contrariæ qualitates in corpore mixto, &c. Eandem doctrinam repetit in 2. diſt. 19.quæſt.unic.art.2.ad 2.

SED reſpondetur ignem per ſe purum elementarem

non

non comburere, ob maximam eius tenuitatem, nam si papyrus, vel pannus aquâ vitæ quã ardentẽ vocant imbutus accendatur in ignẽ, non cõburit talis ignis pannum, nec papyrum propter tenuitatem, dũmodo aqua vitę fina fuerit, cuius bonitas hoc esse indiciũ omnes affirmant. Igitur si huiusmodi ignis inferior, qui potius est aër accẽsus non cõburit materiam cui inhæret, multo minus verus ignis purus qualis iuxta Lunã reperitur, qui tenuior est. Quod autẽ tenuitas obstet ad combustionẽ patet, quia è contrario materia inferiorum accensa, quo magis crassa, & dẽsa fuerit, magis urit, ut ferrum, quod quidem adhuc nõ candens, quando amittit splendorem, & videtur, quod in eo omnino deficiat vestigium ignis, & dumtaxat sit calor, cõburit stupam tenuem. Atque ita talis effectus, non tam procedit ab igne quam à re accensa.

AD tertiam rationem respondet Peramatus, lib. de elemen. Ignem illum adhuc in propria sphera constitutum esse propter generationem mixtorum necessariam, in quantum potest vi aliqua eius pars ad hæc inferiora moveri. Sed si dũtaxat esset circũscriptus inter superficiem aëris, & cęli difficulter vis eius penetraret per secundam, & primam aëris regionem frigidã. Alij dicunt fuisse necessariam eius productionem, ut occuparet regionẽ superiorem, & locum iuxta cęlum, qui à nullo alio poterat. Satis congruens responsio hæc sicut ea, quæ petitur, ex perfectione, & pulchritudine universi. Absurda verò possitio diceutiũ, differre hunc ignẽ ab inferiori, quod superior, ita necessarius est ad mixtionẽ, ut congreget ætherogenea cogatq; in mixtione existere, inferior iste minimè, quia potius disgregat, & miscibilia separat; etenim diversi speciei huiusmodi effectus, non possunt attribui uni, & eidem igni. Sed cũm ignis sphera dilatetur per hęc inferiora, ut docet secunda pars nostræ conclusionis, nullam vim habet tertium hoc argumentum contra eam.

QVARTA ratio, vim habet maximam adversus claudentes ignem inter supremum aërem, & cœlũ, & pro nostra facit conclusione; atque ita debemus expendere respõsionem, quam illi præbent, & eam impugnare, & vim addere rationi. Respondẽt aliqui, quod ignis inclusus in rebus accensis, ut ferro, ligno carbone non fert secum illa corpora ignita, quia hæc sua gravitate sunt potentiora ad trahendum ignem deorsum quam, ut trahatur sursum ab illo, ideoque resistant motui isti: contra veró contingit in ligno respectu aëris inclusi.

SED nõ satisfacit responsio; quia maioris activitatis est ignis levissimus, & potest resistere motui deorsum. Alij respondent, quod ignis ibi existens nõ habet totam suam naturalem levitatem, sed habet gravitatem contra naturã communicatam per contrarias qualitates ab ipsis corporibus includentibus.

SED contra, quia, ut benè notat Vallesius, gravitas, & levitas non sunt qualitates, sed propensiones quædã, quibus appetunt elementa situs naturales. Quin etiã debébant rationem reddere, cur ligna cũ habeant pondus terrestræ ab hoc non trahuntur deorsum, nec ẽst potẽtius, sed potius debilius partibus aëreis, quæ super aquas innatare faciunt ligna. Deinde cur habeat naturalẽ suam levitatem portio aërea in ligno, & à partibus terrestribus non communicetur per contrarias qualitates gravitas contra naturam. Et idem dicendum in gelu, quod propter aërẽ inclusum aquas supernatat. Et in oleo, quod propter aëreas portiones summas petit aquas. Atque cum horũ problematum nullam reddant rationem, sitq; ignis maioris activitatis & levitatis nulla est responsio argumenti.

AD quintam rationem dicitur istum nostrum ignẽ inferiorem indigere ad suam conservationem substantia, quæ appellatur pabulum: nõ veró alterum, qui iuxta cęlũ existit, quia in his inferioribus sunt contraria aquibus pos-

possit corrumpi, & prævalenti illo deficiente, non verò dũ est in proprio loco.

VLTIMVM argumentũ non est contra nostrã cõclusione, quia, ut asserit secũda pars illius, quam mox probabimus, omnia hæc inferiora comprehendit sphera ignis.

SECVNDA pars conclusionis asserit spheram ignis dilatari, usque ad inferiora, ubi contingunt generationes. Hæc pars deducitur ex Aristotele 1. meteororum cap. 3. ubi ait: Ergo in medio, & circa medium id habetur, quod gravissimum, atque frigidissimum, idemque discretũ est terram dico, & aquam, sed circum hæc, & illa, quæ eiusdẽ ipsis proxima coherent, tum aërem, tum id, quod ex consuetudine ignem vocamus poni affirmamus ignis tamen non est, cum ille sit caloris redundantia, & quasi fervor quidam. Ecce Aristoteles circum terram, & aquam situari ignem affirmat.

SECVNDO probatur, quia si aqua (ut pleriq; affirmant) decies maior est quam terra, & aër decies quam aqua, cõsequenter ignis decies maior erit quam aër. Qua possita Hypothesi inter supremum aërem, & cœlum non datur locus capax totius ignis. Patet probatione matematica, quia iuxta Cardanum, & Astronomos cœlũ Lunæ non distat á nobis, nisi sex millia leucarũ, linea verò diametralis terræ cõstat duobus millibus leucarũ: ergo non superest duobus elementis multo maioribus, iuxta hanc proportionem matematicam locus sufficiens.

TERTIO, quia alij Astronomi cometas generari volũt in suprema aëris regione; Alij recẽtiores supra Lunã: ergo si in medio datur sphera ignis tota, omniũ elemẽtorũ lõgè amplissima; vel illi crassissimè errabãt, nimis infimè locãdo cometas: vel hi nimis superne assignãdo generationẽ illorũ. Igitur quãvis iuxta Lunã sit ignis, cęterũ nõ circũscriptus, ut tota eius sphera non extendatur ad hæc inferiora.

QVARTO, quia ex motu ignescit aër, & generatur flã-


gat legibus naturæ, sed utitur etiam causis secundis, ad facienda mirabilia. Quamobrem horum patrum risus induxit in sanguine alacritatem, & spiritus vivificavit, ut ex hac parte suaviter sequeretur mirabilis, & portentosa conceptio media hac dispositione, & alijs, nimirum maritalibus amplexibus. Hoc enim insinuavit Sara, cum dixit: Postquam consenvi, & dominus meus vetulus est voluptati operam dabo. Quod autem risus possit vivificare sanguinem, & spiritum certum est; nam Philosophus Cratylus, qui toto vitæ tempore flevit, vix attigit sexagesimum annum. Democritus verò qui frequentissimè ridebat, ad centum, & viginti annos vitam produxit. Ego novi quartanarium, qui tempore accessionis solicitabat titillationē factam á servo sub axillis, & partibus, qui referebat, quod quamvis ridebat invitus, nihilominus melius habebat & paroxismus erat minor. Et hæc de littera textus.



CAPVT

CAPVT IIII.

IGITVR Dominus pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur, & ignem à Domino de cælo. Genes. *cap.* 19.

D Lucem huius ignis aggredimur discutiendã (relictis alijs, quæ de hoc elemento excitari possunt) controversiam de sphera ignis ne putet aliquis cum Strabone in sua Geografia ignem hunc qui absumpsit Sodomitas elementarem fuisse, & à cælo cui proximam volunt, pleriq; spherã descendisse.

IN qua re post habita Pythagoricorum sententia, qui dixerunt ignem naturaliter collocatum fuisse in centro mundi, cuius fecit mentionem Aristo. 2. cæli. cap. 13. non defuerunt philosophi, & medici, qui dixerunt propriam spheram, & locum naturalem ignis, non esse iuxta cælũ, nec esse alium ignem præter illum, qui per hæc inferiora dispersus est. Ita Cardanus lib. de subtilitate. Vallesius 4. meteoro, cap. 4. & de sacra philosophia, cap. 1. & Segarra lib. de natura humana, cap. 37. Probãt auctoritate Hyppocratis lib. de flatibus, ubi inquit, quod inter cælum, & terram est id omne aere plenum est, ubi negat ignis spherã.

PROBANT etiã rationibus. Prima est quia nõ est cur tãta moles circa cęlũ, sine aliquo fundamẽto ponatur, nullũ autem est: neque sensu visus, aut aliquo alio diiudicari potest, si autem esset calore, aut luce se manifestaret. Secũda: quia si ibi esset, cũ maxima activitate polleat brevi tẽpore omnia inferiora cõsumeret, & cõbureret. Simili argumẽto utitur Arist. 2. de cælo, cap. 7. ad probandũ cælestia corpore nõ esse ignea, quia iã multo ante tẽpore omnia inferiora essent consũpta, siquidẽ ignis iste inferior, quæ sibi

aproxi-

aproximata sunt comburit. Tertia quia non est aliquis usus eius si ibi ponatur, nam neque est ad generationem mixtorum, siquidem non est modus, quo ad hæc inferiora perveniat, ut cum alijs miscibilibus congrediatur: neque ad calfacienda hæc inferiora, quia ad hunc usum iste inferior, ignis sufficit, & qui producitur à sole.

QVARTA ratio, si ille esset locus naturalis ignis, ad illũ moveretur secundum naturam, hoc est falsum, probatur quia alias secum deferret ignita corpora intra quæ continetur. Ostendunt quia non aliter lignum super aquam est, nisi quia aerem continet intra poros, qui naturaliter collocatur supra aquam; ergo cum ferrum, & ligna contineat ignem intra poros si prope cælum est locus naturalis eius ad illum movebitur, & ea corpora secum deferet, quod est contra experientiam.

QVINTO probant, quia ignis nõ perseverat citra corruptionem, nisi habeat materiam in qua foveatur: quod præter quam quod constat experimento, scribit Hyppocrates ita lib. 1. de dieta. Hanc ob causam sano igni, quidẽ ubi ad extremitatem aquæ pervenerit (idest ubi humiditas consumpta est, & deficit alimentum) evanescit ignis cum ventum est ad cineres; at verò iuxta cælum, non est materia aliqua qua foveatur, ergo, &c.

VLTIMA ratio, quia si daretur maximé colligeretur, ex naturali motu ipsius, sed hoc non ergo. Probatur minor, nam in subterraneis sunt ignes, qui ad supremum locum non ascendunt.

SECVNDA opinio communis est asserentium ignis propriam spheram contineri, iuxta cælum inter concavum lunæ, & superficiem superiorem aeris. Ita fere omnes philosophi. Plura loca Aristotelis adducuntur pro hac opinione, quæ nostra in sententiam confirmabunt, ut patebit postea. Rationes autem aliquæ adducuntur, quę dumtaxat probant dari ignem in rerum natura, quod ab omnibus

nibus conceditur. Dicunt enim concessa aqua necessario debere concedi ignem qui contrarius est, nam ut inquit Sacra Scriptura Ecclesiastici 33. & sic intueri in omnia opera altissimi duo contra duo, & unum contra unum. Sed hoc non negatur, sed quod detur iuxta cælum sphera propria separata à quovis alio elemento.

PROBANT primo ex motu sursum simpliciter, nam talis datur in universo, ergo debet convenire alicui corpori secundum naturam, nulli autem nisi igni; ergo. Eodem argumento usus fuit Aristoteles ad probandum dari quintum corpus diversum à quatuor elementis, lib. 1. cæli cap. 2.

SECVNDO quia non videtur magis naturæ repugnans dari talem ignis spheram determinatam, quam aliorum elementorum nam dicat quis, cur alia habent secundum se tota proprium, & determinatum locum non veró ignis.

TERTIO probant quia constitui in propria sphera conducit, maximè ad perpetuam conservationem ipsius, quia si per partes esset dispersus, facile à magna mole aliorum currumperetur, quæ sunt contraria, aut tenentur dicere ipsum esse incorruptibile. Neque obstat inquiunt contra hanc rationem quod obijci solet ex Aristotel. lib. 1. cæli cap. 12. asserente; omne corruptibile aliquando corrumpetur, ille autem ignis non corrumperetur, quia ibi existenti non accedit aliquod contrarium. Respondetur totum non corrumpi, sed partes eius, si autem mundus duraret in æternum, non esset aliqua pars, quæ nō corrumperetur, nam probabile est nullam partem duraturam ita proximam cælo, ut ab illo loco non distraheretur; posset enim impelli, & resistente cælo discedere.

QVARTO

QVARTO quia nullum corpus simplex eorum, quæ cognovit Aristoteles datur cui non conveniat, aliquis motus secundum naturam, habet ergo ignis, & ex consequēti virtutem motivam naturalem, & locum naturalem, nullus autem est præter cælum, ergo intentum. Explicatur hæc ratio, quia quærunt cur alia elementa habent virtutem motivam, quæ sequitur primas qualitates naturales eorum, non verò ignis, præsertim cum habeat contraria aquibus corrumpi posit.

QVINTO ignis movetur naturaliter supra aerem; ergo locus eius est iuxta cælum; consequentia patet, quia nullus alter locus supra aerem potest ex cogitari. Probatur antecedens, quia flamma movetur naturaliter supra aerē sursum; ergo habet locum naturalem supra aerem: ergo totus ignis quia eadem ratio est totuis, & partis. Sed dices talem motum non esse ex levitate ignis, sed materiæ cuius est, ut fumi ad cuius motum sursum ascendit. Sed contra, quia ignis in pulvere tormentario brevi tempore incenditur, & sursum movetur, licet in materia existat; ergo illa non est sufficiens solutio, si enim propter motū materiæ, esset deorsum iste de quo est sermo, non ita materia, præsertim quod experimento constat flammam cælerius moveri sursum, quam fumum extinctum, & tā magna vi ut corpus grave secumferat, quod non facit fumus.

DICES ex sententia recentiorum ignem, scilicet, qui propæ cælum est tantum esse levem, nostrum verò inferiorem descēdere, & habere gravitatem naturaliter; quod probant ex eo quod Galenus dixerit, lib. de usu respirationis naturaliter deorsum vergere, ut alimento fruatur. Sed hoc falsum est cum enim sit ignis iste eiusdem speciei, & substantialiter corpus simplex, non potest habere aliam virtutem motivam specie naturaliter quam illa; neque est ilic motus localis deorsum qui versus alimentum videtur,

tur, sed generatio quædam substantialis versus locum inferiorem, quo alimentum applicatur fuerit, quæ similiter ab igne elementali.

SIT iam nostra conclusio. Sphera ignis non solum comprehendit locum inter superficiem aeris, & concavum Lunæ, sed etiam omnia hæc inferiora. Hæc conclusio duas habet partes. Prima est inter superficiem aeris, & Lunam dari ignem. Secunda etiam in his inferioribus ubi contingunt generationes, & corruptiones. Prima pars est contra primam opinionem. Secunda verò contra secundam.

PROBATVR prima primo, auctoritate Aristoteles 3. de generatione animal. cap. 11. dicentis. Quartum genus nõ in his locis, quærendum est quanquam aliquid esse erigat ordine ignis, id enim quartum corpus enumeratur; verũ ignis formam non propriam habere videtur; sed in alio corpore, aut enim aer, aut fumus, aut terra esse videtur, quod ignitum est, sed enim genus hoc apud Lunam quærendum est; hæc enim quartam illam distantiam adipisci videtur. Et 4. physico, cap. 5. tex. 46. assignans singulis elementis loca naturalia ait: ob hoc quidem terra quidem in aqua est hic verò in aere, hic in æthere, æther in celo cælũ autem non in alio est, ubi nomine ætheris intelligit ignem ut patet. Et 4. cæli tex. 23 cap. 3. ubi simplicia corpora contigua esse affirmat, ut terram aquæ, aquam aeri, & hunc igni. Secundo probatur omnibus rationibus adductis pro secunda opinione. Absurdum etiam esset dicere aerem occupare totum spatium inter nos, & cælum.

TERTIO, nam quæmadmodum prima, & secunda regio aeris sunt violentatæ, tertia verò iam est purior, & calida, & humida iuxta propriam naturam; ita etiam suprema pars regionis ignis saltem debet esse extra violentiã, & purior, hæc autem procul dubio est quæ cælum contingit. Quod autem prima, & secunda regio aeris violentiã subeant patet concessum ab omnibus, sunt enim frigidæ con-

contra propriam naturam aeris qui calidus est, vel in summo.vel prope. Hanc autem violentiam patiuntur à vaporibus aquæ,tanquam á causa efficienti,& ab inferiorum generatione,tanquam à finali. Meritò enim auctor naturæ eas ita temperavit, ut subsequerentur generationes,tum animalium,tum meteororum pluviæ,nivis,grãdinis,roris.

Sed respondeamus obiectionibus contra primam partem conclusionis. Ad locum Hyppocratis lib. de flatibus dicimus non intellexisse aere esse plenum spatium inter cælum,& terram,sed vel igne,vel eius nutrimento,scripsit enim paulò infra: etenim igni spiritus nutrimentum præbet. Atque spiritu non aere replere spatium affirmat.

Ad priorem rationem respondetur, quod ob nimiam raritatem calor,neque lux eius ignis supremi ad nos pervenit,atque ita sensibus non est manifestus locus, sed rationi. Hoc intellexit Sanctus Thomas 1.p.q.66.art.1.ad 2.quando ait ignem non esse lucidum, neque enim vult luce carere in se,sed non ita ibi esse talem, ut videri á nobis posfit.

Ad secundam rationem communiter respondetur,negando illum ignem posse aerem totum consumere, quia resistit per humiditatem. Alij addunt peculiarem concursum astrorum influentium, quibus incumbit elementa, prout conducunt ad perfectionem universi conservare. Hanc doctrinam docet D.Thom.quæst.5. de malo, artic. 1.ad 6.ubi ait: Quod ita sunt contrariæ qualitates in corpore mixto,sicut sunt contraria elementa in mundo, & sicut contraria elementa non se invicem corrumpunt, quia conservantur per virtutem corporis cælestis, à quo actiones eorum regulantur, ita contrariæ qualitates in corpore mixto, &c. Eandem doctrinam repetit in 2. dist. 19.quæst.unic.art.2.ad 2.

Sed respondetur ignem per se purum elementarem

non

non comburere,ob maximam eius tenuitatem,nam si papyrus,vel pannus aquâ vitæ quã ardentẽ vocant imbutus accendatur in ignẽ,non cõburit talis ignis pannum , nec papyrum propter tenuitatem,dũmodo aqua vitę fina fuerit,cuius bonitas hoc esse indiciũ omnes affirmant. Igitur si huiusmodi ignis inferior,qui potius est aër accẽsus non cõburit materiam cui inhæret, multo minus verus ignis purus qualis iuxta Lunã reperitur,qui tenuior est. Quod autẽ tenuitas obstet ad combustionẽ patet,quia è contrario materia inferiorum accensa,quo magis crassa,& dẽsa fuerit,magis urit,ut ferrum,quod quidem adhuc nõ candens,quando amittit splendorem,& videtur , quod in eo omnino deficiat vestigium ignis,& dumtaxat sit calor,cõburit stupam tenuem. Atque ita talis effectus , non tam procedit ab igne quam à re accensa.

AD tertiam rationem respondet Peramatus,lib.de elemen. Ignem illum adhuc in propria sphera constitutum esse propter generationem mixtorum necessariam , in quantum potest vi aliqua eius pars ad hæc inferiora moveri. Sed si dũtaxat esset circũscriptus inter superficiem aëris,& cęli difficulter vis eius penetraret per secundam,& primam aëris regionem frigidã. Alij dicunt fuisse necessariam eius productionem, ut occuparet regionẽ superiorem, & locum iuxta cęlum, qui à nullo alio poterat. Satis congruens responsio hæc sicut ea , quæ petitur , ex perfectione,& pulchritudine universi. Absurda verò possitio di centiũ,differre hunc ignẽ ab inferiori, quod superior, ita necessarius est ad mixtionẽ,ut congreget ætherogenea cogatq; in mixtione existere,inferior iste minimè,quia potius disgregat, & miscibilia separat;etenim diversi specie huiusmodi effectus,non possunt attribui uni,& eidem igni. Sed cum ignis sphera dilatetur per hęc inferiora,ut docet secunda pars nostræ conclusionis , nullam vim habet tertium hoc argumentum contra eam.

QVARTA ratio, vim habet maximam adversus claudentes ignem inter supremum aërem, & cælũ, & pro nostra facit conclusione; atque ita debemus expendere respõsionem, quam illi præbent, & eam impugnare, & vim addere rationi. Respondẽt aliqui, quod ignis inclusus in rebus accensis, ut ferro, ligno carbone non fert secum illa corpora ignita, quia hæc sua gravitate sunt potentiora ad trahendum ignem deorsum quam, ut trahatur sursum ab illo, ideoque resistant motui isti: contra veró contingit in ligno respectu aëris inclusi.

SED nõ satisfacit responsio; quia maioris activitatis est ignis levissimus, & potest resistere motui deorsum. Alij respondent, quod ignis ibi existens nõ habet totam suam naturalem levitatem, sed habet gravitatem cõtra naturã communicatam per contrarias qualitates ab ipsis corporibus includentibus.

SED contra, quia, ut benè notat Vallesius, gravitas, & levitas non sunt qualitates, sed propensiones quædã, quibus appetunt elementa situs naturales. Quin etiã debébant rationem reddere, cur ligna cũ habeant pondus terrestræ ab hoc non trahuntur deorsum, nec est potẽtius, sed potius debilius partibus aëreis, quæ super aquas innatare faciunt ligna. Deinde cur habeat naturalẽ suam levitatem portio aërea in ligno, & à partibus terrestribus non communicetur per contrarias qualitates gravitas contra naturam. Et idem dicendum in gelu, quod propter aërẽ inclusum aquas supernatat. Et in oleo, quod propter aëreas portiones summas petit aquas. Atque cum horũ problematum nullam reddant rationem, sitq; ignis maioris activitatis, & levitatis nulla est responsio argumenti.

AD quintam rationem dicitur istum nostrum ignẽ inferiorem indigere ad suam conservationem substantia, quæ appellatur pabulum: nõ verò alterum, qui iuxta cęlũ existit, quia in his inferioribus sunt contraria, a quibus pos-

possit corrumpi, & prævalent illo deficiente, non verò dũ est in proprio loco.

VLTIMVM argumentũ non est contra nostrã cõclusionẽ, quia, ut asserit secũda pars illius, quam mox probabimus, omnia hæc inferiora comprehendit sphera ignis.

SECVNDA pars conclusionis asserit spheram ignis dilatari, usque ad inferiora, ubi contingunt generationes. Hæc pars deducitur ex Aristotele 1. meteororum cap. 3. ubi ait: Ergo in medio, & circa medium id habetur, quod gravissimum, atque frigidissimum, idemque discretũ est terram dico, & aquam, sed circum hæc, & illa, quæ eiusdẽ ipsis proxima coherent, tum aërem, tum id, quod ex consuetudine ignem vocamus poni affirmamus ignis tamen non est, cum ille sit caloris redundantia, & quasi fervor quidam. Ecce Aristoteles circum terram, & aquam situari ignem affirmat.

SECVNDO probatur, quia si aqua (ut pleriq; affirmant) decies maior est quam terra, & aër decies quam aqua, cõsequenter ignis decies maior erit quam aër. Qua possita Hypothesi inter supremum aërem, & cęlum non datur locus capax totius ignis. Patet probatione matematica, quia iuxta Cardanum, & Astronomos cœlũ Lunæ non distat á nobis, nisi sex millia leucarũ, linea verò diametralis terræ cõstat duobus millibus leucarũ: ergo non superest duobus elementis multo maioribus, iuxta hanc proportionem matematicam locus sufficiens.

TERTIO, quia alij Astronomi cometas generari volũt in suprema aëris regione; Alij recẽtiores supra Lunã ergo si in medio datur sphera ignis tota, omniũ elemẽtorũ lõgè amplissima; vel illi crassissimè errabãt, nimis infimè locãdo cometas: vel hi nimis superne assignãdo generationẽ illorũ. Igitur quãvis iuxta Lunã sit ignis, cęterũ nõ circũscriptus, ut tota eius sphera non extendatur ad hæc inferiora.

QVARTO, quia ex motu ignescit aër, & generatur flã-

QVARTA ratio, vim habet maximam adversus claudentes ignem inter supremum aërem, & cælũ, & pro nostra facit conclusione; atque ita debemus expendere respõsionem, quam illi præbent, & eam impugnare, & vim addere rationi. Respondẽt aliqui, quod ignis inclusus in rebus accensis, ut ferro, ligno carbone non fert secum illa corpora ignita, quia hæc sua gravitate sunt potentiora ad trahendum ignem deorsum quam, ut trahatur sursum ab illo, ideoque resistant motui isti: contra veró contingit in ligno respectu aëris inclusi.

SED nõ satisfacit responsio; quia maioris activitatis est ignis levissimus, & potest resistere motui deorsum. Alij respondent, quod ignis ibi existens nõ habet totam suam naturalem levitatem, sed habet gravitatem cõtra naturã communicatam per contrarias qualitates ab ipsis corporibus includentibus.

SED contra, quia, ut benè notat Vallesius, gravitas, & levitas non sunt qualitates, sed propensiones quædã, quibus appetunt elementa situs naturales. Quin etiã debebant rationem reddere, cur ligna cũ habeant pondus terrestræ ab hoc non trahuntur deorsum, nec est potẽtius, sed potius debilius partibus aëreis, quæ super aquas innatare faciunt ligna. Deinde cur habeat naturalẽ suam levitatem portio aërea in ligno, & à partibus terrestribus non communicetur per contrarias qualitates gravitas contra naturam. Et idem dicendum in gelu, quod propter aërẽ inclusum aquas supernatat. Et in oleo, quod propter aëreas portiones summas petit aquas. Atque cum horũ problematum nullam reddant rationem, sitq; ignis maioris activitatis & levitatis nulla est responsio argumenti.

AD quintam rationem dicitur istum nostrum ignẽ inferiorem indigere ad suam conservationem substantia, quæ appellatur pabulum: nõ verò alterum, qui iuxta cęlũ existit, quia in his inferioribus sunt contraria aquibus pos-

possit corrumpi, & prævalenti illo deficiente, non verò dũ est in proprio loco.

VLTIMVM argumentũ non est contra nostrã cõclusione, quia, ut asserit secũda pars illius, quam mox probabimus, omnia hæc inferiora comprehendit sphera ignis.

SECVNDA pars conclusionis asserit spheram ignis dilatari, usque ad inferiora, ubi contingunt generationes. Hæc pars deducitur ex Aristotele 1. meteororum cap. 3. ubi ait: Ergo in medio, & circa medium id habetur, quod gravissimum, atque frigidissimum, idemque discretũ est terram dico, & aquam, sed circum hæc, & illa, quæ eiusdẽ ipsis proxima coherent, tum aërem, tum id, quod ex consuetudine ignem vocamus poni affirmamus ignis tamen non est, cum ille sit caloris redundantia, & quasi fervor quidam. Ecce Aristoteles circum terram, & aquam situari ignem affirmat.

SECVNDO probatur, quia si aqua (ut pleriq; affirmant) decies maior est quam terra, & aër decies quam aqua, cõsequenter ignis decies maior erit quam aër. Qua possita Hypothesi inter supremum aërem, & cęlum non datur locus capax totius ignis. Patet probatione matematica, quia iuxta Cardanum, & Astronomos cœlũ Lunæ non distat á nobis, nisi sex millia leucarũ, linea verò diametralis terræ cõstat duobus millibus leucarũ: ergo non superest duobus elementis multo maioribus, iuxta hanc proportionem matematicam locus sufficiens.

TERTIO, quia alij Astronomi cometas generari volũt in suprema aëris regione; Alij recẽtiores supra Lunã ergo si in medio datur sphera ignis tota, omniũ elemẽtorũ lõgè amplissima; vel illi crasissimè errabãt, nimis infimè locãdo cometas: vel hi nimis superne assignãdo generationẽ illorũ. Igitur quãvis iuxta Lunã sit ignis, cęterũ nõ circũscriptus, ut tota eius sphera non extendatur ad hæc inferiora.

QVARTO, quia ex motu ignescit aër, & generatur flã-

ma, sed hoc fieri, non posset, si ignis existeret iuxta Lunã; ergo ad hanc generatione circum circa generabile debet existere.

MAIOR constat experientia. Minor probatur, quia prę distãtia, & interpositione secũdæ regionis aëris frigidissimę nõ posset accẽdere aërẽ. Si dicas, quod per se talis effectus fit ab agente universali, quod particularis vicẽ gerit. Cõtra, quia causa universalis cũ indifferẽs sit ad plures effectus, nõ potest esse causa, nisi determinetur, & modificetur, vel ab ultima dispositione, vel à pluribus dispositionibus, quæ iã iam ultimã cõmitantur. Exempli gratia, causa universalis nõ introducit formã vermis, in quacũq; materia, nec cũ qualibet dispositione, sed quãdo omnes dispositiones ad talẽ formã sigillatæ sunt á calore. Ergo generatio ignis inferioris ex motu, nõ potest tribui causæ universali, quoniã sola raritas per motũ acquiritur, quam Vallesius, & omnes ferè, disponere ad ignẽ affirmãt. At vero sola raritate non potest disponi materia ad formã ignis, sed simul siccitate, & calore. Hoc autem opus, hic labor est quomodo ex motu generentur siccitas, & calor.

ALII dicunt, quod motu rarescit aër, & rarefactus fit capax intensioris caloris, qui quidem producitur, ut ab agenti particulari ab aëris forma, quoniam aër ex natura calidus est, & inde disponitur ad ignem. Sed contra, quia virtute solius raritatis non potest producere forma aëris calorem, quem antea non producebat, nam raritas sola nõ tollit frigiditatem, quam habebat aër, & prius debet tolli densitas cuius non dant causam.

QVOMODO autẽ accẽdatur aër, & ignescat accipe. Mediante attritione, & collisione duorũ corporũ attenuatur aër, & dissipãtur vapores elemẽti aquæ, quia raritas suma non est illis (ut atqui sunt) connaturalis, sed violenta. At vero in omnium sententia prima, & secunda aëris regio à vaporibus elementi aquæ infrigidantur, & violentantur,

tur,aer enim ex natura ſua calidus eſt in ſummo,vel propè ſummum.Et hoc meritò propter bonum univerſi, & generationes illius;nam pariter ob eandem cauſam aſcendit aqua per fiſtulam nedetur vacuum.Sublato impedimento vaporum aquæ ſub quo latebant violentati ignis,& aer manifeſtantur,& igneſcit aer, qui alias calidus eſt in ſummo,vel propè. Non poteſt autem ignitus aer conſervari,ſine pabulo hoc eſt ſine materia, quæ habeat naturam aeream,ut oleum, & ligna combuſtibilia in quã agat,quia hæc ex parte ſimilis eſt, & ex parte diſsimilis; qua parte ſimilis eſt propter qualitatem ſymbolã diſponitur,& aproximatur ad agendum : qua verò parte diſsimilis præbet materiam pugne,ut conetur eam aſsimilare.Durante pabulo hoc eſt tali materia conſervatur ignitus aer.Quam primum autem deficit deponit aer ignitionem,quia propter ceſſationem pugnæ iterum violentantur ignis,& aer á vaporibus aquæ,ut prius erant, & ſub illis incipiũt iterum latitare,quia ſic opportet ad cõſervationem univerſi. Vapores enim cum ſint de natura aquæ habent oppoſitionem cum igne,& illum extingunt.

Ad rationes,& fundamenta ſecundæ opinionis quatenus contra noſtram faciunt facile poſſumus reſpondere. Ad primam dicimus,quod ignis inferior nõ petit ſurſum quia eſt in propria ſphera,quam diximus dilatari à cælo, uſque ad omnia inferiora,eſt enim parẽs generationum. Patet in carbonibus,ferro,& alijs omnino ignitis qui ſurſum non moventur,neq; tantiſper levitant. Si autẽ flamma ſurſum movetur hoc non habet ab igne, ſed ab aere, flamma namque eſt aer accenſus.Aer autem poteſt moveri,uſque ad centrũ ſuæ ſpheræ ſi non impediatur,quod eſt in medio ſecundæ regionis,quemadmodum lapis deſcendens ſi nihil obſtet deſcendet,uſque ad cẽtrum terræ.

Ad ſecundã,quod omnia hæc inferiora,ubi ſiũt generationes terræ aquæ,& aeris,cõprehendit ignis, & ulterius ſuper eminet inter ſupremum aerem,& cælum.

Ad tertiam dicitur, quod quatenus protoparens viuẽtium ignis amplissimam sortitur spheram. Ex his facilè ad quartam rationem.

Ad quintam eodem modo respondetur sicut ad primã. Hæc adijce ad replicã: quod ignis in pulvere tormẽtario nunquam ascendit supra medium secũdæ regionis aeris, ubi situm est centrũ ipsius aeris, ac proinde ex aere habet quod illuc feratur. Si autẽ materia pulveris tormẽtarij celerius movetur quã fumus hoc ideo est quia erumpit potentissimè flatus conclusus in materia exitũ quærẽs. Hoc autem procedit ratione nitri ex quo pulvis tormentarius componitur, nitrum enim strepitum causat accensum, sicut etiam sal cuius annalogam habet naturam.

Sit iam primum corollarium pro veneratione textus. Quod erraverit maximè Strabo lib. 15. suæ Geographiæ affirmans huiusmodi incendiũ fuisse exhalatũ à terra. Etenim præter id quod Sancti Patres, & Doctores talẽ sentẽtiam taxant, & deducitur ex reduplicatione illa verborũ: pluit dominus á domino de cælo, colligitur ex pluvia sulphuris: nãm si incendium esset ex terra, in ea habuisset pabulum ignis, ut patet in fornacibus subterraneis, & vulcanis in quibus materia ignem conservans habet naturalẽ fodinam. Cæterum ut ait sanctus textus pluit dominus sulphur, quod est pabulum ignis, quoniam non erat generandus ex pabulo terrestri.

Secundum corollarium, arguit magnam Dei nostri misericordiam, qui cum punit, quasi invitus limitat, & coercet flagellũ; posset enim pluere ignẽ pabulandũ in terrestri plabulo, ut bitumine sulphure, & nitro subterraneorum; sed quia durante pabulo inferiori, posset punitio dilatari, vel ad longius tempus, vel ad alias gentes. Voluit misericorditer pluere sulphur cum igne, ut finito pabulo, & punitis sodomitis finiretur, etiam ignis, & flagellum; & solum remaneret, ut dicitur Sapientiæ cap. 10. in testimonium nequitiæ fumigabunda deserta terra.

CAPVT

CAPVT V.

ET Sic acceptopane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiyt parvipendens quod primogenita vendidisset. Genes. cap. 25.



NON Erit ab re more nostro inquirere medicè, & philosophicè quis nam fuerit cibus ille cuius precio Esau vendidit, & emit Iacob primogenita. Textus sanctus Lentis edulium fuisse narrat. Sed an nostrates fuerint lentes, & an edulium ex illis fuerit in usu priscis illis temporibus, & ob quam causam viget inquirendum hoc in loco.

PROCVL dubio lentes vulgares quæ sunt in communi usu sunt de quibus fit mentio hoc in loco, & quas ardẽter concupivit Esau, & ante possuit primogenitis. Tum quia in locis alijs Sacræ Scripturæ fit mẽtio lentiũ inter grana siliquacea fabam, cicer, &c. ut 2. regum 17. ubi fuerũt oblata similia grana David. Legitur enim cumq; David venisset in castra Sobi filius Naas de Rabath filiorum Ammon, & Machir filius Amihel de Lodabar, & Bercellai Galadites de Rogelim obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia frumentum, & ordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem. Et Ezechieli iusum fuit 4. c. ut sumeret frumentum, & ordeum, & fabam, & lentẽ, & mitteret in vas unũ, & faceret sibi panes. Constat vero, quod etiam nostræ lentes sunt aliquando panis materia præsertim in annonæ inopia. Tum etiam ex eo suadetur identitas lentium antiquarum, & nostratium, quod legitur in eodem cap. 25. Genesis dixisse: Esau da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum: lentes autem vulgares in iure dissolutæ rufum etiam efficiunt cibum

lentes, ut de illis aliquid dicamus secundum communem sententiam frigidæ sunt in primo gradu siccæ in tertio. Investigata tamen eius natura ex duobus contrarijs cõposita invenitur, uno in medulla, altero in cortice. Cortex eius acuitatem habet, undè ventrem, ad solutionem movet; medulla stipticæ est virtutis: reclamat verò sententia Hyppocratis lib. de ratione victus in morbis acutis, ubi scribit; lẽs adstringit, & turbationem inducit si cũ cortice sumatur. Verũtamen hæc sentẽtia Hyppocratis; ita debet intelligi ut adstringat si summè per coquatur, etiã si cum cortice quia substantia medullæ, quia copiosior est ulteriori coctione deponitur in aqua, & plus agit si summatur in substãtia. Hoc etiam insinuare videtur isdem Hyppocrat. lib. 2. de dieta, ubi scribit: lentes æstuosæ sunt, & turbativæ, & neque per aluum seccedunt, neque ipsam sistunt. Volens Hyppocrates in tali effectu insinuare substantiarum contrarietatem.

DEINDE lentes pessimi cibi sunt, crassi malique succi, & vitiosi, ad difficilis coctionis; caput crassis vaporibus replent oculis nocent. Sanguinẽ crassum efficiũt, & in primis melancolicis noxiæ sunt mẽses, & urinã sistũt: at quæ hæc illarum malitia vix ulla arte corrigi potest. Amatus Lusitanus in 2. Dioscoridis in enarrat. c. 101. & Cardanus 2. de sanit. tuenda cap. 12. ita de ijs scribit. In universũ eduliũ hoc mali, atq; improbi est succi, atq; melancolici, nec satis mirari possum eorum medicorum, tã stupidã cæcitatem, qui lentes ægris exhibent; & maximo ut dicunt iuvamento; cum sæva secum symptomata, quæ Dioscorides recẽset aferant; conenturque non solum in morbis chronicis quam pluribus, ut quartana, scotomia vertigine, cæphalea, sed etiam in acutis, ut pleuritide, variolis, & morbilis, tanquam præstantissimum, ac boni succi cibum in victus ratione dare, nec ullum medicum rationis participem esse existimamus, qui lentibus ægrotantes pleuriti-

de

de affectos alat; & siquis tam irrationalis reperitur, qui declinante iam morbo eas ægrotanti dederit, & sequenti die obierit æger, talem Medicum mortis causam fuisse cēsendum. Hæc Cardanus, Amato Lusitano, & Cardano alij quoque assentiuntur, inter quos est Ioannes Baptista Sylvatic. controver. 92. Qui non solum lentes, ut cibum damnat, & omnium pæssimum alimentū, quod crassum, terrestrem, ac melancolicum sanguinem generet, esse statuit, verum, & eos reprehendit, qui medicamenti loco, ad variolarum, & morbilorum eruptionem promovendum de cocto lentium utuntur. Sed alij ab his dissentiunt, & licet, ut alimentum lentes non probant, tamen, ut commodum ad variolas, & morbilos expellendos medicamē tum Avicenam, atque Arabes secuti admittunt: atque diligentiores Arabes, quam Græcos fuisse in viribus medicamentorum investigandis statuunt. Eosque, qui lentiū in variolis, & morbilis usum detestantur in artis operibus, non fuisse exercitatos, scribit Horatius Augenius de febri. lib. 12. cap. 9. Verum hi ipsi (ut alias, quoque de lentium viribus auctores nō consentiunt) de vi qua in morbilis, & variolis prosint non idem statuunt. Augenius nā, que, & alij totius substantiæ proprietate variolas, & morbilos, ad superficiem corporis expelli ab hoc medicamento statuunt. Alij inter quos Antonius Portus lib. 4 de variolis, & morbilis cap. 12. ut adstringentia lentes adhiberi, sine dubio affirmāt: Tragacanthum enim lentes, & laccam in de cocto illo ad variolas usitato membra interna principalia præsertim roborare; quę roborata à seipsis ad cutim materiam expellere maximè valent: ad quod peragendum ficus inter cætera non parum faciant. Alij lentes ebullitioni humorum nimiæ resistere, sanguinisque motum compescere existimant.

CVM itaque usus, & facultas lentiū in variolis, & morbilis, apud Medicos tam dubia sit; vis verò illa mentem tur-

turbandi sanguinemque melancolicum generandi nota; pleuriticumque ob earum usum interisse observarit Galenus 1. de rat. victus in morbis acut. text. 27. Pueris in primis, qui aliàs pavoribus in somnijs, & horrendis imaginationibus obnoxij sunt, cavendæ præsertim cum alia satis tuta, & de quorum viribus nulla est controversia ad expulsionem variolarum, & morbilorum habeantur medicamenta.

NAM, ut de sententia Augenij loquamur, qui ad proprietatem totius substantiæ reducit virtutem, ad sacrum confugere videtur; nulla enim mirabilia conspiciũtur in lentibus circa variolarum, & morbilorum curationem. Neque explicat in quo consistat totius substantiæ proprietas, an in sedatione fervoris, & ebullitionis; an in inhibitione putrefactionis; an in exicatione variolarum, coctione, aut expulsione. Hæ namque omnes operationes exercentur in illarum curatione. Antonius verò Portus, qui, ut ad stringentia lentes adhiberi statuit, ex eo redarguitur, quod contrariũ insinuare videatur Hyppocrates, loco allegato lib. 2. de dieta, ubi sic scribit. Lentes æstuosæ sunt, & turbativæ, & neque per aluum secedunt, neque ipsam sistunt.

IGITUR, si æstuosæ sunt, & turbativæ, neq; secedunt per aluũ, neque ipsam sistunt, nihil cõmodi ex earum adstrictione sperari potest. Dices in variolarũ, & morbilorum curatione secundum ius lentium usurpatur, quod profecto adstringit. Fatemur hoc, sed adstrictio, quæ comitem habet talem, & tantam combinationem pravarum actionum aliarũ, quæ reperiuntur in lentibus potius excludi quam admitti debet. Nam si sola adstrictio arridet, plura sunt adstringentia boni succi, quæ turbationem non efficiunt neque pravam evaporationẽ, sed ad alios conferunt usus. Ego iã dudum his convictus rationibus in praxi medica, & curatione variolarũ, & morbilorũ

len-

lentium usum plané reijcio, & loco illarũ substituo decoctũ Scorzoneræ felicissimo successu. Et meritò nã hæc herba adimplet omnes scopos, qui satisfieri debẽt in eiusmodi curatione: nam cum reducatur ad genus chicoraceum est hepatis amicissima, refrigerat, & adstringit, ea adstrictione, qua convenit visceri in quo morbo excandescit, & obstructionem patitur; & cum virulentia contagiosa, sit in morbo; quatenus alexipharmacum est, resistit malignitati; nulla verò istarum dotum reperitur in lentibus. Verũtamen quamvis, hoc ita sit adeo invaluit usus, & viget adhuc propinandi lentes in variolis, ut non omnimo eas excludere audeam, ne si mors subsequatur ob vehementiam morbi, aut errata, lentium defectui subscribatur vulgariter. Qui lentes ebullitioni humorum resistere sanguinisque motum compescere existimant, loco etiam nuper allegato, Hyppocratis convinci possunt.

SIT primũ corollarium. Ex textu etiam nostro colligitur illis etiã temporibus usitatissimas fuisse lẽtes inedulijs, & summè olim placuisse philosophis priscorum monumẽtis constat, atque etiam apud Græcos, eximiam auctoritatẽ habuisse reperio. Credo, quod vescentibus æquanimitatem fieri ea sibi persuaserant quorum opinioni, reclamat doctior medicorum secta, quæ atram bilem, succosque crassos, & improbos lentiũ frequẽtiori usu pervicacioresque morbos, & morosiores, Cancrum, & Elephãtem generari existimat: crassa enim aridaque alimẽta humori atrabiliario gignendo aptissima sunt. Quin etiam oculorum aciem aridis naturis hebetare: verum humentioribus visum tueri creditur. Taurus philosophus, apud Gellium accipiebat cęna frugaliore, cuius scilicet fundus, atque fundamentum omne erat in olla lentis Ægyptiæ, ac cucurbitæ inibi minutim concissæ. Vna ratione, quoq; Heraclidi Tarentino ex beta, & lente edulium fiebat.

DVO

DVO in Ægypto genera tradunt, alterum rotundius, nigriusque alterum sua figura, unde vario usu translatum est in lenticulas nomen. Apud Atheneum Zenoniũ fuisse lentes coquere invenimus. Stoicorum dogma erat, teste Atheneo 4. dipnosophist.

Sapienter omnia rectè agere, & lentem
diligenter condire.

Plura de his, apud eundem auctorem. Vnde Martialis in Genijs.

Accipe Niliacam Pelusia munera lentem
vilior est alica, carior illa faba.

DIVVS Hieronymus in Ezechiã lib. 9. censet à Poëta, lentem palusiacam vocitatam, non quod ibi gignantur id Genus leguminis, vel maximè, sed quod è Thebaida, & omni Ægypto per rivum Nili illud deferatur: plurimũ Ægyptijs peculiarem hunc fuisse cibum auctores certissimi tradunt, urbesque eorum, maximeque Alexandriam his abundasse. Quam ob rem non mirandum, si Elephas morbus, propter flumina Nili Ægypto in media vulgatissimus fuerit. Iudæi, ut ait Amatus Lusitanus, loco al[illegible]gato, tanquam funebre edulium in cibo luctus tempore lentes accipiunt. Et tandem ex Prophetia Danielis, etiam colligitur familiaria fuisse Hebræis legumina in cibis. Nã cum Daniel introduceretur ad Regem Nabuchodonosor, & illi constitueretur annona per singulos dies de cibis suis, ut enutritus tribus annis postea staret in conspectu Regis; dicit Sacra Scriptura, quod proposuit Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, & dixit ad Principem Eunuchorum: tenta nos obsecro diebus decẽ, & dentur nobis legumina ad vescendũ. Sed, quæ fuit causa curlentes, & legumina fuerint adeo usualia antiquis illis temporibus? Fortasse, quia usq; ad diluvium homines carnibus non vescebantur; post diluvium autẽ permissus fuit usus carnium, qui sensum, & paulatim fuit introductus,

ctus, & assuefacti homines fructibus terrę illos non omisserunt. Vt apparet in textu; nam Esau cùm esset venator; & venationibus illius pater vesceretur, posset & ipse vesci, & tamen ardenter exoptavit lentes, ut pro illis vēderet primogenita. Quod maximam inducit admirationem, & parsimonia gentis illius præsertim comparata cum luxu sævissimo nostrorum temporum, in quo carnium voracitas adeo exardescit.

ANTIQVISSIMIS illis gentibus, ut patet placebant cibaria solidæ substantiæ, ut cicera, fabæ, lentes, castaneæ, & glandes, quod etiam cecinit noster Cordubensis Poëta, D. Ludovicus Gongora in Poliphemo.

I de la encina honor de la Montaña,
que pavellon del siglo fue dorado
el tributo alimentò, aunque grossero,
del mejor mundo del candor primero.

SIT secundum corollarium. Adhuc ex textu deducitur doctrina supradicta, nempè, quod lentes pravum succum emittant, & melancolicum, & vapores caliginosos, & crassos. Dicit enim Sāctus textus, quod accepto lentis edulio comedit, & bibit Esau, & abijt parvi pendens, quod primogenita vendidisset. Nimirum vapores elevati, ex lentibus manducatis quatenus caliginosi, crassi, & melancolici aliquid conduxerunt, ad despectum quem habuit primogenitorum.

ILLE enim natus fuit ex melancolia; pretiosa namque erant primogenita & contemni non poterāt. Et quando postulavit Iacob pro edulio, ut sibi venderentur, non despexit ea Esau, solū enim dixit: en morior, quid mihi proderunt primogenita? Deinde cap. 27. audiēs quod Iacob.

Ac-

Accepisset benedictionē irrugit clamore magno, & dixit supplantavit enim me altera vice primogenita mea ante tulit, &c. in nostro vero textu dicit. Et accepto lentis edulio comedit, & bibit, & abijt parvi pendēs, quod primogenita vendidisset. Contemptus ergo hic rei præciosè nascebatur ex melancolia. Nec mirum, nam Esau, ut ait caput 25. Erat rufus, & totus in morem pellis hispidus, quæ signa erant temperamenti adusti, & melancolici, cui cibi crassi magis erant noxij, ut edulium lentis, quod ad contemptum primogenitorum conduxit.

(.I.)



CA-

CAPVT VI.

TOLLENS Ergo Iacob, virgas Populeas virides, & amigdalinas, & ex platanis ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus in his, quæ spoliata fuerant cādor apparuit, illa verò, quæ integra fuerunt viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Possuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas, & in conspectu earum conciperent. Factumque est, ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, & apparerent maculosa, & varia, & diverso colore respersa. Divisitque gregem Iacob, & possuit virgas in canalibus, ante oculos arietū, ut in earum contemplatione conciperent. Quando verò serotina admissura erat, & conceptus extremus non ponebat eas. Factaque sunt ea, quæ erant serotina Laban, & quæ primi temporis Iacob. Ex lib. Genesis, *cap.* 30.


IRA, Et naturalis philosophia narratur hoc in loco, qua Iacob divina ordinatione dives fuit factus, duplicem tamen controversiam præsefert. Prima est quam ob causam contemplatio virgarum variegatarum in ipso calore coitus

fœ-

fœtus variegatos esse fecerit. Secũda cur Iacob virgas eas gregi apposuerit in matutino potius congressu, quam vespertino. An quod in matutino congressu, quã in vespertino contemplatio rerum oculis obiectarum, plus valeat ad similium fœtum ortum; an quod is congressus fęcundior sit an ob vtrumque?

NVLLVS unquam ex philosophis adæquatam esse causam eventus, dixit intuitum, sed occasionalem, & remotam, sed ferè omnes causam referunt in imaginationem. Itaque censent omnes imaginationem rei cuiuspiam in ipso congressus tempore vim magnam habere, ut fœtus ei similes fiant, eius verò causa non est explicatu facilis: Et omissa sententia Avicenæ, qui tantũ tribuit energiæ imaginationis, ut possit operari, nõ solum extra se, & in aliud corpus, sed in distans, quam etiam sententiam tenuerunt Albertus Magnus, Ficinus, Paracelsus Pomponacius, & Montanus. Et intra idem corpus dominam effecit morbi, & sanitatis, ut in illo quem refert Avicena ipse, qui ad libitum fiebat paralyticus, & cum volebat sanabat se media imaginatione á paralysi.

VALLESIVS in sacra philosophia, cap. 11. statuit suam opinionem quibusdam suppositionibus 1. est imaginationem, & generationem eiusdem esse animantis actiones; at qui, quia facultates aquibus fluunt eiusdem sunt suppositi, ad quod actiones omnes referuntur primo, tanta sympatia earum est, ut mutuo se se ad actiones permoveant, & passiones. Hinc fit, ut cum genitales partes semine redundant imaginatio libidinosis scateat phantasmatibus, & cũ imaginatio in libidine volutatur genitales partes, etiam si semen non redundet turgeant, & irritentur.

SECVNDA actiones esse suppositorum, & non formarum, nam, ut formæ ligni, aut lapidis, nihil evenit agere, aut pati, sed ligno ipsi; ita neque formæ equi, aut bovis, sed equo, aut bovi. Supponit tandem, quod sentire est quod-

quoddam pati;id verò pati nihil aliud eſt, quam animam ipſam quodadmodo fieri illud ipſum, quod agnoſcitur: qua propter anima,quodadmodo omnia eſt , quia cum omnia poſsit agnoſcere omnium quodadmodo ſpeciem poteſt recipere. Igitur ipſum animal , quod agnoſcit fit quodadmodo, ſecundum partes etiam corporales ſimile ei quod agnoſcitur;non quidem ſecundum partes corporales,qua corporales materiales quæ ſunt, ſed qua ſunt formaliter inſtrumenta ſenſuum. Non enim oves ipſæ cùm contemplarentur variegatas virgas fiebant variegatæ corporaliter,fiebant tamen,quodadmodo (qua ſcilicet, ſecundum ſenſuum organa actu cognoſcebant) variegatæ.Itaque animal actu cognoſcens ſecundum organa corporalia fit ſpiritualiter ſimile rei quæ agnoſcitur;quod autem gignit facit ſibi ſimile ; nam hoc ipſum eſt gignere . Si ergò quod actu agnoſcit aliquid eſt ei actu ſimile , & quod gignit ſimili ſibi facit , quod ſimul contemplatur aliquid , & gignit , gignet aliquid ſimile ei , quod contemplatur quia tale eſt ipſummet.

SED argumentatio , & opinio Valleſij non rectè probat,quia ex ſimilitudine in eſſe intentionali colligit ſimilitudinem in eſſe reali;nam generans reddit genitum, ſibi ſecundum ſuum eſſe reale ſimile ; ſimilitudo verò cognoſcentis cum re cognita non eſt in eſſe reali , ſed in eſſe intentionali,& cognitiuo,& ſic realiter,& verè,non eſt ſimile cognitum cognoſcenti.

P.Euſebius Nieremberg in ſua curioſa philoſophia refert cauſam in imperium,& ſympathiam facultatum ſuperiorum cùm inferioribus , obediunt nanque inferiores ſuperioribus.

SED non ſatis explicatur res per ſympathiam,& imperium. Quia potius apparet connexio, inter facultates,quã imperium ; nam ut diximus adinvicem ſe citant faculta-

tes, ut cum genitales partes ſemine redundant imaginatio libidinoſis ſcateat phantaſmatis: & è contra cum imaginatio in rebus libidinoſis volutatur, genitales partes; & ſi alioqui ſemine non redundent turgeant, & irritentur, tantus eſt facultatum conſenſus.

GENTILIS de Fulgineo Citadinus, Tartaretus, & Vega, cenſent imaginationem non habere efficientiam per ſe ipſam, ſed media ſpecie. Quo fundamento nituntur Marſilius Ficcinus, & Venetus ad ſentiendum, quod calor qui augetur in Antiperiſtaſi intenditur per repercuſsionem ſpecierum eiuſdem caloris, qua corroboratur qualitas. Sed ſpecies inſculpta in ſpiritibus non poteſt eſſe cauſa tranſmutationis realis, quia ſolum habet eſſe intentionale, & imperfectum, atque ita non poteſt producere effectũ realem, & perfectum. Tandem ſpecies phantaſiæ ſunt accidentia, & effectus productus ſolet eſſe ſubſtantia, ut quando propter appetitum fruſtratum ceraſorum, verbi gratia in matre, naſcitur infans figuratis ceraſsis in corpore; at verò maximè controverſum eſt utrum accidentia poſſint attingere productionem ſubſtantiæ.

THOMAS Fienus Lobanienſis novam quandam opinionem ſtabilire connatur; ait enim quod anima rationalis ante organizationem ingreditur ſeminalem ſubſtantiam tertio die, & ipſa cauſat ſimilitudinem non aliter, ac inſpiciẽdo imagines parentis, quæ ſunt in ſemine, & conſequenter, etiam ſimulacra quæ ſunt in ſpiritibus; ſicut pictor quando pingit inſpiciendo figuram prototypi, ſibi obiecti; anima enim introducta inſtinctu quodam naturali poteſt illa ſimulacra apprehendere, & cognoſcere, & ſecundum illa conformare.

SED omiſsis pluribus argumentis quæ efformantur contra hanc doctrinam à recentioribus probantibus ex D. T. & aliis organizationem præcedere animam rationalẽ, neque eſſe poſsibile per naturam, quod anima rationalis

ante

ante debitam organizationẽ uniatur corpori. Præsertim quia omnes formæ naturales educuntur, aut inducuntur præsupposita debita dispositione materiæ, & anima rationalis est vere forma corporis, atque ita requirit præviam dispositionem: talis autem proculdubio est organizatio, quia materia est propter formã,& nõ è contra;ergo qualis futura forma talis præibit materia,sed anima est actus corporis physici organici;ergo disponitur ad talẽ actum.

PROBATVR magis accedendo ad nostrum eventum talem opinionem. Fieri constare non posse,quia,neq;anima,neq;virtus formatrix in illo statu habet sensuum ductus per quos, permeet sensibile (nihil enim est intellectu quin prius fuerit in sensu) ergo est impossibilis naturaliter talis cognitio,& apprehensio. Antecedens est fudamentũ istius auctoris,quia asserit quod anima rationalis ante organizationem tertio die informẽ illã seminis substãtiã. Ingreditur;tunc autẽ non sunt organa sensus,nullus auditus,nullus visus,ergo neq;anima,neq;facultas conformatrix inspiciendo simulacra phantasiæ conformat.

IN retam ardua non piget meum proponere sensum. Ob duplicẽ causam miros videmus in partu effectus imaginationis. Primo consonum videtur rationi,quod facultas conformatrix, ut omnes aliæ potentiæ emanet à sua forma,quæ vim habet efficiendi proprias potentias. Igitur facultas formatrix emanat á forma seminis, cumque generans non sit causa coniuncta cum suo instrumento generat talem formam seminis a qua resultet facultas conformativa. Vlterius forma seminis,est quædam substantia disposita ex conflu spirituum,& ex sigillatione specierum,quæ species simul cum spiritibus ita disponunt semen,ut formatrix emanans à tali forma necessario operetur iuxta dispositionem illius,atque ita gravet in materia similes dispositiones; nam potentiæ etiam superiorus operantur iuxta dispositionem humorum;nam qui semi

ne redundat somnum habet venere turbulentum, & in somnia biliosorum sunt iurgia, & rixæ. Proinde mirum non est quod iuxta dispositionem spirituum, & specierũ formatrix operetur similitudinem.

SECVNDA causa eventus est instrumentum. Spiritus in semine residentes sunt facultatis formatricis instrumẽtum, medijs quibus molitur dilatationem partium figurationem, & organizationem. Igitur cum spiritus sint dispositi tali, vel tali similitudine opus est, ut operentur similitudinem quam in se habent, quia quamvis dirigantur á causa principali, quoniam immediatius attingunt effectum, maiorem habent vim illum assimilandi, & immutandi. Si calamus scribentis crasso modo adaptatus fuerit crassæ evadunt literæ, & potius in hoc similes instrumento, quam causæ efficienti: si serra dentatim fuerit obliqua scinditur lignum oblique, & in effectu conspicitur similitudo instrumenti. Plura possunt afferri exempla, sed hæc sufficiunt ad ostendendum, quod iuxta dispositionem instrumenti elucet aliquando dispositio effectus. Quando oculus suffusus est colore extraneo omnia obiecta apparent iuxta colorem existentem in oculo visionis instrumento sic in ictericia omnia apparent flava. Ergo mirum non est, quod cum spiritus sit instrumentum formatricis sculpat in fætu similitudinem cum sua specie.

P. Nieremberg negat imprimi in spiritibus species imaginationis, quia non datur finis cuius gratia hoc fiat. Sed negari non potest, quia spiritus sunt vehiculum, & subiectum specierũ; patet in multiplici philosophia. Species visibiles non perveniunt, usq; ad humorem crystalinũ in quo fit visio: sed quam primum perveniunt ad oculũ excipiuntur ab spiritibus in pupilla, & deferuntur ad crystalinũ. Fere omnes medici affirmant tẽpore veneris, & coitus cõfluere ad testes plures spiritus decidentes à toto corpore, qui speciẽ, & effigiẽ partiũ á quibus decidũt defferũt secũ,

&

& hæc est causa; neq; alia potest assignari, cur claudi claudos, mutili mutilos generent. Secundum, quod affert nullam habet difficultatem, quia species non habent activitatem ad producendum, verum qualificant & disponunt, ut sic operentur subiecta. Tales species, quamvis sint intẽtionales realiter qualificant subiectũ sunt etenim accidentia. Quarta instantia P. Nieremberg est, quod aliquando producuntur effectus incapaces specierum, nec præcessit in illis effigies imaginationis, ut quando non imprimitur imago obiecti timendi, nisi pavor manente infantulo cum simili timore, ut illa quæ terrebatur à felibus, quia ab illis terrorem concepit mater dum esset prægnãs.

Hoc problema aliam habet solutionem, & aliam evẽtus nostri textus, in hoc enim loquimur de modo, quo imaginatio vigens tempore coitus habet efficientiam; in illo vero de efficientia imaginationis, tẽpore impugnationis, quæ diversa est. Quo circa negamus effectum prædictum incapacem esse specierum, & quod non præcessit effigies imaginationis.

QVANDO enim prægnans perterrita fuit à fele sigillata fuit species animalis in spiritibus, nã, & in sanguine solet sigillari, ut apparet in puerulis, qui ex timore ingenti solent fieri epileptici tota vita. Cumque spiritus vitales sub ministrentur à matre prægnãte fœtui, ut efficiat animales, qui opera vitalia non exercet, deferunt illi speciem & imprimunt fœtui. Tales autem species representant felem, non quomodocumque, sed, ut fugiendum, & ut est obiectum appetitus sensitivi, qui apprehendit, ut malum fugitivum.

HÆC est solutio, ut suspicor problematis P. Nieremberg. Nec oportet recurrere ad sympatiam, ut ipse dicit, quia, vel ex hoc etiam impugnatur, quia si ad esset imperium propter superioritatem naturalem inter facultates animæ, & ob illud traheretur necessario facultas inferio, sem-

semper consentiret, quia semper est inferior; ast non semper huiusmodi effectus conspiciuntur; nisi quando adest imaginatio fortis, & vehemens; ergo idcirco quia fortis imaginatio, & vehemens, fortiter & vehementer imprimit speciem & effigiem in spiritibus, non etiam in uno, vel altero, sed & in omnibus.

PLVRES sunt effectus ad quorum productionem quãvis concurrat imaginatio nõ tamen spiritus, neq; species, & quamvis recurratur ad sympathiam, hæc semper non consistit in imperio facultatum, saltẽ in casu allato hoc in loco à Nieremberg, illius qui optime fuit purgatus, sine pharmaco assumpto, sed solũ viso, aut imaginato. Cuius causa consistit in hoc, quod ex attentione, & concursu animæ, & facultatis sententis ob imaginationem persentitur irritatio á facultate expultrice humoris noxij, quæ alias nõ persentiebatur, ut quãdo quis mingit ad visũ alterius mingentis, ut passim contingit; quia nimirũ ut doctiores affirmãt facultas vesicæ sentit irritationẽ urinæ per applicationẽ facultatis sentẽtis ab imaginatione viso mingẽte, quæ antea non persentiebatur abstracta anima sentiente.

Ex dictis etiam infertur vim hanc, & efficatiã cogitationis in brutis potius esse, quã in hominibus, ut bene notat Vallesius; nam quamvis contrarium affirmet Nierẽberg, utpote quia imaginatio hominis est potẽtia superioris animæ, & robustior intellectui humano coniuncta. Ob hanc eandem causam cum mens hominum divina sit, & separabilis, & multa meditetur sine instrumento corporali, atq; cum corporali instrumẽto utitur, ut illi minus hærens minores illi infigit affectiones. Sed profecto magis demõstratur hoc ex eo quod bruta sunt magis determinata ad unũ, quã homines, & quia imaginatio in his magis divertitur, & elevat proinde non ita facile fiunt impressiones imaginũ in speciebus. Et hæc est causa quare in brutis in una specie forma, & oculorum color sit uniformis. Nã in spe-

cie

cie bovis tota, color oculorum est niger, volucres omne habent oculos nimis glaucos, & feles unius coloris, ut notat Arist. 14. part. probie. 14. in hominibus autem disformis est omnino forma, & oculorum color, & causam refert in imaginationem Plinius lib. 7. cap. 12.

SECVNDA quæstio est cur Iacob, virgas eas gregi oppo suerit in primo tempore, & non in serotino. Vallesius dicto loco per primum tẽpus intelligit matutinum, & per serotinum Vespertinum. Sed Iacob naturaliter non poterat assequi utrum vespere, utrum mane essent pariturae oves, & textus, non meminit matutini, & vespertini temporis, sed primi temporis, & serotini.

CONFORMIOR est ad textum interpretatio divi Hieronymi iuxta Hebræos, & aliorum interpretum, qui asserũt quod sicut in Lombardia, ita in Mesopotamia, & Syria oves bis quotanis pariunt, aut certè quædã in Vere, quædam in Autumno. Ver est primum tempus textus; serotinum Autumnale. Cognoscens Iacob quod partus veris erat suus poterat applicare virgas tempore competenti conceptus, & ante subsequendum partum in Autumno non applicare. Præter id quod D. Hieronymus in hoc loco putat ovium congressus fieri post calorẽ diei, ut ad potandũ avide pergerent oves, & ita non mane, sed vespere.

SIT primum corollarium. Posset quis suspicari, ut ait Cornelius à Lapide super hũc locum virgis Populi amigdali, & Platani si in aquis ponantur vim aliquam inesse ad nigrorem, & nigras maculas gignendum: talis enim vis multis aquis tribuitur ab Aristotele 3. de hist. anima. cap. 12. Ovidio vlt. metamorpho. Solino. Sed si ita esset Iacob non decorticasset virgas, quia integræ haberent talẽ vim: ergo ex eo quod decorticavit eas mysterium infertur, tam physicum, quam divinum.

SECVNDVM corollariũ. Quamvis physicum intercessit mysterium, quod naturaliter ditavit Iacob. Divinum

ſemper conſentiret, quia ſemper eſt inferior; aſt non ſemper huiuſmodi effectus conſpiciuntur; niſi quando adeſt imaginatio fortis, & vehemens; ergo idcirco quia fortis imaginatio, & vehemens, fortiter & vehementer imprimit ſpeciem & effigiem in ſpiritibus, non etiam in uno, vel altero, ſed & in omnibus.

PLVRES ſunt effectus ad quorum productionem quãvis concurrat imaginatio nõ tamen ſpiritus, neq; ſpecies, & quamvis recurratur ad ſympathiam, hæc ſemper non conſiſtit in imperio facultatum, ſaltẽ in caſu allato hoc in loco à Nieremberg, illius qui optime fuit purgatus, ſine pharmaco aſſumpto, ſed ſolũ viſo, aut imaginato. Cuius cauſa conſiſtit in hoc, quod ex attentione, & concurſu animæ, & facultatis ſententis ob imaginationem perſentitur irritatio á facultate expultrice humoris noxij, quæ alias nõ perſentiebatur, ut quãdo quis mingit ad viſũ alterius mingentis, ut paſsim contingit; quia nimirũ ut doctiores affirmãt facultas veſicæ ſentit irritationẽ urinæ per applicationẽ facultatis ſentẽtis ab imaginatione viſo mingẽte, quæ antea non perſentiebatur abſtracta anima ſentiente.

Ex dictis etiam infertur vim hanc, & efficatiã cogitationis in brutis potius eſſe, quã in hominibus, ut bene notat Valleſius; nam quamvis contrarium affirmet Nierẽberg, utpote quia imaginatio hominis eſt potẽtia ſuperioris animæ, & robuſtior intellectui humano coniuncta. Ob hanc eandem cauſam cum mens hominum divina ſit, & ſeparabilis, & multa meditetur ſine inſtrumento corporali, atq; cum corporali inſtrumẽto utitur, ut illi minus hærens minores illi infigit affectiones. Sed profecto magis demõſtratur hoc ex eo quod bruta ſint magis determinata ad unũ, quã homines, & quia imaginatio in his magis divertitur, & elevat proinde non ita facile fiunt impreſsiones imaginũ in ſpeciebus. Et hæc eſt cauſa quare in brutis in una ſpecie forma, & oculorum color ſit uniformis. Nã in ſpe-

cie

cie bovis tota, color oculorum est niger, volucres omne-habent oculos nimis glaucos, & feles unius coloris, ut notat Arist. 14. part. probie. 14. in hominibus autem difformis est omnino forma, & oculorum color, & causam refert in imaginationem Plinius lib. 7. cap. 12.

SECUNDA quæstio est cur Iacob, virgas eas gregi oppo suerit in primo tempore, & non inserotino. Vallesius dicto loco per primum tẽpus intelligit matutinum, & per serotinum Vespertinum. Sed Iacob naturaliter non poterat assequi utrum vespere, utrum mane essent parituræ oves, & textus, non meminit matutini, & vespertini temporis, sed primi temporis, & serotini.

CONFORMIOR est ad textum interpretatio divi Hieronymi iuxta Hebræos, & aliorum interpretum, qui asserũt quod sicut in Lombardia, ita in Mesopotamia, & Syria oves bis quotanis pariunt, aut certè quædã in Vere, quædam in Autumno. Ver est primum tempus textus; serotinum Autumnale. Cognoscens Iacob quod partus veris erat suus poterat applicare virgas tempore competenti conceptus, & ante subsequendum partum in Autumno non applicare. Præter id quod D. Hieronymus in hoc loco putat ovium congresus fieri post calorẽ diei, ut ad potandũ avide pergerent oves, & ita non mane, sed vespere.

SIT primum corollarium. Posset quis suspicari, ut ait Cornelius à Lapide super hũc locum virgis Populi amigdali, & Platani si in aquis ponantur vim aliquam inesse ad nigrorem, & nigras maculas gignendum: talis enim vis multis aquis tribuitur ab Aristotele 3. de hist. anima. cap. 12. Ovidio vlt. metamorpho. Solino. Sed si ita esset Iacob non decorticasset virgas, quia integræ haberent talẽ vim: ergo ex eo quod decorticavit eas mysterium infertur, tam physicum, quam divinum.

SECUNDUM corollariũ. Quamvis physicum intercessit mysterium, quod naturaliter ditavit Iacob. Divinum

etiā accessit, & elevavit vires naturæ, ut copiosior, & certior subsequeretur effectus, unde etiam certum est, quod angeli phantasiam ovium applicabant vehementius. Et D. Cyrillus, Chrysostomus, & Theodoretus, non tā naturaliter putant, quam Dei dono, & providentia id evenisse, ut videtur fateri Iacob sequenti capite, ubi dicit: Tulitque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.

TERTIVM corollarium. Congruentissimè dubitamus ad textum. Cur Laban pacto dederit Iacob primū tēpus, si ut diximus ex D. Hieronymo primum tempus est ver? Certum est namque, quod vernum tempus est magis fęcundum, & magis fertile quam Autumnale, est enim calidum, & humidum temperatissimumque, & ad omnes generationes viventium magis connaturale. Ex altera verò parte non est dicendum, quod hoc ignoraverit Laban. Et cum hoc ita sit mirum est, quod optio Iacob data fuerit, vel pacto libenter vernum tempus. Dubium hoc intactū est ab interpretibus, quo circa quidquid dicatur pijssimè cum summa veneratione textus, & Sanctæ Ecclesiæ, ut & omnia alia dictum sit.

CONSENTANEVM videtur, quod ut pactum esset æquale inter Iacob, & Laban debebant commoditates pensari. Cunctum gregem unicolorem, idest albi, & nigri velleris servavit, sibi Labā, & hæc erat maior portio, hoc est, quod grex erat unicolor maiori ex parte: alias enim, neque peteret maculosum, Iacob, neque tradderet Laban, ut laboris mercedem.

RARVS ergo erat ovium partus maculosus, & quia postulatus á Iacob, & quia indigens tali consilio, & stratagemate. Igitur, quia rarum erat oves parere maculosa, & varia, & diverso colore respersa dedit Laban dono Iacob commoditatem veris, ut hac via quodadmodo pensaretur arbitrium parum favorabile. Deducitur ex textu, quia in querelis Iacob contra Laban sequenti capite narratur,

quod

quod mutaverit mercedem decem vicibus; iam tradden-do vernum tempus iam surripiendo, & traddendo illi autumnale, iam mutando colores.


QVARTVM corollarium. Dices cur ex viridibus virgis inspectis, nulli fœtus virides resultarunt? Respondet Cornelius à Lapide: quia in nullo quadrupede est ea humorũ proporcio ad viriditatem necessaria: loco ergo viridis coloris pingebatur in fœtibus subniger, sive fulvus ut ait vulgata, & Tostatus, ad quod iuvabat umbra, & nigredo aquarum. Benè, sed magis ad dictam philosophiam. Tam fortis poterat esse imaginatio ovium, ut fœtus essent virides. Maiora facit imaginatio ut vidimus. Viridis color quia communis in agro leviter movebat phantasiam ovium: color variegatus virgarum fortiter. Diximus quod non quævis imaginatio; sed vehemens est quæ imprimit effigiem in spiritibus.

(?)

CAPVT

CAPVT VII.

ET Ecce die tertio, quando gravissimus vulnerũ dolor est, arreptis duo filij Iacob, Simeon, & Levi fratres Dinæ gladijs ingressi sunt urbem confidenter, Genesis *cap. 34.*



ARTICVLA, ecce atẽtionem significat, quod ex gravissimo dolore vulnerum die tertio contingente arripuerint occasionem filij Iacob ingrediendi urbem confidenter.

HÆC controversia utrum vulnerũ dolores soleãt esse tertio die gravissimi ad medicũ pertinet, & producit tres dubitationes. Prima est: utrũ in universum hoc cõtingat in omni vulnere sitq; omnis vulneris dolor die tertio gravissimus, an illorum tantum vulnerum de quibus, eo loco agebatur præcissi inquam præputij. Secunda utrum hoc sit commune omnibus morbis pendentibus á materia. Tertia verò cur hoc ita contingat, nempè tertio die, & non secundo, vel quarto.

IN prima dubitatione Vallesius in Sacra Philosophia, c. 32. existimat cõmune esse omnibus vulneribus, ut tertio die exacerbentur. Affert Hyppocratẽ libello de fractu. ubi ita scribit. Tertio, & quarto die vulnera omnia minimê sunt exagitãda, &, ut in summa dicã specilli, quoq; omnes admotiones vitandę his diebus sunt, omniaq; alia quibus vulnera irritãtur; in totũ enim tertius, & quartus dies in plerisq; vulneribus exacerbationes parit, & quæ in inflãmationes, & sordes incitãtur, & quęcũq; in febres tẽdũt.

SED profecto in vulneribus nõ fiũt accessiones, seu exacerbationes, tertio quoq; die, neq; id experientia observatur. Certè in illis maximè elucet vis dierũ criticorũ multò

pluſ-

plusquam in alijs morbis materialibus, ut febribus. Et hoc quoniam cum vulnera contingant á causa externa non ignoratur dies, neque hora, qua sunt illata, quemadmodū in febribus. Itaq; & quartus, & septimus, & undecimus, & quatuordecimus, vim habent, & energiam in vulneribus, ut & reliqui subsequentes; minime verò tertius, sextus, nonus, duodecimus, & reliqui impares de tertio in tertiū contingētes, ut solent in febribus biliosis. Hoc intelligitur regulariter. Nam aliquando potest contingere, ut ex apparatu nimio humoris biliosi sicuti fluit tertio quoque die ad focum putredinis potest fluere ad partem vulneratam, aut ulceratam, ut forsam contigit Sichimitis. Verum huiusmodi periodicatio non est certa, & regulares, quia bilis melius fluit ad focum putredinis, quam ad locum vulneratum. Et ideo quāvis doctissimus Vallesius in lib. Epidemion affirmet se vidisse pleuritidem intermitentem, & affligentem tertio quoque die, non creditur experientia, sed censetur pleuritis inflammatio continua iugiter affligens, quoniam humor est extravasatus in loco inflammationis. Et si fluit humor fluit ex dolore, & calore partis inflammatæ, & non ex propria natura, ut in febribus biliosis, in quibus nullo existente dolore, aut calore, movetur bilis tertio die adfocum, & facit accesionem.

HYPPOCRATIS verò locus non impugnat hoc, quoniā solū monet nō esse exagitāda vulnera 3. & 4. die, & specilli omnes admotiones vitādas, & in summa omnia irritātia. Nam omnia hæc concitāt fluxiones, & dolores; quo circa fluet humor in hoc casu ex dolore, & irritatione, nō tamē ex natura humoris excitantis hanc periodicationē. Cōfirmatur: quia Hyppoc. non dixit absolute tertio die, sed tertio, & quarto; nā cum quartus sit criticus in quo solent in vulneribus excitari symptomata proinde meminet quarti diei; tertij vero quia viccinus est quarto, & solet aliquando illi anticipata actione surripere crisim. Hæc est

enim

enim lex dierum tyranorum, ut usurpent & rapiant, id quod proprium est dici critici, ut sextus est tyranus, & usurpat aliquando crisim septimi critici radicalis, & decimus undecimi, tertius decimus decimi quarti, & decimus nonus vigesimi, & tertius aliquando quarti. Et hæc docet Hyppocrates, quia in die critico nihil movendum, ut monet pluribus in locis. Ex quibus etiam infertur, quod minimè sit proprium vulneris præputij talis tertianaria repetitio, sed hoc habeat commune cum alijs vulneribus.

Ex his etiam deducitur solutio secundæ dubitationis. Nam cum exacerbatio, & periodicatio contingat ex motu humoris ad focum putredinis, vel ad partem inflammatam, & dolétem. Id erit proprium morborum humoralium, & materialium. Nam eadem esse videtur causa in ulceribus, & in alijs omnibus morbis pendentibus á materia, & habentibus exacerbationes (cum ulcera non ob ipsam propriam essentiam, sed ob fluxiones exacerbẽtur) ea est natura humorũ, qui commoti, & exagitati morbos faciunt, & augent. Docet hoc Hyppocrates in ultimis verbis loci supra citati, ubi dicit: non enim pertinet ad ulcera tãtum, sed ad alios quoq; morbos cõplures. Præcipuè autem hoc est proprium febrium essentialium, ut tertianarum, cotidianarum, & quartanarum.

VLTIMA dubitatio maiorem ingerit difficultatẽ, quæ est de periodicatione. Notãdũ tamen est longè diversum esse docere periodorum causas in genere, cur scilicet finita una accessione succedat alia, aut immediatè, aut mediate. Aliud autem disquirere huiusmodi causas in particulari, cur scilicet in febribus biliosis fiat circuitus, tertio quoque die, ita uniformiter, ut nunquam variet, in febribus melancolicis, singulo quarto die repetat, in pituetosis autem quotidie, nova accessio succedat? Si consideremus periodum febrium in genere, & quæramus quam ob causam post unam periodum sequatur alia, utiq; proximè,

&

& familiariter satisfaciemus dicentes id fieri ob dispositionem partium; quæ ipsa excremēta, aut mittūt, aut generant, aut suscipiunt, aut attrahunt. Cum vero non adest in aliqua determinata corporis particula huiusmodi dispositio, sed omnes, æque laborant fit febris illa synochus, sine circuitu, cuius á principio ad finem usq; una est accessio, ut explicat Galenus 2. de diff. febrium, cap. ult.

GALENVS explanans illam sententiam Hyppocr. inter febres quædam continuæ sunt, quædam interdiu tenent, nocte intermittunt, vel è contra. Nonnullæ semitertianæ sunt, tertianæ, quartanæ, quintanæ, septimanæ, nonanæ aperte ab Hypp. dissentiens circuitus septimanos, quintanos, & nonanes reprobans solum admittit periodos tres, tertianariam, quartanariam, & cotidianam, quod non sint nisi humores tres habentes periodum; bilis flava tertianariam pituita cotidianam; melancolia verò quartanam. Nā periodi ab humorum natura deducuntur, humores verò habentes periodum solum sunt tres; ergo periodi solum sunt tres. Non igitur dabitur periodus, quintana, septimana, & nonana. Ideo Diocles magnus ex rationaliū familia medicus rectè interrogat Hypp. ex quibus humoribus oriantur eiusce modi circuitus nō ex bile, quia hæc facit circuitum cotidianum, non deniq; ex atrabile, siquidem hæc efficit circuitum quartanariū; at verò non sunt humores alij facientes circuitū propterea non dantur alij circuitus. Est meo iudicio hæc ratio maximè efficax, cū ex hac ipsa præclare ostendatur particularis, atq; determinatæ periodi causam à particularium humorum natura ducere originem, non autem á sola dispositione partium attrahentiū, suscipientium generantium, atque expellentium.

SECVNDA ratio qua idē ex Galeno demōstratur est huiusmodi: Quæ sola experiētia, & nō ratione cognoscūtur, ea quidem differunt ab his, quæ ratione duce innotescūt.

At

At qui determinatæ periodi, ratione nunquam, ſed experientia ſola cognoſcuntur, periodi autē generatim ſumptæ, ratione cauſiſq; manifeſtis innoteſcunt: ergo determinatæ periodi cognitio differt à cognitione, periodi generatim ſumptæ. Maiorem propoſitionem Galenum ipſum non ſemel attuliſſe conſtat, cum dicat quædam cognoſci ſola ratione, quædam ſola experientia. Medicina conſtare duobus, cruribus dextro, ac ſiniſtro, ratione ſcilicet atque experientia, quorum ſi deficiat alterum, claudicare ipſam neceſſe ſit. Denique duo eſſe inſtrumenta, non in medicina modo, ſed in omnibus facultatibus, imo vero in omni via quibus veritatem invenimus, rationē, & experimentum: differre autem plurimum hęc inter ſe, quia quod extra rationem eſt, id profecto experientia eſt. Nec licere addit permiſcere in traddenda medicina vtrunque iſtrumentum, ſed vtrunque ſeorſum explicandum. Minoris propoſitionis veritas deducitur ex verbis Galeni in Epidemijs, ubi admonet, quod in hijs, quę circa uſū, & experientiam verſantur, non debemus inveſtigare rationes, & circa demonſtrationes inſiſtere. Huiuſmodi autem eſſe ſtatuit, atque ſupponit cognitionem, quam de particularibus, ac determinatis periodis habemus. Hactenus de diſputatione Galeni reprobātis circuitus quintanos, ſeptimanos, & nonanos.

CAVSA periodicationis in ſpecie cur flavabilis ſolum tertianum, melancolia ſolum quartanum, pituita ſolum cotidianum efficiat circuitum alijs creditur eſſe diſpoſitio partium; huius autem cauſam in humorum excrementitiorum naturam eſſe referendam. Et, ut hoc intelligatur ſupponunt primo, humores iſtos periodorum cauſas ſtatui cum ſolum putrefacti ſunt. Etenim ſi putredo nō accidat, affectus determinata carebit periodo, ut icterus uterque facit manifeſtum, quorum alter à flava, alter à nigra fit bile; at in neutro circuitus apparet, aut tertianarius, aut quar-

quartanarius. Ideo Galenus disputans adversus antiquos, secundo libro de febrium differentijs in principio contẽdentes, ex humorum excrementitiorum abundantia, ut ex bile fieri tertianam, & melancolia, quartanam, dixit id esse falsum, nisi humores putrescant.

SECVNDO supponunt ad periodum efficiendam concurrere duo, nempè id, quod movetur, & id, quod movet siquidem periodus est motio, quædam circularis reditus scilicet ab uno puncto ad eundem punctum. In omni porro motu adest mobile, & movens: mobile est humor, movens calidum innatum. Istis hoc modo suppositis cominus accedunt ad rem ipsam. In humore considerari possunt ista. Temperamentum. Quantitas putredo locus, in quo humor continetur eiusdem qualitas, & particularis modus putredinis. Opportebit (inquiunt) fieri circuitum, vel ab omnibus istis simul, vel à quibusdam, vel ab uno. Non fit ab omnium concursu, quia non fit á temperamẽto, non à quantitate, aut qualitate, aut loco, aut putredine, sed solum fit à particulari modo putredinis, quo affectæ superfluitates efficiuntur dispositæ ad recipiendũ huiusmodi periodum. Hanc si quispiam malam, quandam appellare voluerit humoris proprietatem, minimè reclamant.

SED contra huiusmodi sententiam possumus insurgere; quia refugere ad occultas proprietates, nihil aliud videtur, quam propriam prodere difficultatem. Galenus enim dicebat 3. de præsagatione ex pulsibus c. 1. duo esse hominum genera; unum eorum, qui inusitatis, & improprijs utuntur nominibus; alter eorum, qui ad occultas recurrunt proprietates.

DEINDE, quod fit ad occulta proprietate illud quidem fit à forma; quod à forma id perpetuo tale est, sed periodicatio non perpetuo est una, & eadem, cum anticipet, & postponat, ut experientia constat, non solum ex inordi-

na-

nato victu;& ex rebus non naturalibus, sed etiam licet recta victus ratione utantur ægroti.

ALII inter quos est præcipuus Conciliator tenet causam referendam esse in lunam periodicationis, quæ videtur esse causa omnium circuituum in rebus inferioribus ut apparet in mari in mulieribus parturientibus, cui videtur consentire philosophus, qui 4. de generatione animalium ultimo scribit, lunam esse quasi alterum minorem solem, & ad generationem perfectionemque rerum conducere, nec non omnium inferiorum circuituum causam esse: qui asserit necesse esse ut circuitus rerum minus principalium, circuitum rerum magis principalium sequantur. Sed tamen cum particulares periodi, neque mēstruo lunæ, aut quadraturis correspondeant, neque in lunam referendi videntur.

AVICENA cui subscribunt multi huius rei causam refert in quantitatem, & qualitatem materiæ, quæ responsio colligitur ex Galeno 2. de diff. feb. 4. & 5. qui scribit id fieri, quoniam pituita cæteros humores omnes copia lōge superat, & plus relinquit inquinamenti cum sit frigida, & humida. Melancolia autem quantitate est minima, ac minimum relinquit inquinamentum cum sit frigida, & sicca bilis vero inter utranque, & quantitate, & qualitate medium locum obtinet. Febris igitur quotidiana singulis diebus, tertiana tertio; quartana quarto quoque die circuitum habent, quoniam hoc temporis spatio aggregatur tanta copia pituitæ, flavæ bilis, melancoliæ, quanta satis est ut sit gravis, & molesta naturæ, adeo ut cogatur insurgere, atque huiusmodi expulsionem moliri. Rursus autem quotidie pituita coacervatur, quoniam in corpore est in maiori copia, est enim maximè humida, & viscida, & plus relinquit inquinamenti: pariter flava bilis per tertium melancolia per quartum reaggregātur, quia sunt in minori copia minus humidæ, & viscidæ, & minus relin-

quunt

quunt inquinamenti. Demum vero pituita est copiosior, melancolia est minima flava bilis est media, quoniam ita natura comparatum est ut huiusmodi accomodata proporcio pro vita, & salute hominis videbatur postulare. Hanc opinionem sequuntur plures recentiores Masaria, & alij.

SED huiusmodi sententia facile impugnatur. Nam plerunque exigua portio est humoris biliosi in corpore, & tamen non repetit quarto die, sed tertio, ergo humoris quãtitas non est causa periodicationis. Antecedẽs patet quia experientia comprobatum est, quod aliquando dantur tertianæ simplices, & duplices; quarum accesiones durant quatuor, vel sex horas ad summum. Atqui in his exigua est portio humoris biliosi; ergo non debent repetere tertio die, ut repetunt sed quarto. Quod exigua sit portio humoris in his brevitas accessionis suadet, nam copiosior bilis accessiones facit duodecim horarum, & amplius, & tanta potest esse copia quod efficiat febrem continuam.

DICES semper in corpore bilis est in maiori copia quã melancolia, atque ita nunquam fiet repetitio lege quartanarum. Sed contra quia quamvis in statu secundum naturam ita contingat, non proinde semper debet esse longior accessio tertianarum, quam quartanarum, quia non totus humor qui secundum naturam est materia febris putridæ, sed ille dumtaxat qui paratus est putrescere, & talem habet apparatum, & non solum hoc sufficit, sed requiritur copia cineritij relicti in foco putredinis, quæ sit sufficiens inficere, & conspurcare humorem illum advenientem, & facile putrescibilem.

NEC valet dicere quod quamvis sit exigua portio bilis non proinde repetet quarto die iuxta legem humoris melancolici, quia semper erit minor copia humore melancolico. Nam hoc etiam falsum est, quia quartanaria accessio solet extendi ad duodecim horas, & plures, quò casu

maior erit copia humeris melancolici putredinosi, quam bili, si in tertiana quatuor horarum. Et confirmatur, quia etiam observantur quartanæ brevissimæ quatuor horarum, accessionis, quæ tamen ob paucitatem humoris iuxta huiusmodi opinionem non debebant repetere quarto die, sed quinto, quod tamen nõ cõtingit. Imo potius quæ dicuntur quintanæ, & nonanæ sunt longiores in accessione, quam dictæ brevissimæ tertianæ. Ergo periodicatio non potest referri in quantitatem humoris.

ALIA opinio fuit Averrois 4. colliget 27. qui adversus Galenum statuit totam rationem periodorum esse referendam in naturam caloris innati, qui materiam præter naturam afficit disponit præparat, ut expellatur, & expulsa putrescat. Quoniam verò semel non potest totam materiam afficere, & præparare id facit particulatim; quare primum unam illius partem aggreditur, quanta satis est ad unam efficiendam accessionem quam præparat & expellit: deinde tantumdem materiæ alios sequentes dies aggreditur præparat, atque expellit; atque hac ratione definito quodam tempore, & ordine febres intermitentes suas periodos solent habere; nam quæ naturalia sunt semper sunt ordinata, & quatenus ad ipsa pertinet eundem perpetuo ordinẽ servant, sicuti cõtra causę pręternaturã sunt inordinatę, atq; incertę. Ex quo reprehẽdit Gal. qui rationẽ periodorũ in causas pręternaturã, videtur referre

SED hęc sententia Averrois displicet; tum quia calidum innatum unicam agnoscit causam periodi, quod suaderi non potest quia semper, & indistincte fierẽt periodi, quia semper adest calidum innatum; atque si non operaretur iuxta apparatum humorum semper operaretur; & nón esset ratio cur potius fieret circuitus quartanarius, quam tertianarius. Pręter id quod hęc causa est potius generica seu periodicationis in genere, hoc est cur una accessio fiat post aliam; non verò est quę satisfaciat cur flava bilis ter-

tio

tio melancolia quarto, quotidiana singulo die repetant, nulla facta variatione.

His præmissis superest ut nostram proponamus sententiã. Causa periodicationis paroxismalis, attestatur supra naturam humoris, non occultam, sed manifestam.

PITVITA quotidie invadit eo quod humida cum sit in accessione plures relinquit fumos, & fuligines, quæ non exhalant, sed facile sequenti die accenduntur. Iuvat verò notabilis quãtitas pituitæ, & quod in venis circa ventriculum coacervetur, quod efficit ut quotidie excitetur paroxismus.

HVMOR biliosus tenus est, & facile dissipabilis. Prima accesione in pugna humoris, & naturæ dissipatur, & exhalat ob hanc causam intervallum quietis purum est, & limpidũ fit enim ab humore sicco minime fumoso. Quãobrem sequenti die non repetit, sed fermentatur cum excremẽto cinericio relicto in foco putredinis. Tertia die cũ fermentatus iam sit gravat naturam, & eam irritat ad paroxismum. Ob hanc causam bilis tertio quoq;die repetit.

MELANCOLICVS humor postquam affligit primo paroxismo secundo die non repetit, quia siccus cũ sit nullas relinquit fumosas fulgines: iuvat etiam paucitas eius in corpore. Tertio die non repetit, quia secundo non potuit fermentari cum excremento cinericio ob crassitiem quã habet; sed indiguit tertio ad eam actionem, & ideo quarto affligit. Moventur autem humores quotidie ad aliquam actionem sequentes motum solis, qui causa est universalis nõ excludenda. Sit primũ corollarium. Die tertio potuit esse gravissimus dolor, quia iam instabat quartus decretorius qui in vulneribus magnam habet vim. Et ille qui ob magnum apparatum in corporibus fuit exacerbatus. Nam ut diximus raro contigit ut in vulneribus per impares de tertio in tertium moveatur humor, præsertim cum ostenderimus quod sunt dies tyrani proxime antecedentes decretorios, qui illis rapiunt crisim.

SECVNDVM corollarium. In sacra pagina maximam inducit attentionem particula (ecce) Qua propter existimo, quod quia Sichem, & urbis habitatores circuncisi fuerunt non ex cultu divino sed princeps ex libidine, & subditi ex imitatione permisit Deus in flagellum, ut vulnera quæ alias securissima erant etiam in infantibus, ita dolore exacerbarētur, ut possent fratres Dinæ, eos percutere confidenter: Nonne septem mariti Sarræ uxoris Thobiæ mortui fuerunt, quia ex libidine eam duxerunt uxorem?



CA-

CAPUT VIII.

I*STE est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine*, &c. *Cum pasceret asinas Sebeon patris sui*. Genes. cap. 36.



NDICEM Apponit sacra pagina dicens: iste est Ana: quo circa sistendum hic, & libandum mysterium physicum annotationis divinæ. Inventores procul dubio rerum in utilitatem hominum honore digni habiti sunt semper. Et cum Ana invenerit aquas calidas, seu thermas merito signatur à sacra pagina. Quod autem per aquas calidas thermales debeamus intelligere sentit Tornielus citatus á Cornelio Lapide. Et colligitur quia aquæ calidæ illæ, vel erant arte calefactæ puta igne, vel sponte erumpebant, & naturaliter calidæ. Primum non indicaretur à Moyse, ut notabile, nec arte calidæ fuissent inventæ in solitudine. Quæ verò erumpunt naturaliter, & sponte calidæ ipsæ sunt thermales. Explicabimus ergo quomodo generentur sub honore mentionis sacræ paginæ.

RELICTA ergo aliquorum sententia, qui ad antiparistasim confugiunt, ut reddant rationem agentis calfacientis similes aquas; quia maiorem calorem percipimus in his, quam in aquis fontanis, quæ antiparistasi redduntur calidiores, & dumtaxat tempore hiemis, thermales verò semper experiuntur calidæ: & præter id omnes fontanæ essent thermales. Verior est sententia Agricolæ. Prorumpunt quidē huiusmodi aquæ sponte calidæ terræ visceribus propter succeēsionē ignis in subterraneis locis ex spiritu sicco ibidem contento, atque inflammato in materia apta, ex cuius materiæ succensæ natura aqua susceptat, &

& virtutem, seu miscellam, & calorem; nam quo tempore ignis succenditur in ipso aquæ alveo, aut in aquæ ductibus (est enim in visceribus terræ ignis succensi maxima copia, ut experientia constat in vulcanis, qui passim apud Italos, & Indos visuntur) aqua quæ in illis locis, aut gignitur, aut vagatur fervorem, aut calorem suscipit, iuxta propinquitatem succensæ materiæ, nam quo longius distat ignis focus ab aquæ origine, aut ductibus eo frigidior est, & quo proprius accedit eo calidior. Ex quo etiam fit, quod plures aquæ prorumpant calidæ omni sapore, & minerali qualitate expertes, quia ignis focus, distat ab alveo, & aquæductibus, quantum sat est, ut calorem susceptet citra miscellam alterius qualitatis, quod probaverat Plinius dicens: Nec verò omnes, quæ sunt calidæ medicatas esse credendum. Qua ratione medicamentosa qualitate carent, quia materia quæ succenditur (licet aqua calorē susceptet) non inficit scaturientem aquam. Haud dissimili ratione fit, quod ex aquis medicatis plures frigidæ prorumpant, quia locus ubi generantur, naturalis est officina alicuius horum mineralium, obidque medicatam susceptat aqua naturam, frigida tamen est, quia neque in eo loco, neque in partibus viccinis ignis succenditur.

DVBIVM superest, quæ sit materia apta, seu pabulum ignis in subterraneis, ut venemur facilius naturam aquarum medicamentosam. Et primum nitrosa substātia idonea est ad concipiendum, & conservandum ignem, ut experientia demonstrat in pulvere tormenti bellici.

BITVMEN etiam comodissimum pabulum potest esse in subterraneis ignis, quia pinguem habet naturā, & aeream. Scribit enim Dioscorides cap. proprio. Liquidum invenitur in Agragantino Siciliæ fontibus innatans, quo utuntur ad lucernarum lumina olei vice. Et Plinius lib. 2. cap. 108. in Austagenis Parthiæ inveniri prodidit, tātamque esse huic ignium cognationem, ut transiliant protinus

nus in ipsum, undecunque visum. Sub bitumine etiam cōprehenditur lapis Gagates, quia maximam habet cum illo affinitatem, ait enim Dioscorides cap. proprio: in Gagatarum lapidis genere præferendus qui celeriter accenditur, & odorem bituminis reddit. Mathiolus etiam in commentario: siquidem Gagates adeo bitumine prægnans est ut accensus picis fere modo flagret, & nigerrimum emittat fumum.

DE sulphure non est dubium quod materia idonea sit ad conservandum, & generandum ignem. Est enim fositiū medicamentum epingui quadam terræ substantia (ut testatur Matiolus) prognatum, ut in compluribus visitur locis, quæ impense calida sit, & sicca, adeo ut à chymistarū auctoribus igni natura simile sulphur dicatur. Vocant id ij masculum semen, & primum naturæ agens ad omnia metalla procreanda. Cum autem calidum sit, & siccum, quin etiam pingue (ut diuturna constat experientia) maximam cum igne trahit cognationem, siquidem nō flammæ ignium modo, sed prunis quoque admotum statim accenditur, neque unquam extinguitur quousque pinguis, & oleosa substantia igni absumatur.

IGITVR de bitumine, sulphure, & nitro non est dubiū, quod materia sint idonea ad fovendū calorem thermarū utrum verò posit esse alia materia, non levis est controversia, nam sola dicta refertur ab auctoribus. Cæterum si quæ sit alia pinguis, aerea, & oleaginosa (potest enim dari, quid enim obest) fomentum erit, & causa Balneorum. In Belgis terra quædam reperitur, quæ ab illis gentibus pro combustibilibus lignis usurpatur, & dicitur (Turfa,) quæ sine controversia si in subterraneis, & visceribus terræ ignem concipiat, ut potest, illum conservabit ad alterationem aquarum quæ proximè fluant.

SVPEREST cōtroversia de calce viva, utrū accēsa in visceribus terræ posit esse causa efficiens thermarum: nam

quæ ſunt aliqui qui id affirment citra diſtinctionem multiplicis dubij, quod offerri poteſt in hac re. Atque ut radicitus res intelligatur primum dubitatur, quomodo accẽdatur ab aqua calx viva Iulius Ceſar ſcaliger exercita, 5. ſectione 6. & cum eo alij, & noviter Senertus lib. de venenis, cap. proprio tenent, quod calx viva habet in ſe ignẽ, qui violentiorem inimicum aquam puta fugiens adeo ſe ſe exerit, ut tangentis manus adurat, & res viccinas accẽdere poſsit.

SED hæc opinio falſa fit ab experientia, neque oportet ad antipariſtaſim confugere: conſtat enim, quod calx non ſolum incaleſcit ab aqua frigida, ſed à calida, vel tepida, ergo eo in tempore non fugit violentiorem inimicum; patet conſequentia, aqua enim tepida non habet in ſe frigiditatem, quam fugiat, ſed potius calorem; ergo ad præſentiam contrarij non corroboratur.

LVPEIVS in annotationibus in Galenum 1. de differentijs feb. exiſtimat omnem calcem habere pinguem ſubſtantiam pinguior verò calx quæ fit ex molari, ut dicit Plinius 36. cap. 26. aduſta igitur calx habet partes calidas igneas, & partes frigidas terreſtres: harum cauſa partes igneæ deliteſcunt ab aſperſa aqua partes terreſtres fiũt molliores: ex harum quidem ſiccitate, & humiditate aquæ, aerea humiditas pululat, quæ ob pinguedinem quam excalce contraxit, facile à calore partium ignearum poteſt accendi, facileque igneas partes, illa aerea, & pinguis humiditas poteſt nutrire, quæ enim partes calidas, & ſiccas habent ſine ulla pinguedine, ab aqua inſperſa non videmus calfieri: non calfit cinis ligni, quam calidiſsimi.

VERVM enim, verò Lupeyus non explicat, an partes calidæ igneæ, quæ reperiuntur in calce ſint poteſtate, vel actu. Si poteſtate exurgit ſtatim maxima dubitatio à quo reducantur partes illæ de potentia in actum, nunquam enim frigiditas actuat. Si verò partes igneæ ſunt actu, quã

obrem

obrē n non calfaciunt sine aquæ admixtione: quin etiam cum dentur partes pingues in calce necessario debent inflammari à partibus igneis, seu ab igne actu existēte; qua propter opus non est tam laboriosam partium concatenationem cōstruere neque fingere quod partes terrestres efficiant delitescentiam ignearum, neq; quod humiditas aerea pululet distincta à partibus pinguibus, ut ait Lupeyus nam partes pingues proculdubio sunt aereæ, & habēt qualitates symbolas ignis, ac proinde res multiplicantur, sine necessitate in hac opinione.

VERIVS multo existimandum iudico ex combustione in calce relinqui plures partes igneas, quæ quidē actu existunt quod ex eo colligo, quoniam extincta calx ab aqua adhuc habet caliditatem potentialem reducibilem in actū à calore nativo, ut patet ex multis medicamentis, quæ ex illa ad calfaciendum usurpantur; ergo si huiusmodi calor relictus post extinctionem est potentialis, ille qui reperitur ante extinctionem, & in extinctione est actualis. Cum ergo huiusmodi ignis consistat in partibus terreis crassis, & densis affusa aqua consurgit evaporatio, quæ manum exurit. Exemplum est lamina ferrea ignita, qua non cōburet, & vix calfaciet manum admotam ad distantiā duorum digitorum; si veró illi aqua affundatur calfaciet nimis media evaporatione. Nam ut inquit Gal. 2. de differētijs febrium non solum calx, sed omnia quæ habent calorem in substantia sicca suum calorem magis manifestāt si humectentur.

SED obijcies contra dicta: nam lamina ferrea si tangatur combureret profectó, calx vero ante extinctionem contrectari potest, ergo falsum exemplum, & consequenter doctrina. Respondetur tamen, quod lamina tota est ignita, ac proinde tacta comburit; calx veró non est omnimodè ignita, sed plures partes igneæ relinquuntur in ea, quæ tamen occultantur à partibus crassis non ignitis, & non

medio-

mediocriter attemperantur, ignitæ enim latent in centro, crassæ verò, & frigidæ in circumferentia; non secus, atque in acervo cineris, in cuius centro extant cineres calidi à combustione in peripheria verò frigidi.

His prælibatis, ad hoc ut calx sit causa efficiens caliditatis thermarũ, multa requiruntur; primo enim debet dari in subterraneis ignis actualis qui posit comburere lapidem molarẽ ex quo fit calx, vel quemcunque alium qui posit esse materia calcis. Si dicas non esse impossibile dari inibi ignem, ut passim vulcani demonstrant. Fateor: cæterum si admittis vulcanum, seu ignem actu succensum; iste potius calfaciet aquas, quàm calor calcis, quia ad præsentiam agentis potentioris minus potens non dicitur operari: at intensius operabitur ignis actualis, quam evaporatio calcis extinguendæ.

Sed concedamus, quod generetur calx per combustionem ignis vulcani, ut sit propriè aqua calcis, debẽt è rupe ipsius vulcani decidere lapides cõbusti, & ad aquæ ductũ aliquem pervenire, ubi extinguantur, & ex tali extinctione incalescat aqua. Nunc autem, vel hæc eadem aqua quæ extinguit calcem est quæ facit scaturginem, vel non si primum talis aqua non semper erumpet calida, nam extincta calcæ, non amplius remanebit. Vel ut remaneat, & cõservetur debent iugiter è rupe alicuius vulcani decidere in aquæductum lapides igniti qui calcem constituunt, quod cognoscetur ex inæqualitate caloris aquæ.

Si secundum, nempè, aqua illa quæ extinguit calcem non facit scaturiginem, debet esse alius aquæ ductus maximè viccinus, ut susceptet calorem, quodadmodo qualificatum à calce citra miscellam venenosam medicamenti, & hæc suspicor erit proprissimè aqua thermalis, si forsam omnia hæc contingere possunt.

Haec in summa sunt quæ possunt materiam suppeditare aquis thermalibus, quamvis Gergius Agricola lib.

1. de ortu, & causis subterreanorum ad solam materiam bituminosam coarctet efficientiam: dicit enim sulphur ab aqua accensum cito extingui: subdit tamen: non nego sulphur sic cum si quod est ut sæpè numero ad latera canalium in eisdem locis ardentibus qui eructant calidas nominus bitumine ardere. Tandem aliam causam vidi fontium calidorum apud Gregoriũ Naciancenũ 2. lib. Theologiæ, hic enim ob vehementem motum dicit aquas calefieri, sic enim inquit aquæ thermarum dum violenti flatus impulsu erumpere gestiunt interveniente materia obiectu reverberantur donec eluctationis motusque impressioni impetu fervescentes paulisper qua datur perrũpãt. Sed data venia non est cur huic rationi acquiescamus cũ aquæ ex motu nunquam calorem contrahere soleant.

QVIBVS sic positis sit iam primum corollarium pro textus sacri consideratione. Spiritus Sanctus quoniam in utilitatem hominum poterant, & debebãt usurpari aquæ thermales signavit inventionem remedij, & inventorem particula illa (iste est ana qui invenit aquas calidas) ut qui ex peccato lapsi fuerant in plurimorum malorum præcipicia corporalium haberent tantum remedium. Consideramus etiam pro nostra consolatione quod in medio narrationis illorum Patrum Genealogiæ sistit textus in connotatione remedij quasi ad eandem propagationem generis humani ipsum maximè conducat debite usurpatũ, ut cuique manifestum est.

SECVNDVM corollarium. In eo etiam salutamus Dei misericordiam, qui paulò post peccatum manifestavit remedium adeo excellens, quod in antiquitate antellationem usurpet omnibus alijs magnis medicinæ remedijs. Nam quamvis verum sit, quod tota medicina fuerit Adamo ad eo infusa, temporum tamen iniuria, & negligentia posteritatis non leve fuit passa decrementum, ita ut postea paulatim, & per partes fuerit restituta, & reme-

dia

dia adinventa.Inter omnia autem remedia antiquiorem ſibi locum vindicat balneum.Nam phlebotomia, & purgatio poſt multa tempora inventa fuerunt inter Ægyptios,quemadmodum , & clyſteres, & in ſumma nulla fit mentio in ſacra pagina de illorum inventione, quemadmodum fit de balneis hoc in loco.

TERTIVM corollarium.Plauſibilis etiam eſt Dei noſtri miſericordia in tanto remedio:non ſolum enim indicavit remedium,ſed etiam qualitatem, & efficaciam illius, nam pro (aquas calidas) Hæbraicè legitur Iemim , quod Caldaica vertit Gigantes. Vel ergo aquæ thermales dicũtur Gigantes,quia fervent , & intumeſcunt intra viſcera terræ:vel quia robuſtæ ſunt ad morbos quam plures pellendos.

VLTIMVM corollarium. Vſus etiam iuſinuatur in ſacro contextu,quia non ſine myſterio ſaltem phyſico legitur,quod invenit aquas calidas in ſolitudine,& non in urbe,aquæ enim thermales,& calidæ,non debent eſſe nimis uſuales , ut forent in urbe, ſed debent quæri in ſolitudine ſuo tempore, & occaſione.



CA-

CAPVT IX.

EXTENDE Manum tuam in Cælum, & sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, ut palpari queant. Extenditque Moyses manum in Cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat ubicunque autem habitabant filij Israel lux erat. Exodi cap. 10.



OMMVNIS Est difficultas sacris expositoribus, sicut, & omnibus philosophis, qua ratione tenebræ possint esse, tã densæ, ut palpari queãt; nam densitas, vel est qualitas, vel modus substantiæ materiæ, seu corporis, tenebræ autem cũ sint mera privatio luminis nihil sunt à parte rei, neque materia, neque corpus. Palpabilitas etiam affectio est corporeæ substantiæ, neque durum, aut molle possunt dici de tenebris, atque ita nec tangi, aut palpari possunt. Vt ergo præter sacram, & physicam quoque hæc verba habeant interpretationem, disputandum meritò quid sit densitas.

SCOTVS in 4. dist. 12 q. 4. cum Gofredo, & alijs quos referunt P. Coimbricenses fuit opinatus raritate novam quantitatem acquiri, ac deperdi densitate, sed nolunt amitti priorem quantitatem, sed aliquam novam partem illi accedere. Marsilius verò in 4. q. 9. art. 2. vult totã priorem amitti, & pro illa novam, ac maiorem subrogari.

VTRANQVE sententiam optime impugnat P. Rubio trac. de rarefact. q. 1. scoticam quidem quia in Eucharistia raritate esset nova quantitas sub qua non esset corpus Christi, quia hoc tantum est sub accidentibus consecra-

gis,

tis. Marsiliana vero quia qualitates insunt quantitati, quâ destructa qualitates perirent, contra oculatam experientiam, qua videmus in cera rara eundem colorem, & similia accidentia. Scotici quidam respondent Christum post consecrationem esse sub multis accidentibus, quæ nō fuerunt consecrata, sed hoc absurdum sonat; quoniam sequeretur hæc duo contradictoria esse vera: Christus ponitur sub accidentibus ex vi verborum cōsecrationis, & Christus non ponitur sub accidentibus ex vi verborum; quarū propositionum prima est adeo verissima, ut secunda nō possit esse, non falsissima. Sequela probatur, quia ex vi verborum in consecratione ponitur Christus sub accidentibus. Secunda contradictoria etiam est vera, quia in rarefactione ponitur Christus sub novis accidentibus, non tamen ex vi verborum ut patet.

CONFIRMATVR ex diffinitione rari, est enim quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ. Si ergo in rarefactione producitur, vel acquiritur nova quantitas, iam non habebit parum materiæ, quia acquiritur quæ possit replere dimensiones. Multa possent dici contra hæc opinionem, sed hæc sufficiunt.

MAIOR schola Aristotelicorum tenet raritatem fieri nova qualitate. Sed probo falsitatem, quia raritas consistit in maiori præsentia dimensione, & ubicatione, sed hæc est terminus lationis, & motus localis, ergo non consistit in qualitate, quæ terminus est alterationis, quę dicitur rarefactio.

CONFIRMATVR quia saltem in sententia dicentium non acquiri novam quantitatem dumtaxat consistit rarefactio in extensione præsentiæ, & dimensionis, at verò hæc extensio non est qualitas ut est compertum, sed ad aliud pertinet prædicamentum.

PRÆTEREA lac, & aqua rarescunt ab igne per fervorem conceptum. Semoveantur ab illo, sensim, & paulatim fervorem amittendo, acquirunt densitatem pristi-

nam,

nam,quam habebant;igitur per condensationem non acquirunt qualitatem; patet consequentia, quia per emanationem, seu resultantiam refrigerascunt, & se reducunt ad pristinam consistentiam; ergo non per motum alterationis,qui terminetur ad densitatem,etenim etiam si ponantur in aere temperato per resultantiam fiet talis reductio.

QVARTO probatur quod non sint qualitates; nã metalla ut plumbum,& reliqua omnia rarefiũt quando funduntur,& liquantur;tum sic,rarefactio illa,& liquatio provenit à calore;ergo condensatio fiet á frigiditate,nam cõtrariorum eadem est ratio. Verum-enim vero hoc ultimum ita non est,quia metalla liquata ante quam refrigerentur condensantur,adhuc enim manum adurunt contingentem condensata. Nec poteris dicere, quod à frigiditate sola quæ emanat à forma metallorum producatur densitas,nam eo tempore quo iam fuit acquisita, adhuc frigiditas nativa non emanavit,quandoquidem in ultimo condensationis nimium adhuc calent, ut patet experientia. Densitas ergo erit consistentia illa quæ emanat à forma metallorum, & á frigiditate.

ALII relati à M. Vañez 4. de Generatione, inter quos præçipuus est Vailesius 4.physicorum tex.84. tenẽt diversam opinionem;asseruntque primo, in rarefactione non produci novam quantitatem:Secundo quantitatem,neque per se,neque informatam qualitate occupare maius spatium,quam antea:sed inter partes raras interijci,quædam corpuscula imperceptibilia, quorum appulsu tumescat,atq; rarescat, eorũdẽq, depulsu corpus contrahatur,& densetur.Et in summa naturam raritatis in multitudine,aut amplitudine pororum,densitatem vero in exiguitate,vel paucitate hosque poros,non esse vacuos,sed plenos substantia tenuiori, ut qui sunt in terra pleni aëre,qui in hoc pleni igne.

HÆC sententia Valesij magis accedit ad veritatem, quamvis eã non attingat prorsus. Non enim explicat an pori naturaliter existentes in materia multiplicentur, & fiant plures in rarefactione, & minores, aut pauciores in condensatione; aut solum dilatentur, & amplientur in rarefactione, & contrahantur in densatione. Neque assignat causam talis mutationis in poris, in utroque motu. Et impugnatur, quia ipse fatetur, quod pori sunt pleni aere ante rarefactionem; ergo aer ille non extendet in illa. Dices potest à calore aer rarefieri sicque cum occupet maiorem locum distendet, & poros, & corpus. Sed contra quia etiã si rarescat aer, & petat maiorem locum comprimetur á corpore, & non extendet. Etiam si uter plenus aere in balneo cálido sicco ponatur, ubi à calore rarescit, non distendetur magis uter; ergo aer in pores existens, etiam si calfiat, & atenuetur non extendet corpus, quia poterit comprimi ab illo.

PRO veritate est primo notandum, negari non posse poros in omnibus corporibus corruptibilibus: constat ex Aristotele qui 4. meteoro. cap 9. aliqua reduxit in illos, nam agens de his quæ comprimi apta sunt inquit: comprimuntur autem quæcunque meatus habent vacuos cõgeneri corpore, & compressibilia ea sunt quæ possunt in sua ipsorum vacua coire, vel in sui ipsorum poros; ubi poros appellat vacuos non simpliciter, sed aere plenos iuxta modum loquendi antiquorum; 2. enim animæ cap. 8. ait: rectè autem à veteribus audiendi vis vacuo tribuitur, nã aer vacuum esse videtur. Et supra in eodem capite: ergo concreta sunt, ut multos alterne positos meatus habeant comminuibilia: hactenus enim dividuntur, quæ verò longius frangibilia.

PRÆTER auctoritates sunt multa experimenta quæ id confirmant. Metalla quæ inter entia naturalia densiorem habent substantiam poris non carent: & sic aliqua pene-

trat

trat argentum vivum, ficut, & urceos testaceos. Et cum liquantur concipiunt ignem siquidem comburunt, quæ contingunt, ignis autem debet esse in poris necessario. Vēti naufragi in aquis maris concipiuntur, nam, qui ex terra prodeunt minus periculosi, ut norunt Nautæ; ergo intra aquas ventus nedum aër habet locum, & consequenter in poris, inde, nanque procellæ spumantes, & ad cœlum, usque tumescentes undæ.

SECVNDO notandum, quod sunt aliqua mixta, quæ talem habent naturam, ut sine discontinuatione partium possint distendi, & locum maiorem occupare. Hæc corpora vocavit Aristoteles, 4. meteoro. cap. 9. tractilia, ita ait: Tractilia sunt ea, quorum extrema pars potest transferri, nam trahi, est, superficiem ad id, quod est movens transferri non amissa continuitate. Sunt autem tractilia, ut pilus, lorum, nervus, massa, viscum. Hæc habet pro exemplo Aristoteles, plura enim sunt tractilia, ut membrana, & membranosa omnia, nervosa, cutis, fibra, &c.

HIS ita possitis rarefit mixtū, quia regulariter loquēdo, vi caloris subtiliantur, & attenuantur aliquæ eius partes, & proximè accedunt ad naturam aëris, & in poris faciunt, ut res extendatur, & maius occupet spatium.

SECVNDA conclusio. Condensatur mixtum, quia tales partes aëreę exprimūtur, & exhalant, & reducitur, vel ad eosdem poros, vel ad minores.

PROBATVR prima cūclusio, quoad omnes partes: omnes enim concedunt, quod rarefactio fit á calore sicut dēsitas à frigiditate. Deinde aqua gelata per rarefactionē fit fluida, & magis accedit ad naturam aëream. Confirmatur, nam aqua, quæ fervore rarescit ad ignem, vertitur in aërem, quia si multum ferveat tota absumitur, ut cōstat experientia. Idem probari potest inductione in omnibus rarefactionibus. Qua autē ratione pars illa aërea in poris,

facit, ut res extendatur, & maius occupet spatium, nunc ostendēdū; probavimus in impugnatione contra Vallesiū: quod aër existens in poris, non sufficit ad rarefaciendum, & dilatandum, etiam si ulterius rarescat: ergo pars illa aërea in poris facit extensionem patet consequentia: Materia illa flatuosa, & extenuata exitum quærens, quia impenetrabilis cum aëre, iam occupante poros extendit.

SECVNDA conclusio, probatur pluribus experientijs. Nā aqua rosata si geletur amittit substantiam odoriferā, quia ex condensatione ob minorationem pororū, ne detur penetratio exprimitur aromatica pars, postquā enim gelu evanescit, nullum spirat odorē, quem antea suavissimum spirabat, ut ego sensibili experientia animadverti, & unusquisque potest. Idē asserit Avicena de nimia frigiditate nivis, quæ exprimit humiditatem substantificam ab orificio venticuli. Nemo est, qui ignoret, quod vinum congelatum, vel refrigeratum nive, postquam amittit gelu maximè degenerat abonitate, & ferè in suave redditur, non ob aliam causam, nisi quia per congelationē exprimitur halituosa pars, & exhalat, cuius bona portio vinum pretiosum efficit. Neque amphora aquæ plena quæ congelatur, si liquefiat integre replebitur ad exquisitam pristinam mensuram.

METALLA etiam rarefiunt, quando funduntur, & liquantur, sed si animadvertitur ferè imperceptibile maius spatium occupant, quam ante fusionem, tum quia, ut maximè densa, & compacta minores habent poros, tū etiam quia non habent, naturam illam, ita tractilem, ut mēbranosa, & nervacea corpora. En inter omnia metalla aurum plus ponderat, quia solidius est, & minores habet poros, atque ita si liquescat, & fundatur, quodadmodo rarescit verum ad maius spatium notatu dignum non extenditur, quemadmodum lac, & mel, & reliqua porosiora. Negari ergo non potest, quod dentur pori, & quod in ra-

refactione dilatentur à subsistentia attenuata, quæ exprimitur in condensatione? In rarefactione, & condensatione mellis tota doctrina verificatur:nam ad ignem subliantur,& attenuantur partes mellis flatuosæ,& accendẽtes ad naturam aëris,quæ in poris vitantes penetrationẽ cum aëre,& exhalare cupientes distendunt mel, ut indicat spuma,qua sublata,& exhalante,mel,& durius, & dẽsius fit,& minus flatuosum.

DATVR parvitatis materiæ in cõdensatione terminus in quolibet mixto,ita, ut omnino condensatum amplius densari nõ possit nã amphora,v.grat. aquæ si congeletur tertiã plus minus spatij partem amittit,non autem dimidiã,aut plus, quia repletis poris non amplius cogi potest ne contingat penetratio. Et hæc est causa ob quam uter repletus,& distentus aëre adhuc comprimi potest aliquãtulum ,verum si multum comprimatur rumpetur procul dubio ad vitandam penetrationem.

PROBATVR utraq; conclusio. Quia sine nova quantitate,vel novo corpore non potest intelligi rarefactio , ergo Probatur antecedẽs,quia rarescente corpore una pars distat ab alia plus quã antea,sed nõ potest distare sine interiectu pororũ,ergo:Probatur minor, quia sẽper una pars immediatè unitur alteri per pũctũ,pũctũ autẽ est indivisibile:ergo nisi inter partẽ,& partẽ interijciatur aër in poris,nunquam una pars distabit ab alia,nisi per punctum.

RESPONDENT negando antecedens : ad probationẽ dicũt;partes proporcionales nunquã distare magis, aut minus,quia non uniuntur secundum partem determinatã, sed secundum indeterminatam per punctum , magis autem,aut minus distare est affectio partis determinatæ.

SED nõ obscure apparet,quod hæc potius sit evasio quã responsio, quia partes proporcionales desumuntur ex aliquotis aliquotæ autem uniuntur per punctum , atque ita non possunt distare, nisi per poros,ita manifestè,ut in

rarefactione. Tandem si partes proporcionales nunquã distant magis, aut minus, & hoc sufficit, ut vult argumẽti responsio; nullus esset terminus dilatationis in rarefactione, sed magis, ac magis posset rarescere, quod est falsum, quia ne detur discontinuatio in rarefactione, & penetratio in densatione datur terminus magnitudinis, & parvitatis, utpatet.

PRÆTEREA, quia sequitur in rarefactione unã partem occupare duos locos, & in densitate duas partes in eodẽ loco penetrari; cõsequens falsum, ergo. Probatur maior, constituantur duæ partes certę occupantes medietatẽ palmi rarescãt illæ duæ per spatium alterius medietatis; tum sic illæ duæ partes retinent medietatem palmi quam antea, & per te nulla facta additione, neque poris interiectis occupant aliã medietatẽ; ergo una pars est in duobus locis, patet consequentia; nã pars, quæ ante occupabat quartã palmi partem, nũc occupat duas quartas partes, & quæ occupabat dimidium palmum, nunc occupat integrum. In condensatione autẽ partes penetrari, sic probo: sit corpus rarum in uno palmo denseturad medietatem palmi: tum sic illæ partes sunt in loco duplo minori, quã antea: ergo duæ partes penetrantur in eodem loco, quia antea medietas illius corporis occupabat totum spatium, quod modo occupat totum corpus; ergo medietas altera illius corporis existit in eodem loco cum altera medietate.

AMPLIVS confirmatur ante densationem medietas illius corporis, ita replebat totum locum, ut cuilibet parti loci, responderet pars ceræ, modo ijsdemmet partibus existentibus in eodem copulantur aliæ partes in eodem loco; ergo e equæ adduntur occupant eundem locũ, quem præcedentes patet consequentia, quia totus locus antea erat repletus medietate ceræ, ergo etiam nunc est repletus eadem medietate, ergo medietas superaddita occupat eundem locum medietatis præcedentis. Pręterea

ca-

eadem pars non poteſt habere ſimul duas ubicationes,neque eadem ubicatio poteſt eſſe in duobus locis, ſeu partibus,at hæc abſurda ſequuntur in contraria ſententia:ergo.Probatur minor: quia pars,quæ rareſcit occupat locũ præcedentem, ergo retinet ſemper præcedentem ubicationem,item extenditur ad novum locum,ergo etiam habet novam ubicationem,habet ergo duas.

PROBATVR de condenſatione: Nam contrahuntur partes,& deſerunt præcedentem locum,& duæ partes reducuntur ad locum unius;ergo una ubicatio ponitur in duabus partibus. Demum,quia eadem pars quantitatis non poteſt habere duas partes raritatis, ſed eas haberet, niſi addatur nova quantitas;ergo.Probatur minor;ponamus duo corpora,equaliter rara, ecce ſingulæ illorum partes habent ſingulas partes raritatis;tunc rareſcat magis alterum,illa nova raritas, in quo reciperetur? Non in nova quantitate,ergo in præcedenti;ergo eadem pars quantitatis haberet duas partes raritatis.

OMNIA hæc argumenta habent difficultatem ferè inexplicabilem,utpatet præcipuè in reſponſionibus. Quæ enim maiorem habet fucum, ſeu apparientiam, ita ſcribit:Quod licet totum corpus retineat,totum locum precedentem,nullam tamen partem illius manere in loco, in quo antea erat,ut quando cælum movetur,totum cęlum eſt in eodem loco, & nulla illius pars retinet præcedentem.Atque ita nulla pars rarefacta retinens primum locum,occupat novum,ſed relicto primo occupat novũ: hic vero non ſequitur eandem partem eſſe in duobus locis,ſed occupare maiorem locum, quod provenit ab ipſa raritate,tanquam á cauſa formali primaria, & ab ubicatione tanquam à ſecundaria. Si roges, quo pacto partes magis diſtent inter ſe? Reſpondent id provenire,tum ex compoſitione continui ex partibus diviſibilibus, quę propter infinitam diviſſibilitatem poſſunt magis, ac magis

ris protendi, quod non reperitur in compositione ex solis indivissibilibus.

RETVLI responsionem, ut ipsa per se erubescat sine confutatione. Quis enim intelliget in corpore rarescente, nullam partem illius manere in loco in quo erat? absurdum namque est dicere in lacte rarefacto ebullitione ad ignem, quod solum occupabat medietatem vasis, nullam partem lactis manere in ea quando occupat totũ vas; neque hoc probatione indiget. Exemplum de cœlo ridiculum est, quia tota pars mutat locum sensibiliter, quod non accidit in lacte rarescente, neque in cera, neque in aqua, aut fusis metallis, nisi quis sensus neget claritatem. Ob id distensio prouenit ex compositione partium divissibilium, quæ non esset necessaria si locus relinqueretur.

TERTIA conclusio. Quamvis rarefactio non sit motus ad qualitatem, ut diximus in prima conclusione nascitur ex qualitate. Explicatur, & probatur conclusio. Quia nisi peculiarem modum substantiæ, aut qualitatem habeat mixta non possunt rarescere. Modus autem substantiæ, aut qualitas tale connotat mixtum, quod multum habeat elementi aquæ, vel terræ, vel utriusque, ut affirmat Aristoteles 4. meteo. c. 6. Dicens, quę concrescũt, vel ad aquam vel ad terram, & aquam pertinent. Omnia ergo mixta cõpressibilia tractilia, & ductilia possunt rarescere plus minus, ut patet ex Aristo. 4. meteorũ. Compressibilitas autẽ, tractibilitas, & ductibilitas, vel sunt modus substantiæ; vel secunda qualitas orta ex primis, quæ comitem habet lentorem. Hæc ergo dumtaxat mixta capacia sunt raritatis, ut metalla, liquata, cera, lutum, massa, mel, oleum, &c. Primum enim poros habent, in quibus introducta substantia aërea possit facere distensionem; & præterea, naturam habent ductilem, & tractilem ad rarescendum; & compressibilem ad densitatem.

CON-

CONFIRMATVR, nam testa figulina non potest rarescere ab igne, quin potius ab eodem cōdensatur; nam quamvis habeat poros, ut ostendit argentum vivum, quod vasa testacea penetrat, non tamen rarefit, quia non habet dictum peculiarem modum substantiæ, seu secundam qualitatem penes quam duci, aut trahi possit. Glandes, & castaneæ quamvis ignescant, & poros habeant, ut ostendit flatius intromissus, quem emittit cum strepitu, & saltu, non tamen rarefiunt, quia non habent talem secundam qualitatem, & ideo, quia distendi non possunt expellunt flatum cum strepitu si non rumpantur.

QVARTA conclusio. In condensatione restauratur qualitas, seu modus substantiæ, quem antea habebat mixtū: Dices ergo iam terminatur condensatio ad qualitatem. Respondeo, quod modus substantiæ, seu qualitas illa secunda iam inerat mixto, vt connaturalis, videlicet ductibilitas, aut tractibilitas, aut compressibilitas: dumtaxat in rarefactione, ex huiusmodi qualitativa radice nascitur, quod possit aërea substantia in poris inclusa distendere mixtum. In condensatione per emanationem, seu resultantiam à forma acquirit mixtum pristinum statum, & qualitatem, seu modum substātiæ cesante distensione caloris. Qualitas hæc, seu modus substantiæ re vera non amittitur, nam cera liquefacta, & rara eundem habet lentorem, & solum immutatur in acquisitione maioris spatij, ut in condensatione in deperditione illius.

OMNES huiusmodi sunt resultantiæ, seu emanationes, ut patet in lacte feruescente, in aqua, melle, cera, metallis. Omnia hæc ad ignem ebullientia rarefiunt, semota autē ab igne, sine contrario frigore positivo, & actuali crassescunt, & condensantur per resultantiam, seu emanationē, ut patet inductione.

RESTAT iã, ut argumentis in contrarium fiat satis. Primum: quia nimio frigore disrumpitur, vas plenum aqua, quia hæc glaciat, at id non fieret si corpuscula essent interiecta intra ipsam aquam ergo non sunt. Maior experientia patet; minor probatur, quia cũ aqua densatur omnia illa corpuscula sursum ascenderent, occuparentq; locũ ab aqua desertum. Cumque intra idem vas essent sufficiẽtia corpuscula ad eius capacitatem complendã non esset cur disrumperetur vas ad attrahenda alia corpuscula quibus repleatur fugiatque vacuum.

RESPONDETVR vas ideo disrumpi, quia aqua conglaciat versus partem superiorẽ, & illac non posse corpuscula egredi, itaque efficitur ruptio qua parte via munitur ingressui aëris ad replendum vacuum. Quod autẽ intra poros aquæ maneat aër inclusus patet manifestissimè in gelu, innatat enim super aquam quemadmodum lignũ, & utres aëre pleni: patet etiam in succino in quo intercepta, & conclusa manent animalcula, ut musca, & formica, asseritq; id Arist. meteoro. 1 o. c. Dices, si aër manet inclusus in gelu, rumpetur gelu priusquam vas, ne detur vacuũ. Dicam aër subito interceptus, non potest exire, rumpitur autem vas, nequaquã gelu, quia frigiditas efficit unionem, quam dissolvit ruptio, atque ita cedit causæ secũdæ operanti, & generanti tale mixtum gelu: vas autem rũpitur, quia nulla est causa impediens, & generans vas. In fistula per quam media inspiratione ascendit aqua melius esset, ut, vel non attraheretur, nec cederet aër ad vitandum vacuum, vel rumperetur fistula vitrea; neutrum cõtingit, sed aqua ascendit, quia non impeditur à causa secunda operante: si eo in stanti gelaretur aqua, rumperetur fistula.

DEINDE obijcitur in vitrea ampulla dicta ventosa rarescit aër ab igne, deindensatur, & rumpitur vas, quod non fieret si darentur corpuscula. Respondeto, non rarescit, ut condensetur, quia semel rarus non datur causa den-

sans:

sans: sed plures fuligines ex stupa accensa, quærentes exitum, ita moventur, & uniuntur, ut ne detur vacuum accurrat sanguis.

SIT ex dictis primum corollarium: Quod tenebræ, ut tenebræ sunt, non possunt esse densæ, vel raræ, quia sunt mera privatio, & non ens; densitas verò, & raritas supponunt modum substantiæ, vel secundam qualitatem, ut radicem rarefactionis, & condensationis. Tenebræ ergo immissæ a Deo Ægyptis alterius fuerunt ordinis, siquidem tā densæ fuerunt, ut palpari possent. Aliqui fuerunt, qui sacram paginam interpretātur, quod accōmodetur ei, quod contingit in tenebris, sic enim palpantes incedimus timore offendiculi ambulātes in eis, quo circa palpabiles appellet. Abulensis vero refutat merito, hanc dictionē, & ait verè fuisse aërem crassum, & palpabilem. Sed infert difficultatem, nam aër quātumvis crassus dummodo intra ideam aëris persistat potētia diaphanus est, ac proinde lux illa inaccessibilis, quæ erat ubicunque habitabant Hebræi posset videri ab Ægyptijs, nam quātūvis crassus aër intercedat, è nimis longinquo loco solet lumen videri, quia excellens sensibile, quod non contigit Ægyptijs. Crediderim ergo aërē non perstitisse intra ideā aëris, sed á Deo fuisse factū oppacum, & incapacem luminis ne lux refulgens Hebręis elonginquo videretur, sicut cœlum Empireum quadam est, quasi cortina oppacca contectum, ut P. Coimbricē. & alij, vel crassities illa tenebrosa, ita immersa oculis Ægyptiorum, ut internum lumen oculi dissiparet.; quod affirmare videtur Iansenius, quamvis hic autor tenebras non in aëre, sed in oculis Ægyptiorum extitisse scribat, quod est contra textum asserentem eas fuisse palpabiles. Falsum ergo est, quod scribit Vallesius lib. de sacra philos. cap. 53. Nimirum, quod aër illuminatus rarescit, quia lumen ignem convocat lumine privatus crassescit excluso igne. Etenim per tenebras, solum acquirit privationem,

quæ

quæ est non ens crassities autem, quid possitivũ est:&, è lcuncarum distantia ignem videmus, ut confirmat experientia. Quod vero iusu Dei factus fuerit aër oppaccus contra propriam naturam insinuat sapientia divina cap. 17. appellat enim vincula tenebrarum: & quod una catena tenebrarum omnes Ægyptij erant colligati: & dispersi velamento. Quæ omnia non possunt tribui aeri quamtumlibet crasso.


SECVNDVM corollarium. Causa secundum Filonẽ fuit eclypsis. Sed eclypsis solem, non autem stellas obscurat. Dicit vero divina Sapientia dicto capite; nec sydorum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Caietanus substractionem radiorum Solis, & Stellarum causam assignat illius caligmis. Sed satisfacere non videtur, quia per solam substractionẽ luminis, tenebræ solum, & mera privatio introducitur, quæ non posset impedire, quo minus lux affulgens Hebręis videretur ab Ægyptijs. Igitur aër iubente Deo amissit naturam aëris, & acquisivit naturam terræ oppaccam; ignis enim aqua, & aër habent diaphaneitatem, & capacitatem lucis; vel aliquod corpus oppaccum terreum possitum fuit inter Hebręos, et Ægyptios ne lux communicaretur; vel, ut dixi vapores caliginosi, & crassi, ita immersi oculis Ægyptiorum, ut internum lumen oculi, dissiparent.

VLTIMVM corollarium. In admirationem vocat, quod vocaverit Moysem Pharao triduo expleto tenebrarum, & quod non fuerit oblitus, ut in alijs plagis flagelli trãsacti. Video, quod timens duriora, ut aiunt autores libertatem obtulerit. Sed suspicor, quod etiam in hoc latet philosophia, nam qui ex magnis tenebris in lucem transferuntur solent obcæcari, & offendi à luce, atque dolorem persentire, quæ noxa forsam cogit Pharaonem, etiam ad offerendam libertatem.

CA-

CAPUT X.

ET Dixit Dominus ad Moysen: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. Sitque pulvis super omnẽ terram Ægypti, erunt enim in hominibus, & iumentis, ulcera, & vesicæ turgentes in universa terra Ægypti. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlũ factaque sunt ulcera vesicurum turgẽtium in hominibus, & iumentis. Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera, quæ illis erant, & in omni terra Ægypti. Exodi *cap.* 9.



ROPE est Dominus, ut ostendat mirabilia in Ægyptijs; intimius nanque in hac plaga affligit eos, utpote, quæ eorũ corpora tangit à cute, & sensim penetrat, dividit, & corrodit, usq; ad ulcera, cũ anteriores plagę non proficerẽt. Sic enim cum non sibi satisfecisset satan in cap. 2. Iob in laboribus immissis exterioribus, impetravit à Deo, ut tãgere posset cutem, & carnẽ ulcere pęssimo. Insignis morbus est ulcus continet enim, plerũque tria genera, nempè intemperiem, morbum organicum, & communem solutæ unitatis quocirca, tum propter hæc, tum propter mysteria, quæ quodadmodo sub Phisica, & Medicina latent, Phisicam, & Medicam postulant attentionem.

VESICÆ, ut inquit Pererius citatus à Cornelio Lapide in hoc loco, sunt quidam tumores excitati in cutè à calore ele-

elevante, & resolvente, qui continēt humores aqueos resolutos á calore ignis, ex partibus carnis subtilioribus, & delicatioribus. Deinde calore magis siccante, cutis hominum, & animalium consumebatur, & contrahebatur, ac denique rumpebatur, quæ ruptio carnis aperta dicebatur vulnus. Post rupturam cutis, caro illa aperta, & hians paulatim putrescens, & consumpta fiebat ulcus.

SED multa sunt in Pererio, quæ inferunt difficultatem; si enim tumores elevantur à calore resolvente, qua ratione continent tumores aquosos? qui etiam sunt resolubiles. Si dicas, ut etiam insinuat locus, quod resoluti sunt ex partibus carnis subtilioribus, & delicatioribus. Hoc potius est colliquatio quam resolutio; colliquatio verò partiū carnosarum, quid diversum est ab humoribus aqueis. Deinde consumptio, & contractio cutis à calore siccante, non potest esse causa ruptionis, quoniam cutis, quæ siccatur, & contrahitur, rugas contrahit, tenditur, & concidit, tantum abest, quod rumpatur, ut videre licet in senibus, in quibus cutis consumpta à senio sicco rugosa tenditur sine ruptura. Tandem in fine, inquit, Pererius, quod caro hians paulatim putrescens fiebat ulcus, quod videtur esse contra textum, quia statim misso pulvere à Moyse in cœlum, ait, quod facta fuerunt ulcera, & non paulatim, aut tractu temporis.

VERVM enimvero congruentius videtur dicendum ulcera illa fuisse, vel carbunculosa; vel Phlictenas degeneratas in herpetem. In abstrusa, & intacta medicina mirum non est individualē non apponi censurā, sed cū disiūctione. Vlcera carbunculosa bullas habent, & vesicas quemadmodum in ambustis, ut inquit Galenus, lib. de tumorib. præternaturam, ex qua parte, quoniam ingentissimū calorem præseferunt potuit fieri, ut malefici stare non possent coram Moyse propter ulcera. His favere videtur Hebraicus textus, ex quo, ut aiunt colligi videtur, vesicas nō generare ulcera, sed ulcera vesicas,

SED

SED facilius adducor, ut credam ulcera non fuisse carbũculosa, quoniam carbunculus, acutus, & lethalis est morbus, & sacra pagina non narrat mortuos fuisse Ægyptios ex hac plaga. Quin etiam, neque fit mentio de remotione flagelli per manus Moysis, ut alijs, quod si morbus fuisset acutus, & lethalis vocatus fuisset Moyses ad plagæ libertatem.

MOLES in sua Pathologia, ait ulcera de quibus in nostro textu fuisse herpetem, sed improbabile videtur, nam herpes adhuc miliaris talis dicitur, quia pustulæ milio similes in summa cute excitantur pustula vero differt a vesica, ut patet in carbunclo in quo, & datur pustula eius præcipua pars, & datur vesica in ambitu inflammati tumoris, quæ similis est his, quæ excitantur in combustis ab igne, vel ab aqua fervida in phlictenis vero dantur vesicæ, seu bullæ, ut evidenter deducitur, ex omnibus autoribus, qui de re chirurgica scribunt. Igitur verbum vesica nostri textus, quemadmodum est venerandum, ita proprissimè ponderandum.

CREDIDERIM ergo vesicas fuisse Phlictenas degeneratas tamen in Herpetem. Nam Phlictenæ, aut Phlictides Græcis dictæ papulæ, pustulæ, & vesicæ à Latinis dicuntur, & vulgo ignis silvester, emergunt enim sponte subflavi humoris copia distinctæ, ac repletæ bullarum modo lividæ, & illis similes, quæ ab aqua fervida, vel ab igne abustis erumpunt.

CVM in Phlictinis, igitur cuticula elevetur, ac in tumorem assurgat erit morbus, in compositione, & præcipuè in magnitudine aucta. Cum vero ruptæ fuerint vesicæ in Ægyptijs fuit morbus in solutione continui. Causæ ex quibus Phlictenæ fieri solent plures sunt, internæ, & externæ, ut inquit Hyppo. lib. de humidorum usu versus finem. Externæ sunt cutis irritamenta splenia arctiora, insolita asperorum vestimentorũ gestatio, aut sudoris exitus,

tus, & si quis ex frigore de repente ad ignem, aut calida lavacra accesserit. Internæ, vel sunt antecedentes, vel coniunctæ: antecedentes sunt biliosorum humorum, ac ferventium repletio, quia natura ab eorum copia, ac mala qualitate irritata, ab internis partibus ad externas, & ad cutem, tanquam ad totius corporis cloacam expelluntur, qui cum subtiles sint facile carnosas partes, quæ sunt raræ pervadunt, ac per transeunt, in cute verò retinentur, & ibi vesicas excitant quia hæc pars densior est. Coniuncta vero causa est biliosus humor ferucidus sub cuticulà coadunatus.

SED cum huiusmodi morbus immisus fuerit adeo in flagellum Pharaonis, nulla intercessit externa causa, sed ad nutum Dei interna mota, & generata. Quamvis enim Deus miracula efficiat, causarum secundarum permittit congressum, quia nihil detrahunt operationis portento, sed addunt potius suavitatem agendi. Biliosus ergo, & fervidus humor causa fuit coniuncta in hominibus, & iumentis conservationis vesicarum turgentium. Cinis vero acceptus à Moyse de camino ignis fortasse fuit signum humoris calidissimi, & ferventissimi morbum effecturi reperitur in operibus Dei armonia quædam, & consonantia, & inter cinerem fervidum, & acrem, & humorem biliosum, non parva intercedit.

PHLICTENÆ vero simplices non perstiterunt, sed vel cōplicatæ, vel degeneratæ in herpetē. Quia in Phlictenis nō reperitur ulcus; aliquando vero illud generant; ut cōtigit in nostrò casu: nā etiā Aetius serm. 14. c. 63. aliquando Phlictenæ, nisi rectè curentur, aut mitiores fuerint, in herpetē exedentē degenerare solent: at herpes exedens serpēdo erodit, & ulcera multa, & foramina efficit, & ambo affectus simboli sunt, & congeneres: etenim ut phlictenæ dicūtur ignis Silvester, ita Herpes ab Arabibus formica corrosiva & à celso sacer ignis, à recentioribus pustulæ malæ cholericæ, & herpes Græcis ab effectu, quoniā cōtinuo serpit ut inquit Gal. 2. meth. c. 2.

PORRO

PORRO ait sacra scriptura fuisse vesicas turgentes: neq; cõstat quid sit turgentia, neq; qua lege accipiatur hoc in loco, utrunque autem oportet explicari ad edonationem textus. Duæ sunt medicorum sententiæ in hac re. Prima est communior asserentium turgentiam refferri ad humores cum vehementi motu agitantur, ac ab uno loco in aliũ confluunt, ac dolores, & titillationes inferũt quiescereque ægrum non permitunt. Itaque tota ratio turgentiæ pẽdet ex humorũ varijs, ac inordinatis motibus: fit itaq; ut cum non quiescant, neque coqui possint vacuari tantum desiderent. Mercatus lib. de pecul. indi. c. 6. & alij existimãt turgentiam nõ posse pertinere ad humores ipsos, sed potius ad naturã nostrũ corpus gubernantẽ. Probãt initio sumpto ab acceptione huius vocis turgere qua usus est Theophrastus 1. de caus. plant. c. 6. ubi refert plantas turgere, & per hoc verbũ intelligit, habere appetitũ, & impetum, seu concitationem quandam naturalem Germinandi, & producendi fructus, ex materia, quã hieme cõtraxerunt cuius facta collectione magna, ineunte veré concitatur naturalis plantarum appetitus ad germinãdum, qui quidẽ actus appetitus dicitur. apud Theophrastum turgentia, & sic inquit plantas turgere ad partum & rursus 6. de hist. plãt. cap. 18. appellat illam vocem organ. idest surgere ad expellendum. Apud Aristo. 6. de hist. anima. cap. 18. etiam reperitur passim mentio huius vocis turgere; ubi loquẽs de quadrupedum fæminis refert ad concubitum eas turgere ex prominentia genitalium partium, sumpta ad id cognitione, nec non ex frequenti mictu. Vnde, & apud Aristo. etiam turgere, naturale significat desiderium, & insitum appetitum, quo fæminæ concubitum quærunt ad sobolem propagandam. Hyppocrates etiam usus est hoc nomine, eadem significatione nã loquens de fracturis, quibus os propelli debet inquit. Si ossiũ recessio in hoc curationis modo futura est nota hæc erit. Pus copiosũ ex ulcere

ema-

tus,& si quis ex frigore de repente ad ignem, aut calida lavacra accesserit. Internæ, vel sunt antecedentes, vel coniunctæ: antecedentes sunt biliosorum humorum, ac ferventium repletio, quia natura ab eorum copia, ac mala qualitate irritata, ab internis partibus ad externas, & ad cutem, tanquam ad totius corporis cloacam expelluntur, qui cum subtiles sint facile carnosas partes, quæ sunt raræ pervadunt, ac per transeunt, in cute verò retinentur, & ibi vesicas excitant quia hæc pars densior est. Coniuncta vero causa est biliosus humor ferucidus sub cuticula coadunatus.

SED cum huiusmodi morbus immisus fuerit adeo in flagellum Pharaonis, nulla intercessit externa causa, sed ad nutum Dei interna mota, & generata. Quamvis enim Deus miracula efficiat, causarum secundarum permitit congressum, quia nihil detrahunt operationis portento, sed addunt potius suavitatem agendi. Biliosus ergo, & fervidus humor causa fuit coniuncta in hominibus, & iumentis conservationis vesicarum turgentium. Cinis vero acceptus à Moyse de camino ignis fortasse fuit signum humoris calidissimi, & fervidissimi morbum effecturi reperitur in operibus Dei armonia quædam, & consonantia, & inter cinerem fervidum, & acrem, & humorem biliosum, non parva intercedit.

PHLICTENÆ vero simplices non persliterunt, sed vel cõplicatæ, vel degeneratæ in herpetẽ. Quia in Phlictenis nõ reperitur ulcus; aliquando vero illud generant; ut cõtigit in nostrò casu; nã etiã Aetius serm. 14. c. 63. aliquando Phlictenæ, nisi rectè curentur, aut mittiores fuerint, in herpetẽ exedentẽ degenerare solent: at herpes exedens serpẽdo erodit, & ulcera multa, & foramina efficit, & ambo affectus simboli sunt, & congeneres: etenim ut phlictenæ dicũtur ignis Silvester, ita Herpes ab Arabibus formica corrosiva & à celso sacer ignis, à recentioribus pustulæ malæ cholericæ, & herpes Græcis ab effectu, quoniã cõtinuo serpit ut inquit Gal. 2. meth. c. 2.

PORRO

PORRO ait sacra scriptura fuisse vesicas turgentes; neq; cōstat quid sit turgentia, neq; qua lege accipiatur hoc in loco, utrunque autem oportet explicari ad edonationem textus. Duæ sunt medicorum sententiæ in hac re. Prima est communior asserentium turgentiam refferri ad humores cum vehementi motu agitantur, ac ab uno loco in aliū confluunt, ac dolóres, & titillationes inferūt quiescereque ægrum non permitunt. Itaque tota ratio turgentiæ pēdet ex humorū varijs, ac inordinatis motibus: fit itaq; ut cum non quiescant, neque coqui possint vacuari tantum desiderent. Mercatus lib. de pecul. indi. c. 6. & alij existimāt turgentiam nō posse pertinere ad humores ipsos, sed potius ad naturā nostrū corpus gubernantē. Probāt initio sumpto ab acceptione huius vocis turgere qua usus est Theophrastus 1. de caus. plant. c. 6. ubi refert plantas turgere, & per hoc verbū intelligit, habere appetitū, & impetum, seu concitationem quandam naturalem Germinandi, & producendi fructus, ex materia, quā hieme cōtraxerunt cuius facta collectione magna, ineunte vere concitatur naturalis plantarum appetitus ad germinādum, qui quidē actus appetitus dicitur. apud Theophrastum turgentia, & sic inquit plantas turgere ad partum. & rursus 6. de hist. plāt. cap. 18. appellat illam vocem organ. idest surgere ad expellendum. Apud Aristo. 6. de hist. anima. cap. 18. etiam reperitur passim mentio huius vocis turgere; ubi loquēs de quadrupedum fæminis refert ad concubitum eas turgere ex prominentia genitalium partium, sumpta ad id cognitione, nec non ex frequenti mictu. Vnde, & apud Aristo. etiam turgere, naturale significat desiderium, & insitum appetitum, quo fæminæ concubitum quærunt ad sobolem propagandam. Hyppocrates etiam usus est hoc nomine, eadem significatione nā loquens de fracturis, quibus os propelli debet inquit. Si ossiū recessio in hoc curationis modo futura est nota hæc erit. Pus copiosū ex ulcere

cma-

emanat turgereque pars affecta videtur. Galenus etiam in Commentario,inquit:quod si Gliscere,quoque videatur, quod vocabulum vocat ad excretionem festinare ,ac incitati pars , quæ laborat , tunc pro certo id haberi potest. Ex quibus utriusque auctoris verbis confirmant hāc vocem,turgere non ad humores, sed ad partem ubi continentur proprius pertinere , siquidem, ut inquit Galen. Quando os abscessurum est , invertuntur labia ulceris, ac intumescunt veluti turgentia ad expellendum. Igitur turgere apud Hyppocratem, Teofrastum,& Aristotelem est, quando pars,aut totum corpus gliscit,aut ferbet expellendi desiderio,quod sibi molestum est. Eodem enim prorsus modo in humanis corporibus coniectabile est naturā turgere,cum aut onere præmitur,aut acrimonia , & malitia lacessitur,& ad evacuandum Gliscit,& movetur. Quod amplius confirmat Hyppocrates,lib. de morbis mulierū: in fęminis,quæ non probe purgantur à partu,& hac occasione succrescunt illis febres,aut alia mala,quæ eodem loco,idem autor refert. Inquit enim cum sic habuerit leves cibos exhibeto,& si turget pharmacum infra purgans dato bibendum. Quibus verbis demonstrant hoc verbum, turgere non ad humores,sed ad corpus , aut particulam referendum esse: Quotidiana etiam experientia, hanc sententiam nostra corpora confirmant, siquidem plurimum turgent,& inquieta manent,quo tempore,aut alui excrementa,aut urina plus iusto detinentur · insurgit enim tū natura,ac turget,ut ea,è corpore pellat, licet nullo motu excrementa sua sponte moveantur.

SED huiusmodi contrarias,& capitales sententias, non est difficillimum conciliare quadam distinctione, quę probavit,quamlibet seorsum sumptam,ut excludit aliam falsam esse. Sit exemplum: paries philosophicè loquendo disgregat visum si albus fuerit,ut quod; Albedo vero disgregat,ut quo. Etenim cum actiones sint suppositorum , seu

par-

particuralium subsistentium, actio propriè disgregandi competit parieti, ut quod, ipse enim est suppositum, quod disgregat. Albedo vero disgregat visum, ut quo, idest ratio est, sub qua paries disgregat, nisi enim paries haberet albedinem, nequaquam disgregaret.

HÆC distinctio etiam circumfertur, sub nomine efficienter, & formaliter; nam paries disgregat efficienter, quia efficit disgregationem, quatenus est generativus specierum ad oculos venientium. Albedo vero disgregat formaliter, quia est forma accidentalis, quæ ita disponit, parietem, ut disgreget.

PARI modo natura, seu particula turget, ut quod, quia ipsa est suppositum, seu particulare subsistens, quod turget, aut nauseat, aut gliscit ad expellendum. Humores vero turgent, ut quo; idest sunt ratio sub qua natura, seu particula turgent. Certum est namque, quod si tales humores non ad essent, natura, aut particula non turgerent, vel dicito naturã, seu particulã turgere efficiẽter, seu in genere causæ efficientis, quia efficienter turget natura includit, nanq; turgentia conatum expulsionis, qui propriè competit rei viventi, & sub hac ratione nequaquam humoribus, qui nõ vivunt. Humores vero turgent formaliter seu in genere causę formalis, quia sunt veluti forma illius agregati, quod constat particula agravata, seu molestata, & humore gravante, seu irritante.

PORRO, quod solum conveniat turgentia naturæ, ut asserit Mercatus, & sequaces, nequaquam vero humoribus falsum est, quia si humores actu non purgerent nulla turgentia attribueretur naturæ, nõ enim semper natura turget quando evacuat per crisim, nisi actualis adsit irritatio, ex qua fit, ut gliscat, ferveat, & moveatur. Igitur connotat turgentia veluti anxietudinem, & motum, quo circa quando placida actione in crisi naturã expellit humorem morbificum, nullatenus dicitur turgere,

H ut

ut in confeſſo eſt apud omnes. Quando vero Virgilius, 7. Eglog ait.

Iam læto turgent in palmite Gemmæ.

VTITVR nomine turgentiæ figuratè, quia veluti conſiderat, quod in palmite gemmæ pungunt, & irritant ad expulſionem radicem ipſam; eſtque methaphorica, & poëtica locutio. In hoc ſenſus eſt interpretandus Theophraſtus, & Ariſtoteles. Et proprijſsima turgentiæ acceptio, quæ in animalibus laſcivientibus reperitur, titillationem, & irritationem importat factam à ſemine, ratione cuius furore, veluti æſtro percita hinc inde aguntur animalia convenit in tantum turgentia naturæ, ſeu particulæ, in quantum irritatur, & titillatur ab humoribus; tantum ab eſt, quod non debeat de illis dici etiam in ſuo genere, ut negat Mercatus.

HVMORES vero quamvis turgeãt, ut quo, & in genere cauſæ formalis, non tamen adeo illis convenit turgentia, ut non poſsit convenire naturæ, & particulæ, ut aſſerit cõmunis opinio. Quia ſi turgentia cõſiſtit in mobilitate, ut volunt; ob hanc enim humores turgentes ſtatim purgãdi ſunt nulla expectata coctione, ne irruant in aliquã partem principem; non minus natura ſtimulata, & irritata anxia eſt, & inquieta exiſtit, quouſque expellit. Quod vero humores turgeant, qui ſupernatantes ſunt ſanguinem univerſa concedit ſchola Medicorum.

SVPRADICTA ergo diſtinctione conciliantur facile contrariæ ſententiæ, & explicatur natura turgentiæ. Reſtat ergo ad explanationem ſacri textus dicere, de qua turgentia intelligendus ſit, an de turgentia formali, an de efficiente, an de utraque. Et videtur dicendum, quod utraque turgentia reperiatur in plaga Ægyptia, & de ambabus fieri mentionem in ſacro contextu; nam veſicæ turgentes formalem turgentiam connotant, aut eam, quæ propriè dicitur de humoribus, quia ut dictum eſt primum

phli-

phlictenæ excitatæ fuerunt;in quibus epidermis, seu cuti cula non vera elevatur ; qua propter vesica turgens non includit veram partem, quæ efficienter possit turgere, sed humorem contentum,& epidermidem elevatam ;quo circa formalis turgentia significatur in verbis illis;vesicarum turgentium.

SED, quia, ut diximus Phlictenæ, statim transierunt in ulcera,quia fervidissimus humor,& calidissimus corrodebat cutim veram,protinus subsecuta fuit efficiens turgentia, partes enim, & totus corporis habitus ulceribus scatens maximam concepit anxietudinem,& irritationẽ, & gliscebat, aut turgebat ad expellendum causam morbificam irritantem.Dicit vero Sacra Scriptura,facta fuisse ulcera vesicarum turgentium,referens turgentiam, po tius ad vesicas quam ad ulcera, ut insinuaret morbi progressum nimirum excitatas fuisse,quam primum vesicas, deinde vero ulcera ob corrossionem : turgentiam vero potius refert in vesicas quam in ulcera, quia humor inclusus in vesica fervidus, & corrosivus magis irritat, & pungit,quam excitato ulcere,in quo iam sunt excremen ta,quibus etiam patet exitus,& aliqualis expurgatio.His iam præsuppositis pro veneratione, & maiori explicatione textus sit.

PRIMVM corollarium. Postquam circumdatus fuit Pharao mirabilibus, & plagis ad extra ; iam ob duritiem cordis ad intra in hac plaga, incipit flagellari, adhuc enim Ægyptij nihil patiebantur in corporibus, tangitur vero in ea iam cutis,&caro.Signum autem fuit præcipuũ mortalitatis: Tum quia cinis symbolum eius est in sacris literis,ut norunt Theologi;tum etiam,ut aliquid præstet Physica cognitionis,quia communis erat antiquorũ opinio omnem morbum ulcus esse, ut Hyppocrates lib. de articulis,ait.Inflicta ergo fuerũt ulcera, quæ omnia morborum genera repræsentabant,ad flagellum Pharaonis,&

Ægyptiorum, nihil enim morte magis præ oculis haber i vult Deus omnipotens.

SECVNDVM corollarium, Phisicam infert difficultatem, quod legitur in textu. Nec poterant Malefici stare coram Moyse, propter ulcera, quæ illis erant, & in omni terra Ægypti. In his verbis, ut cēseo abscōditur Medicina. Hyp. lib. de ulcer. scribit; stare ulceri minimè conducit præsertim, si quis in crure ulcus habeat, imo, neq; sedere, neq; ambulare, verum otium, & quies maximè conferunt. Cū ergo otium, & quies maximè conferant; illud verbum stare, non significat omnimodam quietem, sed stare erecto corpore præsertim si in crure sit ulcus, quia in figura erecta agunt musculi, quod nocet ulceribus. Malefici ulcera habebant, & quis dubitet aliqua habuisse in cruribus, proinde, it textus, nec poterant malefici stare.

Ex natura rei, & morbi, quo affligebātur colligitur adhuc profundior cōsideratio Medica. Nā Turgēria de qua textus, præsefert, ut diximus anxietatē irrequietam, ut in turbatione humorū turgentiū, & ea, quæ præcedit crisim, in animalibus libidine furētibus, quæ hinc inde aguntur. Humor fervidissimus mordax, & turgens in ulceribus maleficorum stimulo, & punctione illos quiescere non permittebat, sed anxios, & hinc inde agitatos reddebat. Colligitur ex textu; non enim poterant stare propter ulcera, in quibus causalitas significatur.

SED cum virgulæ in Sacra Scriptura suū mysteriū significent, non caret ponderatione, quod habet; quod non solum malefici stare non poterāt propter ulcera, quæ illis erant, sed quę erant in omni terra Ægypti. Nā ulcera maleficorum probavimus, quod illos stare non permittebant. Verum cur addit, & in omni terra Ægypti? Quasi malefici stare, etiam non possent propter ulcera, quæ erāt in alijs, & in terra Ægypti. Moyses erat veluti Deus Pharaonis, ut dicitur 7. c. Ecce cōstitui te Deū Pharaonis:

Ma-

Malefici vero, qui stabant ad oppositum Moysis, erant veluti Dei positi à Pharaone contra Deum Hebræorum, pater, quia æmulabantur opera facta mirabilia á Moyse; dicitur enim cap. 7. vocabat autē Pharao, sapientes, & maleficios, & fecerunt etiam ipsi per incantationes quædam similiter. Quo circa malefici, ut prælati quamvis iniqui anxij, etiam erant non solum propter ulcera, quæ illis erāt, sed, quæ erant in alijs in terra Ægypti. Quia superiores debent esse anxij, non solum de infirmitatibus proprijs, sed etiam de infirmitatibus subditorum.

VLTIMVM corollarium. Dubitatur circa textum, qua ratione, si omnia animantia Ægyptiorum mortua fuerunt in præcedenti plaga, ut constat, statim in hac facta sunt ulcera in hominibus, & iumētis? Proculdubio Ægyptij suis animalibus orbati arripuerunt animantia Hebræorum, in quibus contigit plaga: & non mirum, quia res furtivæ secum afferunt plagam, & ruinam. Sed amplius dubitatur cum omnia arrepta fuissent animantia, cur ulcera dumtaxat fuerunt inflicta jumentis, & non equis, & camellis? Iumentum est animal symbolum laboris, & oppressionis, & quia Hebræi affligebātur operibus; ait enim Pharao c. 5. Opprimantur operibus: ob id punitus fuit labor Hebræorum in corpore animalis laboriosi.

(.?.)

CAPUT XI.

CUM ingressi fueritis terram Canaam, quam ego dabo vobis in possessionẽ si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius est domus nũcians Sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo tua. At ille præcipiet, ut efferantur universa de domo prius quam ingrediatur eam, & videat utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo sunt; intrabitque postea, ut consideret lepram domus, & cum viderit in parietibus ipsius, quasi vallículas pallore, sive rubore deformes, & humiliores superficie reliqua, egredietur ostium domus, & statim claudet illam septem diebus reversusque die septima considerabit eam. Si invenerit crevisse lepram, iubebit erui lapides, in quibus lepra est, & proijci eos extra civitatem in locum immundum; domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi pulverem rasuræ extra Urbem in locum immundum, lapidesque alios apponi pro his, qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. Sin autem postquam eruti sunt lapides, & pulvis elatus, & alia terra illita ingressus Sacerdos, viderit reversam leprã,

&

& parietes respersos maculis, lepra est perseverans, & immunda domus: quã statim destruent, & lapides eius, ac ligna, atque universum pulverem proijcient extra opidum, in locum immũdum. Quod si introiens Sacerdos viderit leprã, non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit purificabit eam reddita sanitate. Levit. c. 14.



AXIME solicitum videmus Dominum in lege veteri, non solum in curanda lepra, neque solum in præservando, verum etiam in præcavendo ipsam præservationem, & in huius cõsecutionem repetit malum repetit signa, repetit prognosim. Cum vero lex vetus tota fuerit figura Evangelicæ, proculdubio cãdorem, & puritatem stabilire contendebat in conscientia, & anima, siquidem tantopere omnem immunditiam vitavit, interdicens cibos omnes immundos, immunda sacrificia, & commercium cũ his, qui non tam morbis, quam immunditijs laborant, ut leprosis hominibus, & gonorrea, sive profluvio seminis correptis, & mulieribus, quibus fluerent menstrua.

DIAGNOSIS, Prognosis, & curatio lepræ tradditur in hoc capite, & antecedenti Levitici. Primum signum. Quãdo pili, qui oriuntur, ex infecta cute mutantur in album colorem. Estque adeo proprium signum, albus color, quod non solum in pilis reperiatur, sed in carne ipsa, ut etiam constat, ex verbis divinis. Alia quoque leguntur, 4. Reg. 5. in fine, ubi dicitur: egressus est ab eo leprosus qua si nix. Et meritò, nam malum fit a pituita, quę alba est, & maiorem candorem acquirit adusta, quia incineratur..

SECVNDVM signum est, ipsam lepram humiliorem esse carne reliqua. Vtrunque signum traddit Avicena cap. 9.

tractat. 2. Fen 7. libro 5. ubi ait. Ambiguum vero est differentia inter Alguada, quæ est morphea alba, & Albarras malam: & de differentia quidem inter utrasque est, quod pili oriuntur super Alguada, & sunt pili nigri, & flavi; & nascuntur super Albarras albi, & non alij. & est cutis magis depressa, & vehementius defossa, quam cutis reliqui corporis.

ALIVD sumitur ex morphea, seu vitiligine, quæ quia in lepram solet degenerare huius, quoq; est signũ; illudq; est maculã dilatari, ac crescere, ac transire in cute priores terminos hoc est amplificari, ac extendi vitiũ illud. Hoc quoque scribit Avicena, eodẽ loco, paucis interpositis verbis: quoniã de morphea (hęc est vitiligo, seu Guada) quædã est vehementis elongationis à colore corporis; & de ea est, quæ est propinquior ei, & est magis salva. Et in ea, quę est submersa, & non rubet, neq; sanguinem emittit, & est vehementis dilatationis capiens locum magnũ non est spes, & similiter illa, quæ omni hora incipit in additione.

CONFIRMATÆ iã lepræ signũ est si caro viva sit ea aspersa, hoc est, si nõ solũ in cute fit macula alba, aut lucẽs squamis, & ea sit humilior similiter reliqua cute, sed etiam ipsa caro viva sub cute sit pariter infecta, sit scilicet Alba, & modum substantiæ carneæ amisserit. Quod etiã elicitur ex sacra pagina, quam vetustissimam leprã appellat, & inolitam cuti; quia iam non indicatur robur expultricis, sed trahi etiã in cõsensum, omne genus carnosum, in quo maxima pars viriũ sita est. Hoc si ita habet iubet Avicena tẽtare puncta acu carnem. Si enim (ait) punctura acu extrahit sanguinem est Guada; si non sanguinem, sed humiditatẽ aquosam est barras: & hoc inquit non sanatur. Rursũ tentare iubet frictionẽ dicens: & iterũ, quæ rubet post fricationem est ad spẽ declivis, & ad hoc, ut si morphea, & quæ non rubet per eam est mala: nimirum ubi adhuc servatur temperamentũ in carne, acu sanguinis extrahitur,

&

& fricatione evocatur in cutem;ubi vero caro ipsa omnino etiam infecta est cutis fricata non rubet.

PVSTVLÆ deinde,& squamæ per universum corpus similiter albicantes,significant lepram. Victus depravatus, ut esus suillę carnis,leguminum si sit immoderatus, temperamentum frigidum,& humidum.

CIRCA prognosim,ea,quæ nuper de diagnosi dicta sūt opportet in memoriam revocare,nam levius malum est morphea,hæc tamen degenerare solet in leprā. Qui semel in malum incidit,curatus tamen iterum labitur desperatus est,ut etiam docet Moyses, dicto capite Levitici; nam morbus repetitus indicat magnum corporis apparatum , propensionem , seu proclivitatem naturæ , ac semina quædam morbi ex prima invasione , intus relicta esse in corpore,quæ recidivam operantur. Morbus autem in quem corpus valde propensum est facile degenerat in habitum.

MODVS ille explorandi leprosos Avicenæ , tum punctione acus,tum frictione magnam fidem facit : rectè autem monet Paulus,ne multum figatur acus ultra cutim, ita enim nulli,non exierit sanguis.Idem dicendum de fricatione,quæ si valida fuerit semper ruborem inducet,debet ergo esse mediocris.

MITIOREM affectum significat : cum lepra discurrens per totum corpus operit totam carnem à capite , usq; ad pedes,quidquid sub aspectum oculorum cadit.Et hęc etiā prognosis est ex sacra pagina,eodem in loco, quæ profecto,ut est verissima , est etiam naturali rationi consentanea ; duo enim significantur ex copiosissimo decubitu humoris in cute. Primum est robur facultatis expultricis,cum quo stare non potest habitualis intēperies viscerum internorum ; lepra vero tantum malum est , quod nunquam inveniatur confirmata saltem,& inveterata, sine depravatione temperamenti viscerum internorum.

Se-

Secundum est expurgatio principum partium ab humore illo contagioso, & pessimo: quando enim excrementa abundanter extrorsum per cutim emittuntur, fieri solet exhaustus pene totius humoris.

ALTERUM prognosticum sumitur ex sacra pagina, dicto capite, ubi legitur: Vir sive mulier in cuius capite, aut barba germinaverit lepra videbit eos Sacerdos, & siquidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flavus solito subtilior contaminabit eos, quia lepra capitis, ac Barbæ est. Ex quo loco notãdum, quòd in reliquis partibus pili albescunt, ut patet ex superioribus locis. Hic autem in capite, & barba, ait Moyses mutari in flavos, & tenues. Vallesius reddit causam, quod capitis lepræ, innasci solent achores, & ceria vocata medicis, vulgo tinea: sunt vero ulcuscula quædam manantia succum quendam liquidiori melli similem, quod aperte indicat, tali etiam sanie imbutam esse illis capitis cutem. Merito ergo tales inde capilli nascuntur tenues inquam, & flavi, ut, è reliquis partibus, quę salsa pituita imbutæ sunt nascuntur albi; nam ijs mulieribus, quæ tinea laboraverunt auro simi les capilli oriuntur.

SED quamvis hoc, ita posset contigere in capite, in quo achores nasci solent; in barba autem videtur, quod non item, cum in ea non oriantur. Quo circa existimo. Quod Spiritus Sãctus in priori loco significat capillos, qui sunt in parte ante quam ulceretur, aut pustuletur, qui in quacunque sunt albi á salsa pituita, & crassiores. Hoc autem in loco de capillis loquitur, qui renascuntur in parte postquam subijt ulcera, aut pustulas, qui in quacunque, tam in capite, quam in reliquo corpore, nascuntur tenues, & flavi. Colligo ex sacro contextu: inquit enim, & capillus flavus solito subtilior; in verbo (solito) facit relationem ad capillos quos antea habebat pars, ut puto ante quam ex ulceraretur, aut pustula afficeretur.

SED

SED, quia revolvimus Sacram Scripturam, lubet aliquã tulum immorari circa dubitationem ortam ex hoc loco, ubi in indagatione lepræ, quæ videtur contingere ædibus inquit: & cum viderit in parietibus ipsius, quasi valliculas pallore, sive rubore defórmes, & humiliores superficie reliqua claudet illam septem diebus, reversusque die septimo considerabit eam, si invenerit crevisse lepram, &c. Magnam igitur ingerit dubitationem cogitare qua ratione possint ædes laborare, lepra, & valliculas fieri in parietibus pallore, sive rubore deformes, & humiliores superficie reliqua. Nec intelligo quomodo fiat, ut crescat lepra in parietibus.

VALLESIVS lib. de Sacra Philosophia in cõmento huius loci, ait: Quod analogia quadam possunt parietes, & alia inanima lepra laborare, non secus, atque animata; & cum scabiei, & lepræ, & macularum genera omnia, quæ, ut nuper ipse scripsit, non tam sunt morbi quam deformitates, sint putrescentiæ quædam cutis, seu putrescendi modi; non est, quod non posint in rebus, etiam inanimatis apparere prçcipuè, ubi á causa aliqua omnino gignũtur, & populariter grassantur: aër enim, qui solus communis popularium morborum potest esse causa, tangit undique, atque circunstat inanima æque, atque animata.

SED hæc interpretatio non placet: nam lepra est affectus viventis; ex quo capite parieti, nec alteri rei inanimatę potest convenire. Deinde quamvis plura inanima possint putrescere, in quo conveniunt cum animatis, parietes tamen domus putrescere non possunt: possunt quidẽ recipere in se fomitem contagiosum putridum, tãquam subiecta, non tamen putrescere, loquimur semper naturaliter ob inferius dicenda.

DIFFICVLTAS, itaque est de parietibus domus leprosæ, quibus putrefactio convenire non potest. Concedimus quidem, quod vestis lanea, sive linea, aut pellis putrescere possunt, quia demoliuntur à tinea, porro quamvis pu-

trescant, ea signa; quæ lepræ sunt propria, quæque sacra pagina tam hominibus, quam parietibus assignat nullatenus præseferent. Hæc sunt; quæ faciunt difficultatem cōmento Vallesij.

ALII enim sunt rationes dubitandi, quæ forsam suadent ea signa, quæ traddit Moyses parietis lepræ, non posse illi convenire naturaliter, nam quidquid patiuntur parietes in hoc casu, aut egit cōtagium, aut aër putrefactus, qui solus communis popularium, & cōtagiosorum morborum censetur esse causa. At qui, nec exhalatio contagiosa, nec aër putridus possunt efficere valliculas illas, seu surculos in domibus; nam de nulla, vel horrendissima peste legitur, quod tale quidpiam fecerit; ergo valliculæ à fomite contagioso naturaliter, non possunt fieri humiliores superficie reliqua. Etenim ipse Vallesius, reddens causam cur in leproso pars labefactata sit humilior carne reliqua scribit: quod cum lychenes illi maligni à salsa pituita nascantur sola, vel cum atrabile mixta, necesse est, ubi partis temperies admodum depravata est, & in ipsius excremēti naturam velut mutata, salitam admodum esse cutem, ac proinde, siccam, & contractam, ac reliqua cute, quæ sana est humiliorem. Hoc nanque verificari non potest de parietibus, non enim possunt contrahi, quemadmodum cutis salita. Præterea nullum venennm, quamtumvis sævum parietibus impactum poterit in illis valliculas illas efficere humiliores superficie reliqua; ergo multo minus poterit fomes contagiosus, leprosus id efficere, magis enim corrodere poterit venenum.

DEINDE etiam color ille rubeus, sive palidus, qui deformes reddit valliculas, multam inducit difficultatem, qua ratione possit apparere; nam exhalationes, quæ constituunt seminarium cōtagionis cuius subiectum sunt paries, lanea, & linea visum subterfugiunt, ut ostendit experientia in pestibus atrocissimis, nemo nanque dixit vissibi-

biles esse fomites illos contagiosos, neque in phtisi, rabie, lippitudine achoribus angina perniciosa, & febrè pũsticulari conspiciuntur seminaria, sed sine vissibili corpulentia subsultant ex subiecto in subiectũ, & omnia transcendunt, ergo idem videtur dicendum in leprã, non enim apparet ratio ob quam hoc habeat peculiare.

RVRSVS ponamus, quod fomites leprosi vissibiles sint & signari possint, quæ potest esse causa, ut illi sint pallidi, aut rubei? nulla quod sciam. Imo consentaneum fore arbitror, quod illi sint albi: nam exhalatio seminalis est eiusdem naturæ cum humore a quo pullulat, qui in lepra pituita est salsa ex temperamento alba: Igitur fomes contagiosus potus refert candorem, quam ruborem, aut pallorem. Antecedens manifestum est in eadem sacra pagina, nam in principio loci damnat colorem album, tam capillorum quam cutis, tanquam proprium, & genuinũ lepræ, & pituitæ salsæ ex qua fit: non est ergo ratio propter quam seminaria illius parietibus ad herentia, repræsentent pallorem, seu ruborem.

TANDEM QVÆ subdit Moyses, difficultatem confirmant, ait enim. Si invenerit Sacerdos crevisse lepram post reclusionem domus septem diebus iubebit erui lapides, &c. Etenim qui fieri potest, ut crescat lepra in parietibus cum non sit, sed potius fomites lepræ? Aut semel impacti parietibus, qua ratione post septem dies possunt crescere si nulla est materia de novo, quę suppeditetur ad incrementum; quin etiam, neque sint viventes, aut facultatem habeant alios regenerandi? Hæc sunt, quæ difficilia videntur, ut nequaquam admittam commentationem Vallesij.

QVID ergo dicendum sacro contextui, qui omnimodam habet veritatem? Profecto nihil repugnans: imò, quidquid dixero hic, & alibi Sacræ Romanæ Ecclesiæ authoritati libenter subijcio. Existimo tamen ca-

omnia non contigisse naturaliter, sed miraculosé. Nimirum signa, hæc lepræ domus, vel parietis. Adducor, ut credam ob plures rationes, & primo ob dictas, quæ excludunt vires naturæ in casu. Deinde adeo magnam habuit curam Dominus, ut Iudæi essent immunes à lepra, quod per manum Moysi, tot tantaque signa, & præsagia mali scripserit 13. & 14. Levitici. Magnam enim præbent admirationem tam sæpè repetita, tantaque providentia ad morbi præcautionem. Meritò autem nam lepra duplici de capite horribilis erat in lege veteri: primo ob sorditiē, & immunditiem, quam habet detestandam quidem maximè eo tempore, quia omnia contingebant in figura, quæ puritatem, & candorem legis Evangelicæ omnino repræsentare debebat. Qua propter animalia immunda prohibebantur in sacrificijs, deinde detestabilis erat lepra ob contagium manifestum, quod Iudæos devastabat. Ob hæc tantam voluit Dominus haberi cautelam, tantā solicitudinem in Sacerdotibus, tot signa traddita, ut nimirum vitaretur malum, aut prohiberetur ne serperet. Adde etiam, quod Iudæi obnoxij plurimum erant tanto malo, nam scribit Tertullianus, Moysem prohibuisse illis esum carnis suillæ, quia lepra facile tentabātur. Igitur mirum non est, quod postquam Moyses scripserit signa naturalia, quæ lepram manifestant; quoniam signa domus infectæ seminarijs contagiosis, quæ virtutem habent reproducendi malum, sensui non poterant esse conspicua, ut priora, adiecerit, quæ miraculo quodam voluit Dominus ostentari, ut infestissimus morbus præcaveretur. Infinita nanque fuerunt miracula, quæ Deus effecit in illius populi tutela, ut in aqua illa Zelotypiæ, quæ adulterium manifestabat, & alia innumera. Et quod caro suilla generet lepram in confesso est apud omnes, quia sues ferè omnes sunt leprosi, quos vocant grandinosos, aut nostro Hispanismo (Mesillos.) Adeo, ut nullus sit, qui aliquot grana

non

non habeat, quæ tamen si plura non sint, carnem nequanuam malignant, plura vero pravæ faciunt conditionis, & esui planè ineptam apud eos, qui de victus cura cogitant. Ex Gallia plures grandinosi asportantur.


ADVERTENDVM tamen est, quod tam in lepra, quam in Elephantia lingua detegit noxam interiorem ita, ut in ea præcipua signa conspiciãtur; nam in hac venulæ sub lingua nigræ proprium humorem denunciant. Pariter in lepra philosophandum. Quo circa, ut nonnulla grandinosa in suibus grana in corpore erupta omnino mala sunt, in lingua tamen unicum est suspectum, quia depravatam esui carnem significant, ut testantur auctores.

SIT unicum corollarium. Ad nostram doctrinã dominus docet, quomodo loqui debeamus de proximo peccatore, ne iudicium subeamus temerariũ. Certum est, quod lepra significabat sorditiem peccati. Ait ergo Dominus: si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius est domus nuncians Sacerdoti, & dicet; quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. Non dicit affirmative, plaga, lepræ est in domo mea, sed videtur mihi esse. Neque determinate affirmat, quod sit lepra quamvis revera sit, sed quasi plaga lepræ. Vt erubescamus, qui quamlibet suspicionem peccati in proximo statim nomine peccati, laureamus temeritate quadam.

CA-

CAPVT XII.

TENERA Mulier, & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem, & teneritudinem nimiam invidebit viro suo qui cubat in sinu eius super filij, & filiæ carnibus, & illuvies secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum eius, & super liberis qui eadem hora nati sunt. Deuteronomij cap. 28.



NTER Plures maledictiones quæ fuerunt indictæ transgressoribus legis Deuteronomij cap. 28. una & maxima est quam proponimus declarandam: nimirum devoratio non solum carnium propriorum filiorum, & filiarum, & illuviei secundarum, sed etiam invidentia, & appetitus adeo horrendi cibi.

SECVNDÆ, vel secundinç, quæ sic nominãtur, aut quod in pariendo ultimum locum habeant, aut quod secundũ sint ab utero fœtus domicilium membranæ sunt fœtum obvoluentes. Harum membranarum non eadem est in humano fœtu, quæ in brutis ratio. In brutis enim membranæ tres observantur, chorion, amnion, & allantoides. In humano fœtu duæ tantum reperiuntur, chorion & amnios. Chorion nervosa est validaque omni ex parte fœtum ambiens, substerniculi, & mollioris pulvinaris instar venas omnes, & arterias umbilicales fulcit sustinetq; Altera tunica puellum immediate involuens ob mollitiem, & tenuitatem amnios, aut agnina appellatur, quæ li-

libera eſt omni ex parte præterquam in regione placentæ, ubi chorio ita adnaſcitur, ut vix ab ea ſeparari poſsit. Huiuſmodi mēbranæ, ſunt, quæ in penuria pœnali trāſgreſsionis legis indicuntur non ſolum appetendę, ſed invidendæ. Habet autē flagellum maximas in ſe gravitatis circunſtantias, quas inſinuat ſacra pagina.

PRIMA eſt, quod tenera mulier, & delicata, quę ſuper terrā ingredi nō valebat, nec pedis veſtigiū figere propter mollitiem, & teneritudinem nimiam, invidebit ſuper filij & filię carnibus, & illuvie ſecundarum. Nam ſimiles mulieres delicatiſſimos, & ſuaviſſimos cibos ſolent non ſolū non appetere verum, & faſtidire; quanto minus concupiſcent carnes filiorum, & illuviem ſecundarum.

SECVNDA circunſtantia gravitatis ſumitur, ex termino cui invidetur: inquit vero textus. Quod invidebit viro ſuo qui cubat in ſinu eius. Invidentia eſt egritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas, inquit Cicero, 4. Tuſc. Illis autem quos amamus, nunquam invidemus. Cum autem vir, qui cubat in ſinu mulieris, unus ſi cum ea, & adinvicem ſe diligant, non eſt cur mulier ei invideat: ſed tamen anguſtia reatus tanta fuit, ut etiam inter tanto fœderę cōiunctos intercederet invidia.

TERTIA ſumitur ex obiecto, ſuper quo invidetur; nimirum carnibus filiorum, & filiarum. Horribilis cibus, & horribilior illuvies ſecundarum. Prima enim ſecundina, quamvis contineat ſanguinem alimentalem ex reſultantia, continet etiam fœdiſſima excrementa. Secunda ſecundina, quæ dicitur Amnios, ſudoris, & urinæ eſt conceptaculum: tempore partus non minus fœdum excrementum expellitur ipſum quod continetur, quam ipſum conceptaculum. Vide quantum diſtet ab alimento.

VLTIMA circunſtantia eſt, quod invidentia eſſet ſuper liberis, qui eadem hora nati ſunt, quaſi illi ſint

futurum alimentum, & quidem horribilis cibus est parenti filius proprius, horribilior tamen, qui eadem hora natus est, ut qui adhuc coinquinatus sit pluribus excrementis; imo totus ipse excrementū potius appareat quā filius. Signum fœdissimę voracitatis notamus in cane vomitionis propriæ resumptionem, unde emanavit proverbium sicut canis ad vomitum. Et quamvis feles devorēt aliquando proprios filios nunquam eadem hora qua nascuntur. Tandem fœditas horrendi cibi rectè significatur à sacra pagina in Verbo, illuvies, significat enim sorditiem, & immūditiam, & quæ egreditur de medio fœminum; locus enim aggravat horrorem.

SED nō erit abs re hic explicare iuxta ea, quę in nostra medicina censentur fundamenta utrum Christus Redēptor noster, in utero Sanctissimæ Virginis Matris, & Dominę nostræ involutus fuit in membranis secundis.

DISCREPANT inter se Sancti Patres antiqui. Quidam enim concedunt Christo Redemptori nostro, mēbranas in utero, quia ut inquit D. Athan. in Symbolo fuit perfectus homo, & cū leges naturę eas postulent leges subisse videtur, id est, quod insinuat sexta Synod. Act. 11. scribens. Veraciter factus est homo, & nostrā naturam habuit indiminutè, & noviter eas admittit D. Moses in philosophia corporis sacratissimi Christi, dubio secundo, tum ad eius nutritionem, tum ad circumscriptionē, & ut defendant puerum ab acrimonia urinę, & aliorum excrementorum.

ALII Sancti Patres membranas astitisse Christo in utero; sed ante ortum, seu partum fuisse resolutas, absque miraculo, iuxta doctrinam Aristoteles 2. de generatione animali. cap. 5. Sancta Brigita 2. revelationum cap. 21. Vnicam vidit, eamque nitidissimam, & splendentem, ut referunt.

IN tanta Patrum varietate, cum nihil fixum videatur, statuendum congruentius, & probabilius crediderim cen-

censendum Christum in utero umbilicalem venam habuisse, & membranas. Huic subscribunt omnes auctores relati, quos longum, & inutile esset recensere. Ratio est, quia fuit perfectus homo.

SED antequam hinc discedamus exagitanda est cōtroversiola; quæ conducit ad omnimodam textus intelligentiam. Constat est Anatome, quod fœtus in utero alligatur, & unitur matri multipliciter; nam unitur per venam umbilicalem, & per arterias; & huiusmodi colligantia non est contiguitas, sed continuitas per verum nexum. Hoc affirmat Galen. lib. de disectione uteri dicens: vasi, quod in chorio est principium dat finis illius, quod per uterum propagatur, ut duo hæc unum dicere possis. Confirmant Anatomici, & noviter Andreas Laurentius, lib. 8. q. 27: Quia cum non moveatur cor fœtus, neque arteriæ, nisi ad motum arteriarum matris, a quibus accipiunt sanguinem, & spiritum, otiatur interim dum in lucem non prodit.

HIS positis dubiū est nexus ille, seu indivisibile continuas, & uniens fœtum, & matrem, qua forma, seu anima informetur, utrum anima matris, aut anima fœtus.

RATIO dubitandi est, quia non est maior ratio de una, quā de alia, siquidem unitivum est medium inter duo extrema, quę tangit ęqualiter, ergo nō est maior ratio cur magis se teneat ex parte unius extremi, quam ex parte alterius. Confirmatur, quia si anima matris informatur, ad corpus matris videtur pertinere, nam anima matris dūtaxat est forma corporis materni, sicut si anima fœtus informatur, non potest pertinere ad matrem, quia hæc anima solius corpusculi est forma, & cum hæc sit indivisibilis in puncto etiam indivisibili unitivo existit, ut tota in toto.

DVBIVM hoc à nullo, quod sciam est pertractatum, nec humani ingenij lumen, adhuc illud illustravit, quo

I 2 cir-

circa confidenter, aliquid assertivé proferre temeritatis esset species; verumtamen cum formidine partis contrariæ ingenuum est discurrere, quia hæc est pœna opinionis, & hoc modo invitantur doctiores ad feliciores discursus.

Pro intelligentia notandum, quod ex seminis crassamento primum efformantur membranæ in utero, dubiū vero est, quod fiant a vi formatrice, & informentur anima, sicut neque venæ, quæ per membranā Amnion sparguntur. Porro, qua parte vena umbilicalis matris cum vena corporis fœtus coniungitur, & qua parte arteriæ matris cum arterijs fœtus incipit dubium.

Deinde notandum, quod ex Galen. decretis cap. 90. & 91. Artis parvæ, duplex est partium solutarum coalitus, unus per primam intentionem, alter per secundā. Prima intentio est in aglutinatione: Secunda in colligatione. Prima aliàs sine medio fit, ut in carne, quæ secta statim aglutinatur, alias cum medio eiusdem speciei homogeneum dicunt. Secunda intentio fit cum medio hæterogeneo, id est, diversi generis, ut callo, cicatrice, & similibus, quæ eiusdem speciei non sunt cum partibus extremis.

His præhabitis suspicamur, quod indivisibile continuativum matris, & fœtus, neque informatur anima matris, neque fœtus, quod est idem, ac dicere coalitum illum diversorum corporum, non esse per primam intentionem, vel sine medio, vel cum medio eiusdem speciei, quod dicunt homogeneum: sed per secundam intentionem cum medio hæterogeneo, vel diversi generis, ut callo cicatrice, & similibus, quæ eiusdem speciei non sunt cū corpore fœtus, & matris.

Hanc conclusionem timidam propter obscuritatem, & solitudinem provinciç: suadet primo ratio dubitandi superius proposita, non enim est maior ratio pro anima matris, quam pro anima fœtus.

Se-

SECUNDO, quia consentaneum est corpus fœtus prius absolutum esse in sua formatione, & anima informatum quam uniatur matri: quoniam in principio se iunctum est ab illa, deinceps non unitur quousque indiget tali unione: indiget vero, quando iam fabre factum aggreditur nutritionem, non autem nutritur dum completum non est.

PORRO postquam corpus fœtus formatum est iã, non datur facultas, quæ efficiat talem unionem per medium homogeneũ, seu, quæ producat indivisibile continuativum uniens fœtum cum matre, neq; enim facultas nutritiva fœtus unire potest, sibi matrem in alimentum, neque contra matris fœtum. Non invenio causam, quæ producat tale indivisibile. Confirmatur: indivisibile productũ à fœtu unit pater fœtus; ergo non unit matrẽ cum fœtu, quia pars matris non est pars fœtus.

RESTAT ergo, ut per secundam intentionem uniãtur fœtus, & mater, vel per medium heterogeneũ, aut diversi generis, ut callo, & cicatrice, non enim datur coalitus, qui non fiat uno ex dictis modis. Fœtus in utero est humidissimus, in quo etiam plura excrementa, quæ resudant inveniuntur, & sanguis, qui glutinis modo possit efficere talem unionem. Quemadmodum ergo vena secta, sola coniunctione labiorum statim aglutinatur, & unitur, media cicatrice, quæ constat humiditate viscosa, & quælibet pars, quæ, vel ex vulnere, vel ex alia causa unitatem amiserit per primam intentionem brevi temporis spatio reunitur per solam coniunctionem extremorum. Ita fetus ex adhærescentia matri aglutinatur, quo ad partes illas, quæ talem unionem expostulant, ut sunt vena umbilicalis, & arteriæ. Verum est tamen, quod hæc unio fragilis est, siquidem in partu calcitratu rumpitur, sine noxa fœtus, quod non contigeret si similis coalitus firmus valde esset, & minores contingerent abortus.

TANDEM si huiusmodi corpora fætus, & matris non disiungerentur callo, vel cicatrice, aut medio illo heterogeneo inter punctum terminativum corporis materni, & punctum terminativum fætus, non apparet ubi inciperent, & desinerent corpora fętus, & matris.

ET rationes dubitandi magis vigent in corpore Christi Redemptoris nostri in utero, ad quod dirigitur discursus noster, sicuti, & labor, & omne opus nostrum tanquam in ultimum finem. Nam cum natura illa sit in Verbo divino supposita magis dubitatur, qua forma informetur in divisibile continuans, vel forma filij, vel forma matris, multum enim interest, hoc, vel illud dicere. Nisi dicamus, quod supra statutum est medium, nempè intercedere heterogeneum, aut callum, aut cicatricem inter hæc duo corpora.

ET ante quam hanc difficultatem summis labijs adorē potius quam resolvam, falsum apparet, quod scribit D. Moles in Philosophia corporis Christi. Ita enim habet dubio secundo. Tertio, tres sunt membranæ, quibus fœtus naturaliter involvitur, quæ Gręcis nominibus appellantur: Amnion, Chorion, & Alantoides quarum officia sunt defendere fœtum ab iniurijs externis, præcipuè ab acrimonia mordacitate, & fœtore urinæ, & aliorum excrementorum, quæ inter tales tunicas toto tempore gestationis conservantur: & si ipse secundinæ non essent molestiam magnam propter excrementorum viccinitatem fœture paterentur. Hactenus vir doctus Moles.

ET quidem omitto; quæ de triplici membrana fœtus dicit quamvis verius sit apud recentiores anatomicos, mē branam Alantoidem non repereri in fœtu humano, sed in brutis, ut docet Andræas Laurentius, lib. suo Anatom. Deinde falsum est, quod officia membranarum sint defendere fœtum ab iniurijs externis præcipuè ab acrimonia mordacitate, & fœtore urinæ, quia, ut dictū est, & constat,

ſtat ex Anatomicis, membrana Amnios eſt peluis, & conceptaculum ſudoris, & urinæ, in quibus excrementis, tanquam in balneo totus immerſus eſt fœtus; ergo non poteſt defendere membrana ab acrimonia urinæ.

Ex quibus infertur, quod quamvis regulariter fœtus uniatur matri per medium heterogeneum, & diverſæ rationis. Hoc pronunciare de corporis Chriſti, non audeo liceat mihi, ſiquidem in hac parte, nihil eſt definitum devota mente, & voce pijſſimè de tanta matre, philoſophari. Medium illud, quod matrem cum Deo univit devotiſsimè crediderim homogeneum fuiſſe diſsimilitudinem enim, quis affirmet, ubi tanta ſimilitudo interceſſit? Punctum illud terminativum corporis Chriſti in utero factum fuit copulativum illius cum matre, & verbo ſuppoſitatum, ut inciperet admirabilis unio in corpore, quæ iam multo ante in mente extiterat. Nonne Sanctus Ildephonſus, libro de virginitate MARIÆ, ſic alloquitur? Tu enim es electa á Deo aſſumpta à Deo advocata á Deo proxima Deo, ad hærens Deo coniuncta Deo. Indecens res foret, ut copulativum tanti Filij, & tantæ Matris, vel eſſet excrementum, vel quid aliud diſſimilare.

SIT iam primum corollarium, pro completa textus intelligentia. Fames hæc, & eſuries noſtri textus, fuit proculdubio morboſa, & quæ cauſas naturales excedebat, ſeu quæ dicitur Pica aut malacia, in qua abſurda appetũtur. Pica, ut Aetius cenſet ob hæderæ ſimilitudinẽ in nomine Græco; nã ſicut hæc varijs prout occurrunt plantis ſe implicare ſolet, ita hoc malo laborantes varia edulia appetunt. Malacia dicitur, quod mollities, quædam ſit, & defectio pręgnantium in primis qua languẽtes modo hoc, modo illud appetunt. Et videtur inſinuari à noſtro textu, ait enim, quod veſtigium figere non poterat propter mollitiem. Sed tamen in hoc cauſæ naturales ſuperari videtur, quod affectus eſt proprius prægnantiũ, hęc autem mulier

puerpera significatur, quia illuvies secundarum ægreditur de medio feminum eius. Itaque appetitus tam gravibus circundatus circumstantijs, ut supra sunt relatæ causas naturales excedit, ut à Deo immissus in pœnam transgresionis legis.

SECVNDVM corollarium. Admiramur, & credimus Sacratissimæ Virginis MARIÆ speciale privilegium, quo nō sicuti cęterę mulieres proprijs fœtibus coniunguntur, & ipsa Christo Filio suo, Deo nostro, in utero unitur, nimirum per medium hęterogeneum, seu dissimilare, sed per veram unionem homogeneam, & similiarem, qua Christus Redemptor noster, Matrem sibi unit. Quæ sicut erat in mente, ita debebat esse in corpore; nam quę virgo concepit in corpore prius in mente concepit. Hic verificatur axioma illud commune; supremum, infimi attingit infimum supremi. Nam MARIA Sacratissima omnis puræ creaturæ suprema, attingit in utero infimum supremi, nēpè carnem illam assumptam à Verbo. Vnio illa hęterogenea, quæ intercedit inter humanos fœtus, & matres diximus; quod sit fragilis, quia quamvis non sit cruenta rumpitur tamen tempore partus à puero calcitratu. Illa verò qua unitur Christus Matri multo plus est suavissima, & divina, quia sine hac violentia cessat in partu virgineo, dūtaxat per hoc, quod illud continuativum desinit esse tale, & remanet terminativum corporis Christi.

***

CA-

CAPUT XIII.

PERCUTIAT te Dominus egestate febri, & frigori, ardore, & æstu, & aere corrupto, ac rubigine, & persequatur donec pereas. Deuteronom. *cap. 28.*



POSTQUAM Moyses prædixit servatoribus legis magnas benedictiones agreditur transgressoribus maledictiones. Inter quas præcipuę sunt, quæ proponuntur in periodo nostri textus, & unam assumimus disputandam dumtaxat, quæ in nostra provincia magnas habet difficultates, quod nimirum sit frigus insinuatum. Forsam si expendatur textus per frigus non intelligitur, quodcunque, sed illud, quod symptoma est febrium intermitentium, seu semitertianarum, quia vulgare, & extrinsecum frigus magis tolerabile, & cui assuescere possumus. Verum frigus rigorificum magis intolerabile, magis tremulum, & causas habet magis intricatas, de quibus agendum.

RIGOR est perfrigeratio dolorifica, quemadmodum persentiunt tertiana, aut quartana correpti. Quapropter dubium non est de frigiditate utrum detur, sed de causis illius. Communis opinio tenet retrocessum caloris ad interiora esse causam frigiditatis sensatæ in rigore, & horrore.

SIT conclusio. Retrocessus caloris non est causa frigiditatis posititivæ repertæ; quamvis prærequiratur antecedẽter. Bimembris est conclusio, & probatur prima pars. Effectus posititivus, necessario requirit causam realem positivam a qua procedat, sed retrocessus caloris est causa

me-

mere privativa, quæ nihil aliud dicit, nisi privationem illius, quod antea erat, adimendo prǽsentialem influxũ, g. &c. Minor patet: nam fuga caloris ad interna propriè loquendo non causat frigus, sed causat si ita liceat loqui, non calorem. Igitur assignanda est causa per se frigoris, ita, ut fuga caloris, sit veluti, quædam conditio, sive remo vens prohibens, eaque debet esse positiva. Ex his patet secunda pars conclusionis, quia si non retrocederet calor ad cor causa illa positiva, non produceret frigiditatem, nam calor influens posset conservare corpus in calore, quemadmodum antea conservabat, ergo causa frigefacit, quia calidum non calefacit.

SED de causa retrocessus prius agendum quam illam, quæ est frigiditatis veram proponamus, non enim omnes idem sentiunt. SantaCruz lib. de morbo, & sympthoma. 5. quæstione 3. Existimat in febribus horridis, aut rigidis expelli humores à vasis ad extremitates vasorum tertię regionis in quibus fit, quędam species mineræ, quia ibidem, aut omnino extra venulas, & arteriolas putrescit humor accessionalis, nam quidam dicunt, omnino extra omnes magnas, aut parvas venas exire in spatia carnosa. Cũ igitur illę particulę obstruantur, non patet transitus influenti calori, ut accedat ad partes calefaciendas: recurrere ergo est necessum: ut rivulus inveniens impedimentum, aut clausum iter resilit, & retrocedit, impetu accepto, & impulsu ab ipsa re impediente. Ad quem effectum retrocedendi non minus adiuvat arteriarum, & cordis motus; nam in dilatatione non solum arripitur aër inspiratus, sed etiam, si alia portio spiritus superest, quin, & per poros alliciunt arterię aliquid aëris. Et hęc est causa, quare multoties videmus prius infrigidari ęgrotos, & po stea concuti, quia prius est non posse spargi calidum propter obstructionem venularum, & arteriarum, & postea intendi putredinem, & tandem irritari, & concuti musculos.

RVR-

RVRSVS præter iſtam cauſam ad quam ſequitur prima hæc frigiditas, eſt alia cauſa, quæ turbat ordinem, & tonum mittendi, & ſpargendi ſpiritus, ad calefaciendas partes. Nempe concuſsio: hæc enim turbat viam directionis ſpiritus, ad externa, & interdicitur diſtributio. Quod cotidie experimur tempore ſanitatis, nam videmus ex probo ſitu, & figura membri torporē quandam, & frigus induci; ob nihil aliud, niſi, quia interdicitur tranſitus ſpiritus, quod oſtendit ſanatio, nam mutata figura, & frictione, aut motu caleſcit membrū. Vltimo confirmatur iſta cogitatio, quia adhuc per ſolam concuſſionem comprimētem arterias recurrere poteſt calidum ad interna per impulſum communicatum. Hæc eſt ſumma opinionis SantaCrucis.

SED plura continet impoſſibilia, & defficilia. Primò, nanque humor faciens obſtructionem, & mineram in extremitatibus vaſorum tertiæ regionis, continetur in venis, ubi fit obſtructio non in arterijs, atque ita non impedit tranſitum influenti calori, qui per arterias defertur, quin etiam, & ſi ſuppoſitio eſſet vera, quod impedimentum eſſe in arterijs, ſi illuc perveniret, quamvis ultro non poſſet progredi non fieret rigor, quia ſi uſque ad tertiam regionem ſpargeretur calidum influens non obſideret cor, neque inculcaretur in illo. Confirmatur, quia toto tempore acceſſionis datur obſtructio, & non datur retroceſſus. Neque adiuvat retroceſſum, arteriarum & cordis motus, quia etiam ſi arripiant in dilatatione arteriæ ſpiritus portionem, hoc eſt naturale, & non cauſat rigorem; retroceſſus autem ille eſt omnino præternaturam.

NEQVE concuſſio turbat viam directionis ſpiritus ad externa, quia non comprimuntur arteriæ, ut putat SantaCruz in concuſſione rigoris, ſed venæ, & partes omnes naturali facultate expultrice. Hoc autem opus non

pec-

pertinet ad arterias, quæ non necessario sunt obstructæ; atque ita exemplum de torpore non valet, quia ibi cõprimuntur nervi in figura. Tandem concussio partium, & venarum non impellit influens, ut in epilepsia.

SECVNDA conclusio. In rigore sangis, & spiritus ad cordis arcem recurrunt præ dolore partium sentientiũ; iterum vero præ veluti suffocatione ad externa sparguntur, quorum adventu insurgit expultrix ad expulsionem, & novus excitatur dolor, calidum vero iterum ad interna revocatur, & prosilit. Ita Galenus lib. de tremore, rigore, &c. cap. 6. & 7. & 2. de caus. sympto. cap. 5.

PROBATVR, quia calidum innatum, nihil aliud est quã tenuior pars sanguinis, & spiritus, quod Galen. aliquãdo censuit, vel esse animam de sententia Stoicorum, vel precipuum animæ instrumentum. Quod opportuit varijs motibus moveri, ut patet in pathematis; dum per metum refugit ad interna, per gaudium diffunditur; per pudorẽ partim refugit partim erumpit. Ob id rigor dicitur passio calidi innati, quod in illo præ dolore ad cor refugit, tũ ut reparetur; tum, ut partes precipuas tueatur. Deinde vero foras egreditur, ne suffocetur impedito perspiratu, & ut partes externas defendat, & roboret. Hic motus calidi innati inæqualis est, quia componitur ex motu secundũ naturam, & motu præternaturam, nam motus ad cor cum refugit ad interna motus est preternaturam á dolore caussatus: illæ vero, qui deinde ad externa terminatur motus est secundum naturam, quia movetur calor ad propriam spheram. Preterea hunc motum habent spiritus non ex se, tum quia non sunt res animate, quibus solet competere ferri ad plures positiones; tum quia ab his efficeretur motus palpitationi similis: sed ab extrinseco ut sunt instrumenta anime. Tandem motus calidi intro foras, & foris intro tandiu durat donec, aut vincente calore extrema membra incalescant, frigidaque, & inæqualis

lis illa intemperies superetur, aut vincente humore noxio calor innatus suffocatur, & homo moritur.

SED respondeamus ad ea, quæ obijcit SantaCruz. Dolor potius trahit ad se, eo modo quo explicatur cum alibi detractione agitur; ergo dolor in rigore potius trahet ad exteriores carnes, ubi fit punctio, & dolor, aut ad musculos, ubi excitatur motiva. Vnde apparet contradictio in doctrina communi, aut dicere debet, quę est ratio quare dolor ubicunque excitatur allicit, aut movet ad se. Et solus dolor rigoris repellit á se, & transmittat ad longinqua. Hæc est 1. obiectio.

RESPONDEMVS, quod semper dolor trahit ad se. Nam etiam in rigore, quãtum est ex se trahit: verumtamen nõ trahit sanguinem arterialem, & spiritum, sed sanguinem venalem, hoc est humorem qui partim expellitur in rigore, & partim attrahitur. Verumtamen calidum influés, & spiritus non trahuntur á dolore, sed potius recurrunt ad interiora, & ad cor, quia obsequuntur motibus animæ cuius sunt instrumenta. Nam dolor semper est cum appetitu, qui intendẽs fugam rei noxiæ in dolore retrocedit ad interna, & sanguinem arterialem, & spiritum trahit media facultate tractrice cordis: alias varius ille motus non conspiceretur in animi pathematis. Quod vero in dolore recurrat calidum influens ad interna passim observamus, quia in ingentissimis doloribus colicis, & quibuscunque alijs solent partes externæ frigidæ persentiri, non alia de causa, nisi quia relinquuntur á calore influente revocato.

CONFIRMATVR tandem ex dolore resultare fluxionem humoris venalis ad partem dolentem, nequaquam sanguinis arterialis. Nam in doloribus fieri solent tumores præternaturam ex sanguinaria massa, nullatenus fiunt aneurismata, aut aliquod vestigium reperitur sanguinis arterialis fluxi.

SECVNDO obijcit Sãctacruz. Nam falsum est, quod fugit calor à dolore, & iterum exit ad exteriora ne suffocetur: quia iste motus secundus nullam habet fundamentalem rationem, quia multoties, nec est, nec timetur suffocatio, quando scilicet nulla est plenitudo, nulla inflammatio obstructio parva; aut nulla. Sed sola adest humoris qualitas, quæ irritat naturam. Equidem his conditionibus existentibus calidum influens liberas habebit cavitâtes, in quibus stabuletur.

RESPONDEMVS, quod, ut diximus motus rigorificus componitur, ex motu secundum naturam, & motu præternaturam. Motus ad cor est præternaturam, quia causatur á dolore. Ille vero, qui deinde ad externa terminatur, motus est secundum naturam, quia movetur calor ad suam spheram. Et spargitur á natura expellente calidum innatum ad vivificandum calorem insitum omniũ partium. Cum hoc tamen ne suffocetur, etiam spargitur, quia aliquando timeri potest suffocatio, & aliquando subsequitur, quia interire potest ægrotans in principio accessionis.

TERTIO obijcit Sanctacruz, quia ante rigorem nulla erat suffocatio, ergo multo minus in rigore, nã partes internæ exonerãtur expulsis humoribus ad exteriora; ergo melius vẽtilabitur calor in interioribus præsente rigore, quã ante illũ, neq; potest esse periculũ suffocationis, quãdo potius est indigẽtia spiritus vitalis si nulla est plenitudo, aut interna inflãmatio, si vires invalidę propter evacuationes factas ab arte propter plures morbi accessiones (solent enim invasiones durare multo tempore) cor in isto statu indiget multo spiritu, & motu arteriarum, sumet quod necessarium est, ergo non exibit ad exteriora ne suffecetur: non quidem spiritus vitalis, aut animalis habet motum á se, ut falso putavit Galenus, sed ab alio. Ergo potius roborabitur, & roborabit cor, per retrocessum

in

in isto casu indigentiæ. Imo solet ars repente refrigerare exterius in animi deliquijs, ut roborentur spiritus, & cordis vires.

RESPONDETVR ut dictum est calidum influens existens in corde expelli, & transmitti ab ipso, ut vivificet calorem insitum totius corporis, præter id, quod hic motus est naturalissimus calori in quantum calor est, quia movetur ad spheram. His tamen non obstantibus quandoque potest suffocari calidum inculcatum, ut in his qui intereunt in principio accessionis; quandoque iminere potest suffocatio, quam ut præcaverit illum expandit ad exteriora.

NAM quemadmodum dolor potest aliquid trahere in rigore ad carnes sanguinis venalis, & spiritus: potest retrocessus calidi influentis secum ducere aliquam portionem humoris, quia potentius potest movere, & trahere quam dolor. Verum tamen etiam si non sit, neque timeatur suffocatio transmittet sanguinem arterialem, & spiritum ad totum corpus ad fines naturales vivificandi calorem insitum partium, quia cor generat sanguinem, & spiritum sibi, & toti corpori.

QVARTO obijcit multoties ante rigorem frigescunt partes externæ, & post frigus manifestatur concussio dolorifica, & corporis fractio; ergo illa frigiditas non excitatur, quia calor fugit, à dolore. Respõdetur in tribus symptomatibus datur retrocessus caloris, ad interna: in rigore, in horrore, in frigiditate. In Hemitriteo, seu semitertiana, altero die in quo duplex est accesio solet aliquando primum refrigerari corpus ab accesione quotidianæ, deinde adveniente tertiana concutitur corpus, atque ita nõ bene infert Sanctacruz non fugere á dolore calidum, quia in semitertiana non semel, sed bis fugit: primo enim fugit à refrigeratione quotidianæ. Secundo vero à rigore, seu concussione tertianæ.

ALII

ALII dicũnt, quod in rigore recurrit calor ad interna ſicuti recurrit poſt cibum, ita ut frigeſcant ægroti ſicuti ſani poſt prandium, quia convertitur calor ad coquendas plures cruditates, quæ reperiuntur in corpore.

SED hæc opinio nõ eſt ad rem, quia reſpondet ad quęſtionem per aliam quæſtionem magis dubiam. Iouber-tus in paradoxis tenet non recurrere calorem, ſed alimẽtum ipſum primo occurſu refrigerat. In quotidiana continua, aut intermitente in principio acceſionis corpus infrigidatur, ob duplicem cauſam. Tum à vapore, ſeu tenuiori parte pituitæ, quæ in intermitente expellitur extra venas. Tum præcipuè à recurſu, & retroceſſu caloris nam pituita illa ſubito, & affatim pungens corpora adeo ſenſibilia proculdubio excitat dolorem, ſenſatio enim illa nõ eſt voluptuoſa, ut quando quis mergitur in aquam nataturus horreſcit.

DIXIMVS de retroceſſu caloris, qui neceſſarius eſt antecedenter ad frigiditatem, quamvis non ſit cauſa niſi ſolum privativa. Nunc quærimus de cauſa poſsitiva frigoris.

ET relictis alijs opinionibus noviter SantaCruz loco citato, exiſtimat infrigidari corporis partes externas à frigidioribus particulis, quæ actu ſunt frigidæ eo tẽpore. Oſtendit, & probat iſtã aſſertionẽ, quia ſuppoſito, quod debet dari tẽperamentũ coalterationis, quod reſultat ex actione mẽbrorũ, inter ſe frigidorum in calida, humidorũ in ſicca, &c. Fatẽdũ eſt, quod quãdo deficit ſufficiẽs calidũ influens partes frigidæ maiorẽ frigiditatem, acquirũt à ſuis principijs intrinſecis. Equidem nervi fibræ oſſa quę frigidiora ſunt carnæ (ex proprio partiali temperamento) ſi abeſt calidum quo actualiter calefiebant, neceſſariũ eſt ut redeant ad radicalem temperiem nõ actuatam, quæ frigida eſt á prædominio, & ſecundo infrigident viccinas, quas etiam invenient magis diſpoſitas; quia etiam carent

de-

debito ſibi influxu. In quibus actionibus, nihil invenies privativum: nam prima actio eſt pura reductio poſſitiva ad radicalem temperiem frigidam qua fruuntur in quantum oſſa, in quantum fibræ in quantum nervi. Secunda actio, etiam eſt poſſitiva, per quam alterantur viccinæ partes, & infrigidantur.

SED iſta opinio ſuſtineri non poteſt, & probamus argumento ad hominem. Nam ex ipſo temperamento coalterationis, quod debet concedi oſtendimus ex hac parte non dari cauſam poſsitivam frigiditatis, quia ſi partes frigidæ maiorem frigiditatem acquirunt à ſuis principijs intrinſécis deficiente calido influente, neceſſariò etiam, & conſequenter partes calidæ acquirent, ſeu conſervabunt á ſuis principijs intrinſecis calorem radicalem, quia calidæ ſunt à prædominio, atque ita non poterit infrigidari corpus, quia quantum frigidæ poterunt infrigidare poterunt calidæ calfacere, quo circa ad ſummum poterit reſultare temperamentum coalterationis illud tamen non erit frigidum. Hoc enim eſt quod dicebat Poëta.

Frigida pugnabant calidis humentia
ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Si in corpore reperiuntur nervi, fibræ oſſa, quę frigidiora sũt, etiã reperiũtur carnes parẽchimatũ, quæ calidiſsimæ ſunt, ũt cordis, Pulmonis, & Hepatis, & carnes muſculoſæ quę etiã sũt calidę; reperiũtur etiã venę ſanguine venali calido refertę, nam quamvis retrocedat calidum influẽs, & cum illo ſanguis arterialis, & ſpiritus per arterias, non ſemper, nec eodem motu venalis, qui defertur per venas, & in ſumma plures ſunt partes calidę in corpore quã frigidæ, & ob hanc cauſam maior quantitas ſanginis reperi-

tur quam pituitæ,atque si adest succus melancolicus, adest etiam bilis,quæ auget calorem.

NONNVLLI Avicenistæ asserunt, quod excrementa aquea reperta in poris infrigidantur á seipsis, & infrigidant alias. Sed hoc etiam nō recipitur,quia ut doctissimè, ait Sanctacruz,hæc causa potest adesse in Anasarca,non tamen repitur in omni rigore, qui in naturis biliosissimis potest contigere.

TERTIA conclusio,causa possitiva frigiditatis in rigore est aër actractus per arterias cutaneas totius corporis. Probatur conclusio, nam arteriæ cutaneæ totius corporis attrahunt aërem frigidum media diastole;ergo partes extremæ derelictæ, & non calfactæ à calore influenti poterunt infrigidari ab illo, quia aër frigidus positivé trahitur. Dices non semper frigidus attrahitur, quia potest esse calidus in æstate inqua, ut plurimum solent fieri rigores tertianarum.

SED contra, quia partes corporis assuefactæ calori, non tepido sanguinis influentis persentiunt remissam frigiditatem,& remissum remittit intensum: atque id circo ab aëre attracto possunt sensibiliter refrigerari.

SECVNDO ad repetitā instantiam,quod calidus aër æstatis nō potest infrigidare dicimus,quod arteriæ habēt vim attrahendi aërē,& flabellandi calorem partiū,& hoc secūdo munere quamvis quodadmodo calidus sit aër possunt infrigidare partes alias orbatas iam calido influente, quēadmodum in æstate mediante flabello agitato solemus faciem refrigerare quamvis calidus sit aër.

SED quia duo afferuntur,quæ licet circumlata in scholis aliquam habent difficultatem,ne videamur rem declarare per obscuriora,ea illustrabimus,quantū in nobis est.

PRIMVM est;quod remissum remittit intensum;& hoc axioma passim in ore apparet omnium Medicorum, & Philosophorum,utrum autem prorsus sit verúm dubita-

ri

ri potest. Ratio est; quia si semper remissum remittit intensum; ergo quælibet qualitas gradibus remisioribus seipsam remittit; patet consequentia, nam in qualibet intensione qualitatis dantur gradus remissi, & intensi, atque ita remissum remittet intensum.

DEINDE experimento cõfirmatur hoc, & impugnatur axioma. Demus enim, quod aqua sit calida sex gradibus, lignum calidum quatuor gradibus, etiam si imittatur in aquam non remittet illius intensionem, sicut, nec manus eodem calore, dumtaxat enim hoc verificatur in aqua, vel alijs liquoribus, qui benê pormiscentur quorum una portio calore remissa si misceatur intensæ eam remittit.

IGITVR, non habet verum hoc axioma in universum, nisi saltem in liquoribus, & in substãtijs permixtibilibus, de causa vero talis eventus dicendum.

AVEROES solus reddit causam: ait enim. Quia remissa, ubi miscuntur semper proportio contrariꝫ qualitatis maior evadit, intensior illa corrumpitur. Fieri enim non potest, quod gradus intensi ab alio corrumpantur quam, à contrario. Sit exempli causa portio aquæ calidissimæ, si illi permisceatur portio remissioris aquæ proportio frigiditatis maior evadit, quia gradus frigiditatis aquæ calidissimꝫ, qui cum calore complent latitudinem, & frigiditatis gradus aquæ remissionis, qui suam etiam complent faciũt proportionem frigidi maiorem.

SED hoc facile concedi non potest. Nam totus calor illius aquꝫ integratæ, ex duabus illis portionibus calidioris, & minus calidꝫ, adhuc est calor prꝫpollens, & utraque frigitas utriusque aquꝫ est infra suum calorẽ ergo nec frigiditas remissioris portionis potest corrumpere intensiorem gradum.

DEINDE nam si proportio contrariꝫ qualitatis maior

evadit, & per contrariam qualitatem intelligis frigiditatem multo melius proportio caliditatis maior evadit; Huius nanque plures ſunt gradus in utraque aqua, quia præpollent utrique frigiditati.

ALIA ergo cauſa, aſſignanda, & quærenda in emanatione maiori aquæ. Nam cum augeatur quantitas fit citior remiſsio, quia eſt maior emanatio procedens à forma. Sunt enim plures partes formæ aquæ, quæ producunt frigiditatem connaturalem, ſibi debitam modo abſit agens extrinſecum violentia producens, aut conſervans calorem.

SED merito percontaberis, quando liquor alius calidior, ut vinum calfit ab agente extrinſeco, nempè ab igne poſtea vero ab illo ſeparatum, ſe reducit ad priſtinam frigiditatem, quænam erit cauſa talis reductionis, & frigiditatis? Non enim quemadmodum in aqua eam poteſt efficere forma, non enim forma vini poſtulat frigiditatem, ſed calorem quatenus vinum.

MAXIMA difficultas, á nemine tacta, quod ſciam. Sed pro reſolutione, notandum ex Ariſtotele 4. meteororum vinum eſſe aquæ ſpeciem, id quod etiam ab Empedocle dicebatur. In hoc tamen nolo dicere vinum eſſe aquam; hoc enim falſum eſt. Sed elicio, quod quemadmodum in hominis nutritione humiditas aquea coit cum chylo, & alimento, & permeat cum illo ad partes ubi ſemper invenitur, ad uſus ipſius naturæ, ſic etiam omnia vegetabilia aquibus procedunt liquores, ut vinum trahunt ex terra aqueam humiditatem, ratione cuius. Sunt fluxiles: ob id dicimus oligophora vina eſſe aquea, & una magis quam alia. Igitur quando vinum, vel alius liquor calidior potentia, calefactus ab igne per huius remotionem ſe reducit ad frigitatem, emanatio fit à parte illa aquea ex eo, quod calor

vi-

vini non poteſt impedire talem reſultantiam, quia non eſt actualis. Accedit etiam, quod in aëre per mixto cum liquoribus, etiam datur emanatio, nam cum violenter ſit infrigidatus á vaporibus aquæ; illi etiam vapores ſemoto calfaciente efficiunt emanationem.

PRO coronide, erat alter ſcrupulus. Qua ratione Flabellum tempore præſertim æſtatis commotione illa facta refrigeret? Videmus effectum; cauſam ignoramus. Aër commotus æſtatis tempore calidus eſt; ergo ſi antea calfaciebat, nihil minus poſt flabellationem, motus enim potius producit calorem quam frigiditatem.

NESCIO quorſum poſſimus recurrere, niſi ad dictas emanationes. Per flabellationem, quodadmodo diſturbantur, & ſeparantur ab aëre exhalationes calidæ, quæ illum calfaciebant; & tunc aër frigidus à vaporibus aquæ efficit emanationem, quia vapores illi á propria forma producunt frigiditatem, ſibi connaturalem.

ET in ſumma, ſi dictis reſponſionibus non acquieſcas cur aqua remiſſa in calore calidiorem remitat; adverte, quod calor intenſus exiſtens in aqua, quia hæc permiſcetur cum alia remiſſiore extenditur in illa nova, atque ita amittit intenſionem, quia rareſcit, & amittit unionem. Lignum vero, vel ferrum in calore remiſſum immiſſum in aquam calidiorem illam non remittit, quia non datur permixtio, nec extenſio, nec rarefactio.

SIT unicum corollarium. Ex dictis fit veriſimile frigus, de quo in noſtro textu eſſe illud, quod dicitur rigor, & antecedit febres ſemitertianas, & intermitentes. Tum quia frigus ſubſequens nuditatem minus grave eſt, quam pro tam ſolemni maledictione. Et tolerabilior, quam rigorificum, & febrile, plures enim aſſueſcunt nuditati, & conſequenter frigiditati ambientis, quorum dicimus,

totum corpus esse faciem in qua propter consuetudinem frigus vir persentitur. De eo etiam iam fit mentio, infra in eodem capite, ubi legitur. Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate. Qui vero corripiuntur rigore febrili, sine operimentis vix transigere possunt. Colligitur etiã ex eo, quod in nostro textu: frigus ponitur in medio febris ardẽtis, & æstus, & sola frigiditas rigorifica compatibilis est cum tanto calore Hæc est magna, febrilis, ad præsentiam sui contrarij, intolerabilis, de qua in Psalmo 147. *Ante faciem frigoris eius, quis sustinebit?* Confirmatur, quia febris semitertiana, solet esse pestilens; & in periodo immediatè antecedenti dicitur. Adiungat tibi Dominus pestilentiam.

†



CA-

CAPVT XIV.

ET Ceciderunt per prona fugientes, pertimuitque corpuli, & ad instar aquæ liquefactum est. Iosue *cap.7.*



LOQVITVR textus de filijs Israël, quando ob furatum anathema percussi sunt à viris urbis Hai. Similitudo aquæ ad cuius instar cor populi fuit liquefactum, est, quod negotium facessit in hac explanatione. Vtrũ aqua ex natura sua liquida sit, aut liquefacta: affertur enim plerunque in sacris literis tanquam symbolum rei liquidæ, vel liquefactæ. In Psal. 21. dicit, Christus de seipso, *sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Et in Psalm. 78. *Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu.* Iob. 37. Flante Deo concrescit gelu, & latissimè funduntur aquæ.

ET quidem asserendum videtur aquam, ex sua natura fluxilem non fuisse, sed conglaciatam, atq; ita creatã. Sed quia sub ea consistentia, non poterat esse utilis ad generationem animaliũ à calore solis fuit liquefacta. Quemadmodum enim aër, qui ex natura sua calidus est, & humidus summo, vel propè summum calore talem temperiẽ non habet secundum omnes suas regiones, nam infima regio calida non est, sed vel tẽperata, vel aliquando frigida á vaporibus elementi aquæ, aquibus alteratur, & ponitur, quasi in statu violẽto respectu propriæ naturę; respectu vero universi, naturali, quia ad huius conservationẽ, ita contulit. Pariter aqua ex natura sua conglacialem subsistentiam requirit, & talem habuit in primo instanti suæ creationis. Verum enimvero, quia sub tali modo substan

tiæ utilis non poterat esse ad generationem animalium, & plantarũ funditur continuo à primo instanti suæ creationis à calore solis, & ponitur quasi in statu violento respectu propriæ naturæ, respectu vero universi naturali, quia sic conducit ad huius conservationem.

HANC assertionem probamus primo nostri textu auctoritate: ait enim ad instar aquæ liquefactum est. Omnimoda autem similitudo liquefactionem illam intelligit, penes quam transijt de statu connaturali in statum utilem generationi viventium. Dices sacram paginam, nihil aliud significasse, nisi, quod sicuti aqua quando gelata est liquefit; ita cor Israëlitarum fuit liquefactum; sed contra, quia aqua quando gelata est in horum sententia, non est aqua, sed gelu. Nos vero potissimè aquam esse censemus, & sub naturali consistentia, quo circa rigurosè sacram paginam interpretamur.

SECVNDO probatur auctoritate Hyppocratis, qui eã insinuare videtur, libro 1. de dieta, his verbis: Constituuntur quidem, tum animantium omnia, tum homo ipse ex duobus differentibus quidem facultate, concordibus vero, & commodis usu igne inquam., & aqua: hæc autem ambo simul sufficientia sunt, tum alijs omnibus, tum mutuo sibi ipsis. Vtrumvis vero seorsum, neq; sibi ipsi, neque ulli alteri sufficiens est: vim igitur., ac facultatem utrunque ipsorum talem habet. Ignis enim omnia per omnia movere potest, aqua vero omnia per omnia nutrire: particulatim vero utrunque superat, & superatur ad summum ad minimum quantum eius fieri potest, neutrum enim superare penitus potest. Hanc ob causam sanè igni quidem ubi, ad extremitatem aquæ pervenerit deficit alimentum, evertitur igitur ab eo, unde nutriri potest. aqua vero ubi ad extremitatem ignis pervenit, deficit motus. Hactenus Hyppocrates, qui disertè in-

insinuat aquam accipere fluxibilitatem, motum, ac fœcunditatem à calore ignis, aut solis.

TERTIO probatur ex Galeno qui 1. de facult. natur. com. 39. ita scribit: nam si prorsus frigidam, & humidam aquam fingas fieri, non manebit iam aqua concrescit enim mox, & subsistet, & fluere desinet. Galenus verò cũ dicit non manere aquam cum concrescit non intelligit simpliciter suum esse amittere, quia quæ prorsus humida, & frigida est, aqua est: sed intelligit, non manere aquã utilem ad generationem viventium. Hanc conclusionem tenet doctus Vallesius in sacra Philosophia super caput primum Genesis. Qui diserte explicat quomodo quamvis fuerint creatæ conglaciatæ fluxerint statim in usum universi, ex verbis illis psalmi: flabit spiritus eius, & fluent aquæ, nam sub nomine spiritus appositissime intelligit calorem, sive ignis, sive solis; ex concurrentia illorum verborum quæ habentur in primo capite: & spiritus Domini ferebatur super aquas, seu incubabat aquas ambo enim hæc significat dictio Hæbraica. A solo enim calore fœcundari possunt aquæ, ut benè probat Hyppocrates dicto libro de dieta. Id circo dixerunt aliqui philosophi ex aqua, & igne fieri posse omnia mixta, sine concursu aliorum elementorum. Confirmat mare glaciale, quod semper tale persistit ob frigiditatem poli.

QVARTO probatur ratione. Nam frigiditas proculdubio est causa efficiens densitatis, & congelationis; ergo ubi est summa frigiditas ibi reperitur potentia ad congelandum, sed in aqua est summa frigiditas, ergo quando congelatur, & concrescit, reperiri non potest extra ipsam causa congelationis: patet ultima consequentia, quia ad præsentiam agentis potentionis remissius, & imbecillius non potest operari, extra aquã vero omne agẽs erit remissius. Aqua ergo dum á calore ignis, vel cæli in ca-

calescit liquida fluit:cum vero propter corporis solaris recessum aut propter quancunque caloris absentiam, cessat causa liquefaciens,& conservans fluxibilitatem,ipsammet ex natura sua per emanationem, & naturalem resultantiam pristinam consistentiam acquirit.

SANCTACRVZ in Hyppocratica Philosophia,tex. 3. & alij cum eo tenent concretionem,seu congelationem nō fieri à sola frigiditate,nisi accedat siccitas aëris, quia aiunt quantumvis intendatur frigiditas,non poterit illā causare. Sed nullis,nixi rationibus,id affirmant.Imo repugnāt experientiæ: Quoniam vinum aqua, lac, & alij liquores possunt condensari,& de facto conglaciantur à nive circumposita; sed nix non potest inducere siccitatem; ergo siccitas non est concausa. Maior experimento confirmatur:minor etiam est nota, nisi dixeris nivem habere aliqualem siccitatem, quia est concreta. Sed contra, quia nix,nisi liquefiat non conglaciat, ob id enim vasi agitantur, ut liquetur nix, & refrigeretur, & condensetur liquor, ergo sola frigiditas condensat, quia in liquefactione amittit aqua falsam illam siccitatem quam dicunt, & fit actu,& potentia fluida,& humida. Præterea,si gelu haberet siccitatem quando aproximatur ignis illam conservaret,nam ignis siccus est actu, & potentia; ergo nequaquam destrueret siccitatem gelu,si illam haberet, sed potius illam perficeret.At qui ignis destruit illam, & tribuit humiditatem actualem,ergo non est vera siccitas, sed cōsistentia naturalis,aut modus substantiæ acquisitus per resultantiam.

OBIICIVNT,nam Aristoteles in meteoris de gelu, tanquam de quadam meteorologica impressione pertractat. Tales autem impressiones mixta imperfecta sunt, & rudimentum naturę mixta imperfecta facere condiscentis. Si itaque aqua cum concrescit ad mixti naturam mutari incipit,quomodo potest in sua elementari natura perfici?

RES-

RESPONDETUR tamen gelu ab Aristotele dici imperfectissimum mixtum, quia habet mixtionem aliquam alterius elementi; continet enim in se gelu aërem, qui manet inclusus: ob id, nanque levitat gelu super aquã. Elementa pura vix alicubi reperiuntur, sed omnia sunt elementa elementata; atque inter pura elementa, & perfecta mixta maxima datur latitudo. Gelu, neque est mixtũ perfectum, neque purum elementum, quia habet, aliquã portionem aëris inmixtam, sicut, & aliquam terræ. Et respectu naturæ fluxilis quam habet iuxta exigentiã universi habet diversam consistentiam, verum hæc naturalis est aquæ, ut aqua est.

ARGUUNT etiam ex Sacra Scriptura: nam aquas currẽtes vivas appellat, stagnantes vero mortuas: ex quo colligunt, non consistere perfectionem aquæ in concretione, ac subinde, neq; aquæ esse naturalem hanc. Sed profectò, ex his nihil deducitur contrarium. Non bonum cõmune, semper anteponendum particulari. Fluxibilitas aquæ erat necessaria ad bonum commune universi, aliàs enim non irrigaret terram, ac subinde animalia, & plantæ, non possent vivere. Concretio aquæ est bonum particulare aquæ illi postponendum. Aëris regio inferior calida debebat esse secundum bonum propriæ naturæ, verum cędit generationi viventium, & vicissitudinem habet frigoris, & caloris.

DEINDE, inquirit Sanctacruz. Cur aqua per diem congeletur sicuti per noctem, nam si frigiditas sola est causa semper in nocte deberẽt fieri cõcretiones similes; ex quo inferunt siccitatem aëris prorsus requiri. Verum enimvero regulariter loquendo per noctem solent, plerunque congelari aquæ ob maiorem frigiditatem, ut ostendit experientia: quamvis aliquando etiam per diem id possit contingere, quando nimirum per diem viget plus frigiditas. Vt plurimum autem huius eventus est causa Antipa-

ristasis, nam per diem tenuitas caloris solis potest unire, & reconcentrare frigiditatem alias inductam ab astris, & in aere introductam, atque ita causare congelationem. Amphora aquæ per noctem frigefacta frigidior evadit si summo mane radijs solis tantillum exponatur, ut norũt delitiosi ob antiparistasim factam. Esto etiam problema: cur in aurora magis viget frigiditas quam in altera parte noctis, cum eo tempore sit magis viccinus sol, qui calfacere, & tollere frigiditatem potest? Nam ab altera parte noctis magis distat qua de causa in ea magis deberet vigere frigiditas. Proculdubio antiparistasis causa: nam frigiditas aeris unitur, & reconcentratur ad præsentiam, & viccinitatem caloris solis.

NEQVE, quod respondet SanctaCruz ad argumentũ Vallesij quidquam valet: dicit enim, quod rectè potest summa frigiditas in aqua mota persistere, nec necessario in glaciem vertetur. Illa enim aqua tam ab omnibus celebrata apud Tenarum præ sua frigiditate vasa fortissima rumpens fluit certè, & cum tanta frigiditate continuum motum coniungit. Hoc inquam parum urget, quia aqua Tenari non rumpit vasa fortissima præ sua frigiditate, sed secũdum alteram qualitatem incognitam. Quis enim dubitet talem aquam congelari posse media nive; cum industria humana eo devenerit, ut nullus sit liquor qui arte nive mediante non congeletur, ergo acquiret maiorẽ frigiditatem; quam si haberet non flueret. Neque enim negant contrarium opinantes frigiditatem conducere ad concretionem, & esse causam, sed requiri comitem siccitatem aeris. Certum est etiam raritatem provenire à calore, sicut densitatem à frigiditate; cum vero aqua Tenari rarior sit gelata maiorem habet calorem, & minorem frigiditatem; ergo poterit densari, à nive, vel à gelu. Plutarchus in sympòsi decadá 3. problemate 3. aquam densatam appellat udam.

Ex

Ex dictis fit primum corollarium. Doctrina supradicta subministrat cuiusdã problematis solutionẽ sacrę Theologiæ quia Medicina illius est ancilla. Quomodo gutta illa, aquæ immissa à Sacerdote in calicem simul cũ vino in vinum convertatur. Aliqui dicunt guttulas illas aquę immediatè converti in sanguinem Christi: De impugnantione huius responsionis nolo agere, hoc enim Theologis disputandum relinquo; interim tamen suspicor non exiguã habere difficultatem, quia communiter dicitur vinum, & non aquam esse materiam consecrationis.

ALII dicunt guttulas aquæ primo converti in vinũ, deinde in sanguinem Christi, de hoc nobis est disputandum, quia nostra est palæstra mere physica. Et videtur, quod hoc non possit contingere, quia talis cõversio fit per corruptionẽ formę aquæ, & introductionem formæ vini: sed hoc naturaliter fieri non potest: ergo, &c. Maior propositio nota est, minor probatur. Quia elemẽta nõ corrũpũtur, nisi per actionem, & reactionem contrariorum; actio vero, & reactio fit per qualitates; ergo si corrũpitur aqua necessariò fiet per reactionem, & actionem vini, & aquæ, & per easdem qualitates. Cum autem aqua habeat qualitates summe intensas, aut propè summam intensionem; vinum vero, quia mixtum est, habeat qualitates remissas. Hinc fit, quod vinum non possit agere cum victoria, quia agens multo minus potẽs nõ potest agere ad præsentiam agentis potentioris. Vinum habet calorem parum supra mediocritatem prępollentem. Aqua habet frigiditatem summã; ergo semper resistet; & imo potius aqua convertet vinum in seipsam, quam vinum aquam. Nec valet fugere, ut multi faciunt, ad quantitatem vini quæ multò maior est; nam multitudo materię, nihil confert ad actionem, ut est commune, & receptissimum axioma philosophorum: sed solum intensio qualitatis, nam minima scintilla ignis vehementius aget quam

mag-

magna quantitas aquæ calidæ: & particula nivis in particulam passi ad quam aplicabitur fortius aget quam magna quantitas aquæ mediocriter frigidæ.

QVID ergo dicendum? Nunquid non convertitur aqua in vinum? Maximè. Sed causa deducitur ex supradicta doctrina. Nam cum aquæ debeatur ex natura sua gelida consistentia, & propter commodum universi reddita sit fluida à calore manet iam, & conservatur quodadmodum violentata, ut prima regio aeris, habetque aliqualem raritatem; quia quando est congelata densitatem habet. Ex quibus infertur, quod si acquisierit maximam raritatem; necessario corrumpetur, quia non poterit conservari sub maximé contrarijs dispositionibus. Gutulæ vero aquæ in maiori quantitate vini iniectæ dissolvuntur maximæ, & acquirunt excedentem raritatem cũ qua forma aquæ conservari non potest: atque ita corrumpitur, & vinum potest introducere formam. Quod vero sub excedente raritate non possit conservari aqua patet, quia est dispositio connaturalis aëris, & probavimus, quod densitas sit connaturalis aquæ. Et quod dissolvatur, & nimiũ rarescat gutula aquæ in maiori quantitate vini iniecta experientia ostendit, quia multum extenditur, ut quilibet liquor copiosiori immixtus. Inijce gutulam vini rubri in aquam copiosam videbis maximè dilatari gutulam, & sensim rubrificari aquã, & si magna sit quantitas aquæ quando incipit dossolvi gutula rubor communicatur, tandem vero nullus restat rubor, quia corrumpitur vini gutula. Idem contingit, si guta lactis vino permisceatur; incipit, nanque temperare ruborem, & dealbare verum statim dissipatur, & corrumpitur, quia nimirum rarescit, & convertitur in vinum. Aqua aliqualem raritatem sustinere potest, ut nunc sustinet fluida: verum si ingens fuerit non potest conservari sub illa. Sicuti, & ignis cõservari potest, etiam si illi deficiat unus, aut alter gradus caloris, & sicci-

ta-

tatis, verum si plures illi deficiant profecto corrumpetur. Confirmatur præcipuum experimento. Mitte impulsu aquæ portionem in tectum, videbis plures guttulas aliquã diu persistere tecto hærentes, verum conservari non possunt, & tandem decidunt fluidæ. Quæ causa? amat aqua unitam consistẽtiam, & ex natura sua repugnat fluxibilitati, sed tamen statim cædit bono universi, & fluit. Adde: quod primo incipit fluere unita, mox divulsa. In omnibus his motibus, in primo ostendit inclinationem in secundo obsequium naturæ.

SECVNDVM corollarium. Non videtur posse intelligi textus in sensu literali, quasi corda hominum funderentur: ut aqua, & liquescerent; quia hoc fieri non potest vita superstite, at constat Israëlitas, qui arripuerunt anathema postea punitos fuisse, & interfectos. Sed per Allegoriam quandam. Non enim videtur sacra pagina loqui de cordibus hominum, sed de corde populi. Cor populi est illius robur, quod quidem pertimuit, & ad instar aquæ liquefactum est, quia dissolutum fuit, & diffusum, tanquam fluidum, eo quod ceciderunt per prona fugientes.



CA

CAPVT XV.

FACTVM est ergo in die quadam Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. 1. Regum 3.



N His verbis significatur, quod cæcutiebant oculi Heli, & ferè abolita erat visio. Et in sequenti capite, iterum repetit textus, hæc verba, Heli autem erat nonaginta, & octo annorum, & oculi eius caligaverant, & videre non poterat. Sed, quod rapit considerationem, est quod in nostro textu additur, nec poterat videre lucernam Dei ante quam extingueretur. Nam lucerna extincta, iam non est lucerna, & qui videt lucernam videt ante quam extinguatur. Explicatio verborum huiusmodi involuit, aliqua dubia, quę ex more nostro instant enodari. Suntque illa dumtaxat, quę ad visionem senum pertinere possunt.

ET primum est utrum visio fiat, extra misione, vel sola receptione. Nam cum senes obiecta aliquantisper distantiora melius cernant; quam proximiora; sunt, qui ad extramissionem causam referant. Plato in timeo docuit; visionem non fieri, eo quod in potentia recipiatur aliquid ab obiecto; sed potius, quia aliquid exijt ab organo versus obiectum. Quæ opinio tribuitur Galeno, 7. de placitis cap. 5 & 7.

FVNDAMENTA sunt hęc. Quia aliter cognosci, non potest distantia obiecti visibilis, nam ponamus, verbi gratia, duo corpora unum album, alterum nigrum, ita collocata, ut unum sit duplo distantius alio, nem-

nempé nigrum; iudicat visus illud esse album, & propinquum, & non solum alterum esse nigrum, sed distans magis. Aut ergo hoc fit per propriã speciem diversam ab illa, quæ repræsentat colorem, & hoc non ut constat ex his, quæ dicunt philosophi de sensibili communi, nempè non cognosci per propriam speciem. Aut modo speciei: sed neque ita probatur, nam species veniens ad oculum ex magna distantia, nihil magis potest habere quam ex parva, nisi quod ex magna producta est intensior; ex parva remissior; sed intensior species solum facit obiectum apparere intẽsius, adhuc autem de magnitudine nullum fertur iudicium.

SECVNDO ostenditur hoc idem. Quia non potest videri magnitudo obiecti specie, quæ repræsentet illud cum magnitudine; ergo extramissione; probatur antecedens. Suponamus duo corpora quorum alterum sit parvum, sed valdè propinquum; alterum magnum, sed remotum: fit, ut maiorem locũ occupet in pupilla species parvi corporis quam magni, quia species parvi, utpote propinquior, replebit totam pupillam; species vero magni, quia est remotior implebit dimidium, cum species semper tendant in acutum: Sed tamen videntur unum parvum, alterum magnum, licet illius species sit cum maiori extensione, huius vero cum minori. Igitur nulla est aliqua via qua posit cognosci magnitudo, nisi extramissione, nam nihil ex his, quæ pertinent ad intus receptionem notificat potentię magnitudinem obiectĩ, ut exempla demonstrant.

TERTIO si per speciem, quæ repræsentat obiectum proprium posset videri magnitudo distantia, & situs sequeretur etiam percipi posse ab auditu, posset que hic sensus cognoscere rei sonantis magnitudinem, & figuram, quod est contra experientiam. Si vero quis respondeat talia non cadere sub obiecto auditus. Contra est, quia ta-

tactu posset iudicari magnitudo rei distantis; nam per speciem rei tangibilis posset repræsentari, & ita frigus distans, aut calorem cognoscere, quod est falsum. Neque negari potest tactum cognoscere magnitudinem: cum autem illo modo non fiat, non superest alter, nisi quia tactus accedit ad rem tangibilem. Idem ergo asserēdum de visu.

QVARTO probant aliqui, quia possito speculo apparet obiecti magnitudo, & figura, sed horum, nihil potest venire ad oculum, nam non sequitur eadem partium concinitas, quæ est in humana facie, aut alia quavis; sicut si lumen reflectatur in pariete, figura luminosi non servatur in pariete, aut alio appossito.

VLTIMO quidam probant, quia non est aliqua ratio propter quam, quælibet res non appareat duplex; si nihil exit ab organo visus, cum sit duplex organum, & duplex visio cuiuslibet, & ita si receptione ab illo fieret visio duplex appareret, quod est contra experientiam.

HÆC sunt fundamenta, & rationes, quæ afferri possunt pro Platone, & pro Galeno, qui excusari non potest ab hac sententia.

VARIANT tamen hi auctores, in extramissione. Alij enim aliquid extra ab oculis exire, usque ad rem. Visam, & ibi visionem fieri, ut ait Vega 1. meteor. cap. 5. Cuius fecit mentionem Aristoteles libro de sensu, & sensili, & valde improbabilem iudicat. Alij vero nequaquam, usque ad rem visam fieri extramissionem existimant, sed usque ad certum spatium: & hi etiam dividuntur in varios fines ad quos fieri talē extramissionem contendunt.

ET primo illa sententia, quæ talem exramissionem fieri, usque ad rem visam contendit falsa est. Nam præterquam, quod usque ad astra, aut aliam magnam di-

distantiam exire aliquid ab oculis videtur incredibile. Sic formari potest argumentum. Nam illud, quod extramittitur, aut est substantia, aut solum accidens, nihil istorum; ergo, &c. Probatur prima pars Nam substantia spirituosa non potest esse, quia talis non potest subiecto applicari, nisi per motum localem cum sit corpus: consumit ergo tempus. Ex quo colligitur visionem non posse fieri in instanti, quo animal vult, sed potius indigere tempore, quod est contra experientiam. Si vero dicas fieri tempore imperceptibili; id non potest esse, si distantia obiecti est maxima, intra quam corpus debet moveri tempore sensibili. Et sequitur ulterius, ex prædicta opinione prius videri rem proximam, quam remotam siquidem substantia illa, quæ emittitur prius pervenit ad locum proximum, quod etiam falsum est. Vlterius sequitur flante vento celeri rem non videri.

PROBATVR, quia à vento illo impellente substantia moveretur, ut recta via non posset in obiectum ferri. Deinde, quia sæpè contingit visionem fieri medio vitro, per quod non potest transire substantia illa, utpote denso nimis; ergo talis emissio non est necessaria. Neque sufficit dicere per poros transire quia spiritus aut illa substantia, quæ ponitur non est adeo subtilis, ut penetret per illos cum videamus ignem non penetrare; præsertim cum pori non sint positi recta via; fatentur autem omnes visionem secundum rectitudinem fieri.

SI vero dicas; illud, quod egreditur ab oculo esse accidens, ut lumen quodam, sive radium non quidem motu locali, sed alteratione; hoc autem esse necessarium, ut coeat lumen internum cum externo: id etiam vidit Aristoteles, loco illo de sensu, & sensili, & probat falsitatem, quia sequeretur in tenebris colorem videri: probatur, quia nihil deficit eorum, quæ necessaria sunt. Si ve-

ro respõdeas lumē illud esse remissum, & nõ sufficere sine externo intensiori, sequitur, quod in meridie cum aër sit valde illuminatus illud internum non poterit produci cũ remissius sit alio: quod enim in lumine non sit differentia specifica constat. Tum quia iuxta illam sententiam dici non potest adeo esse remissum illud, ut non sufficiat ad visionem propè oculos cum diffundatur, usque ad magnam distantiam. Neque dici potest illud lumen internum extingui noctu, quia ut docet Aristoteles non est à quo desinat præsente causa; neque enim à tenebris, nam cum solam privationem dicant impertinenter se habent ad talem definitionem præsente causa conservante. Hæ sunt rationes contra primum modum opinandi.

ALII diverso modo concedunt talem extramissionem, dicunt enim visionem fieri non sola extramissione, ut id quod emittitur perveniat, usque ad obiectum, sed potius, usque ad certam distantiam, & similiter species obiectorum postea vero retrocedere, usque ad oculũ, in quo fit visio. Sed hęc sententia etiã merito impugnatur. Quia non est aliqua virtus, qua spiritus emissi ab oculis possint redire ad ipsos: neque trahuntur propter indigentiã, siquidem ex pluribus occasionibus contingit exire, & non trahuntur. Præterea, quia si species ad certam distantiam producitur ab obiecto, oporterque ad oculum deduci, ut fiat visio poterit usque ad oculum producieritque emissio frustra. Dices non potest produci ad tantam distantiam. Contra est: ponamus medietatem illius distãtiæ esse unum stadium, ita ut visio ad duo extendatur: applicetur obiectum ad illud unum, tunc obiectum mittet speciem, usque ad oculum, intra spheram suę activitatis, & egressio erit impertinens.

VALLESIVS alio modo interpretatur, & intelligit Galeni opinionem. Asserit enim species produci ab obiecto, & recipi in ipsum oculum; cum hoc tamen esse necesses-

cessariam extramissionem; itaque exire spiritus animales, usque ad externam superficiem pupillæ, quorum lumen cum non sit potens illustrare medium sufficienter, coit cum lumine aëris, fitque unum illuminans. Ex quo colligit aërem recipere influxum ab spiritu videndi illustratione quadam, sicut nervum, esseque quodadmodo sentientem sicut medium coniunctum; ita ut una visio fiat in aëre, & in oculo, & ita extramissione virtutis potest cognosci distantia, aut quantitas.

SED hæc sententia etiam est falsa. Primo, quia aut visio fit in parte similari oculi, aut in aëre, aut in utroque. Si in parte non est necessariũ exire spiritus ad extremum pupillæ, ut coeat cũ lumine aëris. Neq; fit in aëre, quia actio vitalis qualis est visio debet fieri à principio viventi aër vero non vivit. Dicere vero aërem ipsum esse sentientem per facultatem sensitivam sicut nervum, etiã displicebit cuique, nam quód non habet sensitivam animam, neque potest habere eius facultatem, cum sit illius passio propria. Si vero dicas in utroque fieri prælterquam, quod incidis in idem inconveniẽs, frustra ponitur hæc duplex visio eiusdem obiecti: aut quod una sit solius magnitudinis, aut figuræ, altera coloris. Si enim illa communia sensibilia possunt videri in aëre cur non color? Deinde, quia ad præsentiam agentis potentioris remissius non operatur; si ergo in doctrina Vallesij lumen spirituum animalium, non est potens illustrare medium sufficienter, & coit cum lumine aëris; ergo lumẽ aëris est, quod operatur; non vero lumen spirituum. Imò potius lumen magnum extinguit, & absorbet parvum, sicut pyræ magna flamma exiguam flammam lucernæ, ut docet Galenus pluribus in locis. Nullum autẽ usum alium assignat Vallesius extramissionis splendoris spirituum præter coitum cum aëre externo.

LVDOVICVS Mercatus, aliter philosophatur. Concedit enim

enim ab obiecto visibili species produci in oculo in quo fit visio, sed præter hanc esse necessariam emissionem vitalis splendoris. Idque esse consonum doctrinæ Galeni 7. de placitis. & 10. de usu partium. Neque inquit arbitratur Galenus sufficere species, nisi illæ oculis, & immediato visionis instrumento similes efficiantur. Quod profecto lumen, sivè oculorum splendor fabrefacit diffusus ad certam usque oculorum circumferentiam, quippe dispo nit, assimilat, & perficit prædictas species quo facilius, & amicius crystallino humore recipiantur, ut visiva potentia ibidem, tanquam in speculo percipiat. Advertit ulterius non esse opus spiritus extra, aut longius ferri, sed satis est perveniat ad crystallinũ, atque ad pupillam usque; ita ut circumsitum aerem, illustrare illuminareque possit. Quo rerum spectra illustriora, clariora, & visui aptiora reddantur, beneficio illius illuminationis. Arbitraturque illud quod exit non esse substantiam corpoream, sed fulgorem ab spiritibus animalibus manantem, & procedentem, qui potest aerem circumstantem illustrare; haud secus quam lucerna, in cavo quodam lucido recondita aerem illustrat, citra hoc quod aliquid eius dissipetur. Inde procedere arbitratur, ut postquam quis expergesit à somno, ratione istius splendoris aliqua brevi tempore, licet in tenebris existentia appareant.

MERCATVS ergo partim consentit cum Vallesio, & partim dissentit ab illo. Convenit quidem, quia illustrationem illam procedentem ab spiritu, usque ad proximũ aerem asserit solum pervenire. Differt tamen, quia non tradidit similem causam necessitatis eius. Vtcunque autem sit eadem ratione formata contra Vallesium convinci potest Mercatus.

PRO resolutione quæstionis sit prima conclusio. Visio proculdubio fit receptione specierum in oculo venientium ab obiecto. Hæc conclusio est certa, & suadetur ar-

gumen.

gumentis supra tactis probantibus visionem non posse fieri in aëre, sed in oculo, & præsertim in humore chrystallino.

SECVNDA conclusio. Negari non potest in visione necessariam esse extramissionem. Itaque exeunt spiritus usque ad externam superficiem pupillæ, & nonnihil ulterius; non, ut coeāt cum externo aëre, & fiat unum illuminans, ut ait Vallesius lumen spirituum; neque ad assimilandas species, & perficiendas, ut ait Mercatus; sed ad recipiēdum tales species, & ad defferendum eas in humorē chrystallinum, ubi celebratur visio.

PROBATVR conclusio. Primo, quia in omnibus sensationibus spiritus sunt delatores specierum: ergo pariter in visu. Patet antecedens discurrendo per singulas: nam medijs spiritibus elevantur species ad sensum communem, seu imaginationem. Medijs spiritibus figuntur in memoratrice facultate. Spiritus excitant species existentes in memoria (non enim semper dum fuerint in tali facultate, fit actus memorandi, sed dum excitantur ab spiritibus) & eas offerunt cogitatrici.

SECVNDO. In puncto generationis datur confluxus spirituum venientium à toto corpore ad partes genitales, in quo sensu dixerunt aliqui semē à toto corpore esse deciduū Huiusmodi spiritus defferunt species, & ideas omnium partium corporis; nam hæc est causa ob quam claudi claudos generant, & mutili mutilos. Tales spiritus, quia insculptam habent speciem, & effigiem partium, & deinde sunt formatores fœtus imprimunt eandem figuram fœtu.

TERTIO. Quorsum enim nervi optici sunt perforati manifestè, nisi, quia magna copia spirituum animalium fluit, non solum, usque ad chrystallo idem, sed etiam, usq; ad pupillam: In hoc foramine spiritus impetum facienter excipiunt species, ut eas deferant ad primū visionis organum.

QVARTO. Vt acutius videamus coangustamus pupillam, ne ab extremo lumine interni spiritus existentes in foramine dissipentur. Confirmatur quia oculus cernendo debilitatur, ergo quia emitit spiritus, usque ad talem partem, & illam prætergredientes dissipantur.

QVINTO probatur conclusio. Nam mera receptio, & pura non potest constituere potentiam in esse sensitivæ, sed potentia visiva est sensitiva; ergo, &c. Minor, & consequentia per se patent. Maior probatur; nam potentia memorativa ideo non est cognoscitiva, quia solum recipit species, & tanquam thesaurus conservat; ergo visiva si nihil aliud efficeret quam recipere non esset sensitiva, quod est absurdum; ergo non solum recipit, sed etiam emittit ut constituatur in esse potentiæ sensitivæ, ut re vera est.

VLTIMO quod intercedant, spiritus ocursantes speciebus venientibus ab obiecto, & eas excipientibus norunt etiam poetæ, & seculares, qui in spiritibus amatores mũdi amoris venenum bibere non ignorant. Qui deinde spiritus ad cor, & varias partes concitato motu moventur. Ex quo varij consurgunt animi motus.

AD argumenta in principio possita pro sententia Platonis, quæ etiam adducuntur à Vallesio pro se. Respondetur á Petro Garcia. Ad primum distantiam obiecti nõ percipi per propriam speciem, neq; per modum obiecti, sed videndo medium tantæ magnitudinis, & extensionis. Verum enim vero ante quam sit intentus oculus in reflexione supra magnitudinem medij in primo instanti visionis cognoscit distantiam quamvis in confuso. Benèverum est quod postea converso oculo ad medium clarius cognoscitur distantia. Atque ut duo obiecta distantia cognoscantur utrum illorum sit distantius opus est ut oculus cõvertatur ad medium, & illud dimetiatur. Cæterum per speciem coloris cognoscitur distantia ex modo speciei nem-

pé

pé ex intensione, vel remissione, nam falsum est quod intensior species solum faciat obiectum apparere intensius quoad colorem dumtaxat, sed etiam quoad distantiam; nam ex remissione afficiendi noscit oculus distantiam, sicut ex intensione afficiendi propinquitatem.

Ad secundum argumentum de magnitudine obiecti qua ratione videatur. Respondetur per unicam coloris speciem. Quis dubitet magnum obiectum magnam producere speciem cum totum obiectum illam producat; & parvum parvam; & cum totum esse speciei sit intentionale, & repraesentativum; extensa species, & magna magnũ repraesentat obiectum: & color accidens est corporum, & extensum, & ita species magna, & extensa coloris repraesentabit magnitudinem obiecti. Iuvat etiam ad clariorem notionem magnitudinis, responsio perspectivorum quã eliciunt ex cono, seu angulo maiori, vel minori. Quod autem affertur in argumento speciem parvi corporis si fuerit propinquum maiorem locum occupare in pupilla, quam magni distantioris falsum est, & impertinens ad intentum.

Ad tertium argumentum respondetur diversam esse rationem de auditu, ac de visu: nam per auditum non percipitur magnitudo corporis sonantis, quia cum sit crassior sensus, ut dicebat Galenus, neque percipit figurã, neque distantiam, neque magnitudinem, ut percipit visus. Falsum etiam est tactu posse iudicari magnitudinem rei distantis; nam tactus in veriori sententia non percipit per species, quia est sensus crassior omnibus alijs; ut etiã dicebat Galenus.

Ad quartum respondetur, quod quando res videtur apposito speculo videtur magnitudo, & figura, negatur tamen nihil istorum venire ad oculum; quin potius sicut in specie directa est modus sensibilis, communis ita in reflexa: Neque est etiam eadem ratio luminosi,

nam

nam magnitudo, aut figura ipsius non repræsentatur per speciem luminis cum non sint sensibilia communia, unde sine fundamento dubitat Vega, quare quis in speculo seipsum conspiciat, non deveniente imagine rei ad speculum, & deinde reflexione ad oculum, utrunque enim falsum est. Quod autem non appareat, quando talis reflexio specierum contingit, similis partium concinitas, sicut videtur repræsentari per speciem directam aliam causam habet.

Ad ultimum argumentum respondetur eandem difficultatem inferre extramissionem, ac intus receptionē & fortasse maiorem in problemate prędicto; nam cum extramittatur facultas ab utroque oculo maior est difficultas cur quælibet res non appareat duplex. Nam cum visio fiat per planum, & lineas æquales pervenientes ad utrunque humorem crystallinum res simplex non duplicatur. Signũ est, quod si digito trahatur oculus alter deorsum res simplex duplex apparet, quia non servant lineæ visuales planum, & æqualitatem. Ast huiusmodi æqualitas servari non potest in extramissione.

Et pro coronide ne quid deficiat controversiæ; addidimus in conclusione, quod spiritus egrediuntur, usque ad externam superficiem pupillæ; & aliquando non nihil ulterius. Confirmatur autem hoc pluribus experimentis. Nam insuffusionum principijs, in hæmorragia critica in Peripneumonia, in vertigine in nausea, & vomitu videmus, & culices, & muscas, & marmariges ante oculos obversari, quæ omnia in aëre externo non sunt viderentur enim ab omnibus, sed intra oculũ continetur causa, quæ pellitur ab spiritibus impetum facientibus aliquantulum extra oculum. Aliquando oculis imbecillibus apparet iris circum circa candelam; colores ergo illi apparentes causam habent intra oculum. Hi qui ictum aliquem vehementem patiuntur in capite scintillas vident circa oculos un-

unde communiter dicitur *Vie estrellas a medio dia*. Ego astiti curationi cui ex vulnere effluxus fuit humor aliquis igneus;atque cũ prædixissem visûs abolitionem in illo oculo;alijs medicis visum promittentibus,quoties curabatur, & aposita collebantur ab oculo patiens,spè aliqua concepta letabundus dicebat se,illo oculo videre mox tamen visio illa falsa deficiebat;cuius eventus causa erat,quod spiritus,qui confluebant ad oculum vulneratum, cohibiti á medicamentis, & luminosi efficiebant illam falsam visionem,quæ cum dissiparentur cessabat.

SENES, ut diximus in principio, obiecta aliquantisper distantiora melius cernunt quam proximiora. Aristoteles part.31 proble,25. Dicit,quod spiritus, & humores sunt crassi in senibus, & attenuantur si obiectum videtur distantius. Ita Lupeyus in quinquagenis,proble. 36. Gentilis 3.tertij,& opinio est communis. Falsa tamen,quia visio non fit extramissione saltem,usque ad obiectum. Daniel senertus 1.tomo praxis,ait:quod ex conatu videndi, & infinitis actibus, aliquantulũ vergit humor chrystalînus ad anteriora,& cum debeat esse proportio inter illum, & obiectum senes illud,quodadmodo distantius melius cernunt.

Hæc doctrina Senerti probabilis est,verumtamen, ut existimo verior solutio problematis desumenda est ex perspectiva. Conus, seu linea illa pyramidalis veniens ex obiecto si fuerit propinquum, non potest esse acuta, sed obtusa,ac proinde lumen internum senum, quod est exiguum,& tenué dissipat. Secus in iuvenibus. Præterea conus hic parum acutus,& pyramidalis non potest penetrare substantiam spirituum, & humorum existentium in oculo,quæ crassa est. Conus veniens ex obiecto distantiori magis est acutus,& pyramidalis,ac proinde non dissipat & potest penetrare melius humores, & spiritus crassos senum.

Hv-

HVGO 3. techni tractatu de cerebro ait: quod senes obiecta distantiora cernunt oculis intentis, & conatu, ac proinde tendunt tunicas oculorum rugosas, & melius vident. Sed proximiora etiam si rugas tollant conatu peius vident.

SIT primum corollarium. Multum cęcutiebant oculi Heli siquidem videre non poterat lucernam Dei ante quam extingueretur; nam quamvis verum sit quod lumen externum est necessarium ad visionem, & videtur quod textus loquatur de Heli quando iacebat in loco suo: hoc est in lecto, hoc enim significat iacebat, quo tempore noctu non poterat fieri visio. Tamen lucerna poterat videri quia excellens, & luminosum obiectum solo interno splendore potest videri, quod non cōtingit coloribus qui ut videantur requirunt lumen aeris; sicut nervus stupidus sentit vehemens sensibile; remissum autem sentire non potest. Ob hanc causam è leucarum distantia ignem videmus.

SECVNDVM corollarium. Quando obiectum est excellens, & luminosum, nimirum ignis, aut quælibet alia res ex natura sua, & intrinsice splendida, ut stellæ oculi felis, ferè equaliter videtur à iuvenibus, & senibus, sivé cominus, sivè eminus videatur. Ratio est quia non dissipat internum lumen conu, sivè linea visualis, mediant enim tenebræ, quæ congregant visum, & linea visualis proficiscens ab obiecto luminoso penetrat bene humores crassos, & spiritus senum. Et advertat lector ut videat quod ratio, posita in problemate petita ex perspectiva est firma: Iuvenes etiam si multum cominus rem videant etiā videre peius; quia nimirum conus ferè non est pyramidalis in hoc casu, & dissipat etiam visum robustum.

VLTIMVM corollarinm. Vltima illa verba: ante quam extingueretur etiam sunt physicè mysteriosa. Lucerna & candela proculdubio, quando est proxima extinctioni maiorem


iorem splendorem emittit; in quo etiam homines moribundi lucernæ assimilantur, qui parum ante mortem quodadmodo meliorari videntur. Lucernæ ignis quia à pabulo separatur illud vincit, & attenuatur, maior apparet. Heli ergo nec quando ignis lucernæ extinctioni proximus maior erat illum poterat videre, in tantum oculi eius caligaverant. Hic etiam docentur Prælati, & Ministri Ecclesiastici, & quæcunque alia capita, quod non solum debent videre lucernam Dei ardentem, sed ante quã extinguatur, ut cito foveatur. Nec tempus somni erat excusatio Heli Sacerdoti.



CA-

CAPVT XVI.

NVRVS *autem eius uxor Phinees prægnans erat vicinaque partui, & audito nuntio, quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus incurvavit se & peperit, irruerant enim in eam dolores subiti.* Regum 1. 4 *cap.*



ON Solum dictiones, sed & virgulæ in sacra pagina, maximé sunt venerabiles, tum propter mysterium, tum propter doctrinam. Occurrit mihi nunc, quod uxor Phinees audito tristissimo nuntio incurvavit se, & peperit, quasi incurvatio præmissa foret diligentia ad pariendum. Inquirimus ergo utrum actus incurvandi conducat ad faciliorem partum. Exiguam lucem invenio apud Doctores, nec resolutionis, nec propositionis huius dubij præter illum textus. Cæterum hæc instar est poli.

ADMIRANDA sunt naturæ in embrij formatione vita, & nutritione opera, sed extremus eiusdem infœtus exclusione conatus omnem admirationis captum excedit. Quod enim post seminum apprehẽsionem primumque conceptum, ita exquisita connixerat os uteri interius, ut ne specilli quidem cuspidem admitteret; nunc fœtu exitum sibi inversione, calcitratione, & membranarũ ruptione parante, ita laxetur, ut patentissimo ostio hiscat. Cũ autem nihil, sine medio moliatur natura, internam oris superficiem postremis gestationis mensibus lento, quodam humore velut mucco oblinit, ut crassius molliusque redditum os, distendi citra lacerationem facilius possit.

Cum

Cum vero uterus in ampla coxarum capacitate contineatur, & anteriori parte ossibus pubis posteriore osse sacro, & coccyge, utrinque vero illium ossibus obvalletur, quorum alia per synarthrorsim, idest compactam, & immobilem articulationem; alia per symphysim, synchondrosim quippè committuntur, an horum ossium fiat in partu divulsio dubitant plures; tam mirabilis est apertio uterina, & ad quam moliendam dubitari debet utrum incurvatio parturientis conducat.

HYPPOCRATES ad finem libri de natura pueri ita scriptum reliquit. In ipso partu universum dolet corpus maximè vero lumbi, & coxendices, nam distrahuntur, & divelluntur ipsarum coxendices. Avicena lib. 3. fen. 21. tractatu 1. cap. 2. ait: Quando separatur fœtus aperitur uterus apertione tali: cuius similem efficere non valet in alia hora, & necessarium est, ut separentur quædam iuncturæ, & sustẽtentur, adiutorio Dei excelsi præparante, vel disponẽte ad illud, deinde revertente eas ad continuationẽ naturalem, & est operatio illa validissima ex naturæ operibus. Zoar Rabbi, Simeonis Ben in primũ caput Exodi. Haud facile quicquam aliud magis mirandum in rerum natura reperies, quam distractionem illam ossium pubis, quæ fit in parturientibus magis naturæ præsidio, seu potius providentia Dei, cui natura ipsa ministrat. Etenim nulla fieri posse, quantumvis validissima vi, & nixu, sicut nec in cornibus cervorum, quotanis decidunt, & denuo renascuntur. Igitur quæcunque conferunt adiutorium operi tam mirabili & ipsa etiam mirabilia sunt; non ergo erit abre scrutari an incurvatio, quæ in textu non temere significatur conferat ad partum, quæ in illo habetur diligentia.

CONSENTANEUM censeo rationi ad faciliorem partum disponendum, ita adaptari parturientem, ut genua sint incurvata quamvis abdomine erecto. Et quamvis observavi, quod aliquando hæc servatur figura verũtamen non

ex

ex consilio, sed ex casuali eventu, quia in auctoribus illud non inveni, cum crediderim non parum conferre talem figuram ad feliciorem partum.

ET suadetur primò ex sacra pagina in nostro textu; nā si uxor Phinees statim audito nuntio incurvavit se, & peperit proculdubio erat illa usualis diligentia, quæ adhibebatur in partu, nulla enim fit mentio, quod alia præcederet, nec vocaret obstetricem. Cum autem in tam periculoso discrimine nullus alius narretur, nisi actus incurvandi, hic erat in usu apud illam antiquitatē; præsertim, quod confirmat eventus quandoquidem statim peperit, ac se incurvavit, sine adstante obstetrice.

SECVNDO ex eadem sacra pagina: nam cap. 38. libro Iob, ita legitur: Num quid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? dinumerasti mēses conceptus earum. & scisti tempus partus earum? Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt. Eadem enarratur præparatio, quæ à cervis fit, atq; ita mysterium involvitur. Nam in hoc capite Iob ex instituto extollit curam quā habet Deus autor naturæ de brutis animalibus conferens illis, eaque ex deffectu sapientiæ, quā posuit in visceribus hominis non habent. Incurvantur inquit, & pariunt. Sic præparantur cervæ ad partum, & statim pariunt. Ergo autor naturæ, qui illis negavit obstetrices præbuit hoc instinctum. Hoc etiam volunt interpretes significari in verbis, Psal. *Vox Domini præparantis cervos.* Confirmatur, quia cervæ debent habere difficiles partus, nam eorum, quæ ad partum spectat, & prolem sunt providentissimæ. Nam, & ante partum sese herba Seseli vocata purgant faciliore ita utentes utero, & à partu habent duas herbas Aron, & Seselim, quibus pastæ redeunt ad fœtus. Dioscorides de Seseli, scripsit capris, cæterisque pecudibus datur in potu, quo facilius suos fœtus enitantur.

TERTIO probatur ratione petita ex Anatome. Nam muf-

musculus femora flectens alter est illiacus dictus à tota cavitate interna ossis illium enatus. Extendunt femur musculi tres natium auctores, maior medius minimus. Maior quasi circularis omnium extimus, & amplissimus à coccyge osse sacro superna illium costa oblique descendens in femoris os palmum sub trochantere magno desinit. Medius, & situ, & magnitudine ab anteriora parte costæ illium in trochantera magnum, & superficiem eius externam inseritur.

MINIMVS ab eadem ossis illium facie externa in trochãteris magni supercilium internũ fertur. Aducunt, & circumagunt intro tres, quos pro unicò numerãt anatomici, cumque tricipitem vocant. Primus à commissurà summa ossium pubis, & eorum spina in ossis femoris lineam sub ipsius ossis medio inseritur. Secundus ab ima pubis cõmissura sub trochantere parvo inseritur. Tertius ab eodem enatus principio in parvi trochanteris radicem fertur. Obturatores musculi, qui circumagunt crus sic dicti, quod foramen inter os pubis, & ischij patens obturent duo sunt, externus alter, alter internus. Quartus musculus flectens tibiam duo habet capita, alterum à cõmissura ossis pubis, alterum ab exteriore femoris parte enascitur.

Ex hac Anatome cõstat omnes dictos musculos enasci ex ossibus pubis, & illium; atque ita ex incurvatione genu opus est, ut iam his iam illis agentibus ossa pubis, & illium quodadmodo distrahantur, aut ex motu dilatentur, quod ut mostratum est, ita necessarium est in partu faciliori, ut neque hoc sufficiat, nisi auxilium auctoris naturæ specialissimum accedat.

THOMAS Campanella in libris medicinaliũ iuxta propria principia cap. de partus difficultate, sic scribit: si primipara, & in experta docenda est, ut timorem spernat flatum contineat, & musculis abdominis premat fœtũ; sicut

M so-

ſolemus ſtercus, & in ſella ponẽda genibus ſublatis, & abdomine erecto, ut os veteri propendeat in hiatum.

In explicatione verſus, Pſalmi 48. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Interpretes per iniquitatem calcanei intelligunt ſenſualitatem, quia eſt ſympathia calcanei cum genitalibus. Et quamvis hæc nõ ſit manifeſta alludit Galenus lib. de remedijs facile parabilibus, ubi ad generationem viri dextro virum pede ligato faſcia puerili, & fœminæ ſiniſtro coire iubet. Ex quibus infertur, quod partes inferne fœmeris, & tibię pedũque aliqualem habent conſenſum cum generationi dicatis, iuxta quam incurvatio quatenus muſculos exagitat poterit conferre ad partum.

SCYTHÆ cum nullam equitandi rationem haberẽt, & ſine ſtapedibus equitarent coxendicis dolore ferè omnes torquebantur, & ſterileſcebant; ut refert Hyppocr. lib. de aëre, aquis, & locis, quia equitatio frequens ſine ſtapedibus femorum, & tibiarum, & conſequenter partiũ ſpermaticarum robur exolvit. Confirmat Hyppocrates dicto loco, ubi ſcribit: Inter ſcythas ditiſſimi, & nobiles maximè afficiebantur, minimũ vero infimi, & qui genere, ac robore illuſtres erant ob equitationem hæc patiebantur ignobiles vero minus, quia raro equitant. Nec dicẽdum, quod crebra equitatio ſterilitatem pariat quoniam noſtris tẽporibus non experimur ſterilitatem ex frequenti equitatione. Sed equitatio crebra ſine ſtapedibus, ut ſignificat Hyppocrates dicto loco, & non mirum, quia in tali equitatione tibiæ, & femora nimis pendula ſunt, quo circa debilitantur tales partes In equitationæ cum ſtapedibus modice flectuntur, & incurvantur præſertim in equitatione, quæ dicitur *A la gineta.*

SIT primum corollarium. Ex dictis infertur, quod femora maximam habeant ſympathiam cum utero, & genitalibus, & cum in incurvatione cum tenſione agatur femur,

mur,

mur ; quod possit incurvatio conferre ad partum iuxta textum. Confirmatur ex sacra pagina pluribus in locis præsertim numerorum 5. ubi in maledictionæ adulterij hæc leguntur. putrescere faciat fœmur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur; ingrediantur aquæ maledictę in ventrem tuum;& utero tumescente putrescat fœmur. Ex putrescentia fœmoris deducit sacra pagina, uteri disruptionem: & ex intumescentia uteri fœmoris putrescē-tiam, tantus est consensus harum partium.

P. Gaspar Sanchez super hunc locum, ait incurvavit se parturientis more,& enixa est, Iam dixi, quod nec apud auctores invenio commendatam hanc præviam dispositionem ad faciliorem partum,nec apud praxim usitatam ex consilio, sed forte ex contingentia.

HINC forsam etiam ansam arripuit locutio sacræ paginæ ad derivandam progeniē ex fœmore. Sæpissimè enim stirpem emanare ait ex fœmore, quasi ex utero confundens originem. Nam cap. 46. Genesis, numerans illos, qui cum Iacob venerunt in Ægyptum; hæc verba habet: cunctæque animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptū, & egressę sunt de fœmore illius. Ita dicit, quasi ex partibus generationi dicatis emanarent.

ET cap. 49. in illa celebri prophetia, quam protulit Iacob morti viccinus hæc prædixit Iudę: Nō auferetur sceptrum de Iuda,& dux de fœmore eius donec veniat, qui mittendus est. Quasi collocat vim formatricem in fœmore quemadmodum censetur esse in partibus genitalibus. Idē repetit cap. 1. Exodi dicens: Erant igitur omnes animę eorum, qui egressi sunt de femore Iacob septuaginta. Et inhumanis Comes de Salvatierra Dux Communitatum Castellæ, tempore Caroli Quinti, ex stirpe Gothorum aiebat se venire de rodilla en rodilla, ut ex parente in parentem, ut refert Sandoval in Historia Imperatoris Caroli, 1. p. Igitur commercium,& consensum habent huiusmo-

di partes inter se, ut possint, & coaffici, & coadiuvari.


ET hinc forsam emanavit inter Patres antiquos, sicut etiam observatur in Scriptura, ut fierent iuramenta posita manu sub femore in signum adiurationis. Etenim in lege antiqua ignominiosum erat dedecus sterilitas, & progenies interrupta usque ad maledictionem. Summa autem benedictio, & felicitas consistebat in numerosa propagatione, ut constat manifestissimè in sacra pagina. Igitur posita manu sub femore imprecabatur iurans fęcunditatem ex complemento promissionis; & è contra sterilitatem ex transgressione. Sic legimus iussisse Abraham Genesis 24. ut servus senior domus suæ poneret manum suã subter femur suũ, ut adiuraretur de non accipienda uxore filio suo de filiabus Cananeorum. Et Iacob etiam Genesis 47. ut Ioseph poneret manum sub femore de non sepeliendo illo in Ægypto.

SECVNDVM corollarium. Providentissima fuit uxor Phinees, nam audito nuntio, quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus incurvavit se, & peperit, nam quamvis verum sit, quod ut ait textus irruerant in eam iam de præterito dolores subiti, iuxta bonam obstetricandi artem, non fecit conatum ad pariendum, quousque accessit triste nuntium; nam parturientes non præ quocunque dolore ponendæ sunt in sella. Prudentissimè autem audito nuntio incurvavit se, quia quatenus dolores ventris augebat poterat partum facilitare: quatenus vero nuntium erat dolor animi poterat temperare quod admodo acerbos uteri, quia ut ait Hyppocrates duobus doloribus concurrentibus unus alterum obscurat. Meruit etiam fęlicem partum filij, quia nuntium ei prius fuit triste, quod capta esset arca Dei, quam quod mortuus esset socer suus, & vir suus, ut ordo textus insinuat.

CA-

CAPVT XVII.

TVLIT autem Michol statuam, & possuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum possuit ad caput eius, & operuit eam vestimẽtis. Missit autem Saul apparitores, qui raperent David, & responsum est, quod ægrotaret. Rursumque missit Saul nuntios, ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me, ut occidatur in lecto. Cumque venissent nuntij invẽtum est simulacrum super lectum, & pelles caprarum ad caput eius. 1. Regum 19.



T Salvaret David virum suum Michol, ne in principio fugæ deprehenderetur, hac collusione, & astutia usa fuit, ut poneret statuam super lectulum, & pellem pilosam caprarum ad caput eius, & operiret eam vestimentis. Apparitores ergo missi à Saul cũ sibi responsum foret, quod ægrotaret videntes speciem vultus, ita crediderunt. Cum autem rursum mississet Saul nuntios strictioris iuris, ut viderent David, & afferrent, ut occideretur detecta fuit impostura.

IOSEPHVS scribit, & idem commentati sunt Procopius Theodoretus; Petrus Comestor, ut refert doctus Pater Ioannes Eusebius Nieremberg 2. tomo occultæ philosophiæ cap. 56. Quod supposuit Michol statuæ velamento iecur capræ, ut simularet David. Habet enim hoc spe-

ciale Iecur capræ, quod ab animali evulsum, motum quẽdam representat vitalem, vel sit palpitans, vel alius quicunque motus, ut hoc modo vivus David simularetur. Pelles autem caprarum posuit ad caput eius, quia in illa regione capræ flavæ sunt, ut representarent aureos David capillos.

Et ratio motus Iecoris capræ, ut refert P. Nieré est quia per aliquod tẽpus perseverat in animali mortuo sufficiẽs apparatus, vel sufficientes spiritus, & qualitates ad efficiẽdum aliquam actionem, vel motum similem vitalibus.

CONFIRMANT autores hoc præter Iecoris capræ secretum pluribus experientijs, & historijs. Deinde capite obtruncato reliquum corpus movetur. Imo referunt Barbaros currentibus caput abscindere, & decapitatorum corpora ad aliquos passus progredi. Constat etiam experientia abscissa capita per præexiguum tempus saltus immodicos efficere. Plutarcus scribit, quod cum esset abscissum caput bobus illi exerebant, & extendebant linguam.

Asclepiades affirmabat plura animalia, sine capite vixisse, & de insectis minor est dubitatio apud auctores. Tertullianus narrat hoc de locustis, & muscis. Calcidius de apibus. Aristoteles id concedit de his, quæ non indigent plurimo alimento. Averroes refert raram historiam de ariete, cui post abscissum caput superstes fuit motus. Mirabilem casum referunt historici. In rebellione Comitis Palatini adversus invictum Imperatorem Ferdinãdum secundum in bellico conflictu inter Imperiales, & Palatinos ante Pragæ victoriam venerunt ad pugnam Vngarus, & Polacus Vngarus erravit ictum, & Polacus retorquens in eum actione fortunata abscidit caput eius, quibus non obstantibus referũt, quod Vngarus cucurrit postea super equum firmiter decapitatus aliquo tempore. Addunt aliqui incrementum unguium, & capillorum

in

in mortuis, quod observavit sæpè Democritus cum habitaret iuxta sepulchra, quæ olim in agro, & solitudine parabantur. Quocirca consulebat democritus, ut servarentur cadavera incorrupta quandiu possent; & ad præservationem mel præscribebat. Hic est casus, & series rei apud antiquos Philosophos.

SED quæ sit causa istorũ motuũ hoc opus hic labor est. Focilides, & alij philosophi antiqui dicebant, remanere in corpore mortuo animarum reliquias. Tertullianus vocat superfluum animæ, quia censebant corpus non extingui subito, sed quod perseverabant in illo animi reliquæ, ob quam causam male sentiebant de combustione corporũ, ut Tertullianus notavit. Hęc philosophia antiquorum de re manentibus frustris animę in cadaveribus, falsa est, & hæretica, quia anima est indivisibilis, & spiritualis. Orta fuit tamen ex his, quæ dicimus, nimirum, quod restant in cadavere, aliquę qualitates, & dispositiones, quibus possit manifestari aliquis effectus, ut á corpore vivo. Si has vocant animæ reliquias; quamvis non sit propria locutio, non est falsa in horum sententia, quas spolia propriori significato vocant, quia spolium non significat partem alicuius rei sicuti reliquię.

SED his omissis, quia horum sententia crassiori minerva rem discutit. Notandum primó, non posse promiscue reddi rationem, de his omnibus effectibus, quia varias habent causas, ac proinde distinctione utendum. Nam motus Iecoris caprę non videtur referri posse in spolia animę, aut dispositiones; quia potiores remanerent in corde quam in Iecore cor enim est primum, & potissimũ vivẽs, & ultimũ moriẽs, & cum de illo mirabile hoc non verificetur verisimilius videtur talem motum esse palpitantem, & referendum non esse in dispositionem animæ, sed in calorem derelictum, qui flatus elevat inclusos, quęrentes exitum, & palpitationem efficientes, non secus, ac

contingit in terræ motibus, qui veræ sunt palpitationes terræ: Aliud & aliud ergo dicendum de his motibus, & de motibus corporum decapitatorum.

SECVNDO notandum huiusmodi actiones, seu motus ab servari in detruncatis, & cadaveribus, non tamen multo tempore post mortem, sed paulo post extinctionem evanescentibus postmodum omnibus vestigijs talium actionum, & in hoc omnes conveniunt, nam neque Iecur capræ inveteratum, & antiquum, neque capita abscissa, aut corpora diu extincta tales motus exercent.

TERTIO notandum, plura requiri ad generationē, seu via generationis, quam in statu corruptionis, aut via corruptionis. Patet, quia qui dat formam dat consequentia ad formam, & ut fiat generatio, & introductio formæ requiruntur omnes dispositiones ultima coronatæ: at vero in statu, aut via corruptionis plurimæ deficiunt, quia corrumpuntur à contrarijs formæ introducendæ. quousque tales deficiunt sine quibus conservari non potest; atque ita deficit forma. In hoc sensu dicunt Philosophi, quod viventia habent terminum intrinsecum magnitudinis, & parvitatis via generationis, quem tamen non habent via corruptionis.

PRO resolutione abstrusi, & difficilimi dubij sit conclusio. Motus illi decapitatorum, tam qui in trunco quā qui in capite abscisso conspiciuntur fiunt ab anima mediante potentia. Dices ergo si simul observantur in trunco & in capite abscisso anima erit in duobus locis. Concedēdo cōsequentiam. Et sit secunda pars conclusionis anima, quia est in loco sicuti Angelus potest in nostro casu per brevissimum tempus esse in duobus locis inadęquatis via corruptionis. Hæc est paradoxa, usque ad correctionem alicuius docti cuius iudicio do manus libenter:

HANC conclusionem tenet probabiliter Toletus. 2. de Anima, q. 5. ante finem: Calletta Neapolitanus libro de

sym-

sympto.motus animal.q. 4. Probatur primò, duo requiruntur ad motus tam animales, quam vitales in ferè omnium medicorum sententia, nempè illustratio partis animatæ, & spiritus. Probamus ergo conclusionem ex parte illustrationis: nam qualitas influens in doctrina Galeni est simillima luci, & quoad eminentiam, & quoad brevitatem communicationis, dependetque in esse fieri, & conservari à suo luminoso, quemadmodum lumen à sole, ut rectè docet Sanctacruz in Avicenam, & ostendit experientia, possita namque qualitate illustrativa eodem instanti ponitur motus, & ablata, aut impedita per obstructionē nervi eodem instanti cessat motus quāvis superstites sint spiritus. Porro quemadmodum possito sole ponitur lumen, & subinde visio ad quam requiritur, & absente sole eodem instanti abest lumen, & cessat visio, ita etiam possita parte animata ponitur qualitas illustrativa, & subinde etiam motus: illa vero absente eodem instanti abest qualitas, & cessat motus. Ex quibus deducitur, quod si motus conspiciantur in capite simul in utraque parte est anima: nam ut inquiunt Avicennistæ, pars animata producit qualitatem, tanquam principium, quod, quæ sine suo principio existere non potest, sed in instanti diffunditur, & in instanti amittitur, quia non habet contrarium, ut lux.

SECUNDO probatur conclusio ex parte spirituum, nā spiritus in sententia quorundam, ut Petri Garciæ, tomo Physiologico, in rigore physico loquendo, nō sunt instrumenta animæ, sed anima ipsa media facultate elicit operationes; ergo motus illi in nostro casu ab anima fiunt; ergo ibi existit anima. Sed esto concedamus spiritus esse instrumenta, omnes Doctores tenent cum Avicena, & Gentile illos esse instrumenta coniuncta, ut Serra, & Malleus, nequaquam separata. Imo plurimi sunt Medici, ut refert Sennertus, qui fictitium esse instrumentum separatum affirmant, & separatum esse negant. Sed instrumentum

tum coniunctum, ut ipsum ostendit nomen debet esse simul cum suo principali, ergo si fiūt motus ab spiritibus, fiunt ab illis simul cum anima. Instrumentum inquiunt, negantes separatum separari potest à suo principali agēte, ut serra ab artifice; verum, quod in ipsa actione operetur insita vi sine suo agente omnino negant, quia illud à se non habet virtutem operandi.

Nec valet si dicas spiritus cum impulsu animæ motus efficere licet ea non existat, ut lapis cum impulsu proijcientis etiam si proijciens absit. Nam instrumentum cōiunctum sine suo principali directionem non habet. Et quamvis securis proiecta cum impulsu agentis præcipui secare possit lignum, quod alias ab agente seccabatur; secat tamen uniformiter, absque eo, quod retardet, aut accelleretur in motu, diverso modo, ac principale agens quod per directionem multiformiter seccat, iam accelerando, iam retardando motum. Spiritus si cum impulsu, animæ absentis moveret, uniformiter moveret, quia unus est impulsus, ut in exemplo securis: at verò in trunco, & in capite per brevissimum tempus diversi motus conspiciūtur; ergo non fiunt ab impulsu spirituum, sed ab anima dirigente mediante potentia motiva. Confirmatur, quia quæ moventur per virtutem impressam violento, nec ad libitum moventur, ut patet dum lapidem proijcis, quem in motu retinere nequis; at partes quæ moventur in nostro casu, moventur medio motu musculorum, & imperante appetitu; ergo non fiunt per virtutem impressam spirituum.

Præterea Gal. 1. de placitis ait victimam avulso corde ambulasse. Andreas Laurentius lib. anotom. 9. q. 18. se id expertum fuisse fatetur, & ambulationem à spiritibus fieri docet tamen simul cum anima. Hæc sunt eius verba: Quod avulso corde ambulet animal, & clamitet verum quidem id est, sed beneficio cordis id fit spirituum

quip-

quippè à corde in universum corpus diffusorum, quibus exhaustis cùm non amplius suppetat commeatus, statim animal extinguitur. Hæc Laurentius. Igitur si animal extinguitur spiritibus exhaustis post avulsionem cordis, adhuc non est extinctum, sed ambulatio fit sine corde, & postea extinguitur animal.

PETRVS Garcia tom. physiolog. disp. 39. cap. 9. super locum allatum hæc verba profert. Licet credi non sit facile, quod in animalibus perfectis, sine parte adeo principe posit anima conservari in materia remanentis totius aliquo tempore notatu digno. Hactenus Garcia; qui per exiguum tempus si non sit notatu dignum animam conservari fatetur.

SI dixeris animam servari in trunco, non tamen simul in trunco, & in corde avulso; contra, quia si per exiguum tempus servatur in trunco, ergo à fortiori in corde, quia cor est principium vitæ; & primum vivit, & ultimum moritur; ergo vel dicendum, quod servatur in corde, & in trunco simul, vel si in aliqua parte servari debet maximè in corde, sed experitur ex Galeno, quod in trunco servatur; ergo etiam in corde avulso. Probans Sennertus cum Spigelio, motum cordis non esse animalem pendentem à nervulo sextæ coniugationis, sed sui generis, & vitalem affert experientiam, cum plurium animalium corda exépta è corpore, abscisso penitus nervo aliquandiu mota fuisse observarit lib. secundo practicæ, parte 4. capite sexto de sincope. Hæc argumenta valent præsertim in eorum sententia, qui tenent animas perfectorum animalium esse indivisibiles. Et in summa probant saltem primam partem conclusionis, nempè motus observatos in trunco, vel in parte abscissa, non esse ab spiritibus, sed ab anima.

VLTERIVS anima non continuatur inter se, sed solum unitur corpori, ergo discontinuatio, quia tollit in-

fluxum

fluxum partium in partes est causa mortis, non vero, quia respectu animæ aliquid agat, ipsa enim est indivisibilis, & non habet partes quas ex natura sua exposcat.

PORRO etiam experientia compertum est, nasum, si subtilissimè & breviter seccetur & applicetur, reuniri quidem, non est autem dicendum, quod anima deficiat in secto naso, si nullũ intervallum adsit inter sectionem, & applicationem, quia nasus cadaveris, neque bene reunietur, neq; vivet, ergo anima erit in duobus locis inadęquatis. Et hæc erat secunda pars conclusionis.

RESPONDIT Sanctacruz, ad quem consultum Matriti remissi difficultatem, tanquam ad amicum & dominum cum in Complutensi Academia publicus essem professor. In tali casu in secto naso non conservari animam, sed dispositiones aliquas ratione quarum anima unitur. Sed cõtra replicui per Epistolam: quia aut illæ dispositiones sunt cum ultima, aut citra ultimam. Si primum dicis; ergo ibi existit anima, quæ semper est cum ultima dispositione. Si dixeris secundum illas dispositiones non esse cum ultima. Ergo anima introducitur sine ultima dispositione, quod videtur absurdum in philosophia.

HEC etiam confirmare videtur Historia relata à Senerto lib. 5. institut. medicarum. part. 1. sect. 2 cap 14. Ex auctore thesauri rerum admirandarum, quę superiori seculo acciderunt. Is narrat sibi à viro fidedigno, & qui eius rei oculatus testis fuerit; relatum fuisse anno Christi Domini nostri 1576. Nobilem Neapolitanum cui in conflictu nasus amputatus erat cum servo quodam cõtraxisse, ut ex brachio suo more in chirurgia simili, & sæpissimé practicata nasum sibi suum reparari pateretur. Quod ubi ex arte factum est accidit, ut triennio post servus ille ægrotare inciperet, simulque nobilis ille de dolore in naso conquæreretur, tandemque servus plané moreretur. Quo facto, & particula illa nasi è brachio servi nobilis na-

ſo appoſita emortua eſt. Hiſtoriam hanc non tam ut mihi veriſsimam refero, quam ut rariſsimam, & admirabilẽ, quam ſi aliquam habuerit veritatem his, quæ dicta ſunt diſſonam non eſſe cenſeo.

DEMVM ſpiritus prædictos motus efficere non poſſunt abſente anima, quia eo caſu, neque ſunt ſpiritus vitales; ſi vita nõ exiſtit, neq; animales ſi anima. Dũtaxat enim, qui antea ſpiritus erant, anima deficiente ſunt flatus: at flatus efficere non poteſt diaſtolem, & ſyſtolem arteriarum, & ſaltus quos molitur caput abſciſſum. Confirmatur, nam ſano exiſtente, & vivo corpore ſpiritus continuo diſsipantur, & exhalant levi de cauſa, & ſine illa ferè in inſtanti tẽporis, ut patet in ſyncope ex diſſolutione ſpirituum, ſubito enim concidit animal; ergo multo brevius emortuo animali, & extincto ſubito, & affatim diſſolvuntur atque ita non poſſunt ſuperſtites remanere ad aliquas actiones, & motus, qui adhuc diviſo animali exercẽtur in fruſtris remanentibus.

SECVNDA pars concluſionis, nẽpè quod anima poſsit eſſe in noſtro caſu per breviſsimum tẽpus, in duobus locis inadæquatis via corruptionis; ex dictis inſinuatur. Et amplius, quia anima exiſtit in loco eodem modo quo Angelus; ſed hic ut patet ex pluribus Theologis poteſt eſſe in duobus locis inadæquatis; ergo, & anima.

Hoc intellige ſi loca inadæquata ſint, ut ipſum ſonat verbum intra locum adæquatũ. v. g. ſit locus adæquatus Gimnaſium; poteſt eſſe in locis non continuis Angelus, ut in duobus extremis gymnaſij, quin ſit in medio. Pariter locus adæquatus animæ eſt totum corpus; poteſt ergo eſſe in locis non continuis, ut in trunco, & in capite diviſis, quia non exiſtit extra ſuum locum adæquatum.

TANDEM via corruptionis probatur, quod exiſtat anima. Quia etiã ſi dividatur corpus, nõ eo inſtanti indiviſibili deſinit eſſe in capite, & in trunco; quia in utraque parte pen-

pendet anima non solum á continuitate. Imo in rigore ab ea non pendet; verum etiam á suis dispositionibus cõservantibus;istæ vero sunt temperies partium similariũ, & structura organicarum;huiusmodi autem dispositiones non in instanti divisionis corrumpuntur, sed in tempore licet brevissimo. Etenim non quia aliquæ deficiant statim defici forma; sed quando tantæ, & tales quod sub remanentibus non posit conservari. In instanti divisionis incipiunt corrumpi dispositiones conservantes, requirunt verò aliquod licet exiguum tempus, ut omnino corrumpantur. In hoc conservabitur adhuc forma quamvis malè, & imperfectè,& via corruptionis, nempé quia tendit in corruptionem. Divisio capitis á trunco efficit, ut non ascendat sanguis arterialis,& spiritus vitalis, tum ad spiritum animalium generationem, tum ad vivificationem caloris insiti capitis; neque descendat ad partes inferiores spiritus animalis,& illustratio ad sensum, & motum. Cæterum per brevissimum tempus modo imperfecto potest vivere caput sine spiritibus vitalibus ascendentibus & sine calore influente, spiritibus & calore in capite stabulantibus. Quemadmodum etiam corpus decapitatorũ, sine spiritibus animalibus, cum his qui in parte sunt superstites,& ante divisionem descenderant.

SED contradicta obijciunt. Etenim anima non potest esse in duobus locis realiter distinctis. Si dixeris, quod anima ut Angelus naturaliter potest esse in duobus locis inadæquatis. Insurgunt: quod & si concedant posse esse in duobus locis intra locum adæquatum; verbi gratia, si locus adæquatus sit inter A.& B.& posit esse in A. & B. simul tanquam in locis in adæquatis, non tamen extendi ab A.& B. usque ad C. quod quidem contingere potest animæ si simul existat in capite,& in trunco. Præterea anima petit organizationem unitam;ergo non existet in partibus seiunctis.

RES-

RESPONDETVR tamen ad argumentum: quod si locus animæ, aut Angeli sit inter A. & B. non potest extendi usque ad C. locus vero animę à Deo assignatus, ut adęquatus, nōn est determinata dimensio intra terminos magnitudinis, & parvitatis intrinsecos: sed dumtaxat cōstituit animę Deus, ut locum adęquatum corpus ipsum, quapropter ubi fuerint corpus, & partes corporis ibi erit anima sine respectu ad maiorem, vel minorem distēsionem. Hoc totum probatur, quia Deus infundit animā in corpus trium, verbi gratia, digitorum, & postea existit in corpore duarum ulnarum, quando totum incrementum corpus suscepit; ergo iam anima se extēdit ad quodlibet ubi corporis (impropriam voco extensionem.) Ad confirmationem dicimus, quod anima ad conservationē postulat corpus benè dispositum inter se unitum: via tamen corruptionis per tempus, quod non sit notatu dignū cōnservatur ubicunque, & quandocunque animę motus conspiciantur, ut in nostro casu.

SI interroges qualis sit ille motus. Dic illum posse esse animalem: nam boves illi, de quibus Plutarcus scribit, ut dicitur in principio controversię, qui linguam exerebant, & extendebant: cum illis esset abscissum caput proculdubio motu animali movebant linguam, quia id beneficio musculorum fiebat. Et motus progressivus de capitatorum, de quo supra quis dubitet fuisse animalem, quia prę ter id, quod fiebat etiam mediantibus musculis, & in modo erat similis motui progresivo, qui tempore sanitatis eliciebatur.

ALII vero motus, qui observantur in capite abscisso, ut illi immodici saltus fortasse plurimum habent de motu morboso, quia tam inordinati motus non experiuntur à natura fieri. Et non mirum nam, & possunt nervi cōvelli, & malus quidam vapor tempore abscisionis pungere membranas, ex quo motus illi. Nam ex prava aura

in

in Epilepsia per consensum vehementissimi motus subsequuntur. Ast ex motu morboso colligo animam esse, nam morbus est affectus viventis.

SI urgeas; ergo anima informare potest duo supposita realiter distincta; negabo consequentiam. Et non est incōveniens, quod via corruptionis exiguum tempus caput possit informare. Quemadmodum ergo anima à corpore separata in bona medicorum, aut philosophorum sententia non est suppositum, sed particulare subsistens, quia ex natura sua ordinatur in compositionem totius. Ita caput abscissum brevissimo illo tempore dici potest particulare subsistens non suppositum, quia dicit ordinem intrinsecū ad truncum corporis. Et ratio etiam est, quoniam via corruptionis, ut diximus multo minus requiritur in vivēte, quam via generationis: nam viventia via huius habēt terminum magnitudinis, quem non habēt via corruptionis.

SIT iam unicum corollarium pro maiori illustratione textus. Quamvis verum sit, quod affirment Iosephus, Procopius, Theodoretus, Petrus Comestor, quibus assentitur Pater Eusebius Nierēberg, ut diximus in principio, quod supposuit Michol statuæ velamento Iecur capræ, ut motu illo naturali simularet David. Suspicor id libenter esse scriptum; & colligo ex verbis sacræ Scripturæ, ait enim: quod misit Saul apparitores, qui raperent David, & responsum est, quod ęgrotaret; qua responsione cōtęnti abierunt; ergo huiusmodi apparitores non accesserunt ad lectum, sed eminus responsum acceperunt, quod ægrotaret. Si igitur eminus, & à longe perstiterunt, ut ex contextu patet frustraneum erat Iecur capræ, nam motus illius non est tam vehemens, quod eminus visu perciperetur. Si vero apparitores cominus rem attigerunt, & accesserunt ad lectum, quod poterat simulare motus Iecoris capræ, poterat detegere facies statuæ, vel simulacri, & pelles caprarum. Qua enim ratione poterat latere dolus, si

vi-

videnda erat facies ſtatuæ, & diſtinguendæ pelles á vero capite David. Totum hoc patet, quia nuntij, qui miſſi ſunt poſteriores, quia acceſſerunt ad lectum manifeſtarum impoſturam; ſcribit enim ſacra pagina; Cum veniſſent inventum eſt ſimulacrum ſuper lectum, & pelles caprarum ad caput eius. Atque ita aſtutia Michol fuit decipere apparitores à longè proſpicientes verbo ſuo ſimulata ægritudine, & ſpecie ſtatuæ eminus viſa, ut interim, quod alios nuntios mittebat ut miſſit, qui impoſturam detegerent fugeret David, quatenus capi non poſſet.

(* † *)



in Epilepsia per consensum vehementissimi motus subsequuntur. Ast ex motu morboso colligo animam esse, nam morbus est affectus viventis.

SI urgeas; ergo anima informare potest duo supposita realiter distincta; negabo consequentiam. Et non est incōveniens, quod via corruptionis exiguum tempus caput possit informare. Quemadmodum ergo anima à corpore separata in bona medicorum, aut philosophorum sententia non est suppositum, sed particulare subsistens, quia ex natura sua ordinatur in compositionem totius. Ita caput abscissum brevissimo illo tempore dici potest particulare subsistens non suppositum, quia dicit ordinem intrinsecū ad trūcum corporis. Et ratio etiam est, quoniam via corruptionis, ut diximus multo minus requiritur in vivēte, quam via generationis: nam viventia via huius habēt terminum magnitudinis, quem non habēt via corruptionis.

SIT iam unicum corollarium pro maiori illustratione textus. Quamvis verum sit, quod affirment Iosephus, Procopius, Theodoretus, Petrus Comestor, quibus assentitur Pater Eusebius Nierēberg, ut diximus in principio, quod supposuit Michol statuæ velamento Iecur capræ, ut motu illo naturali simularet David. Suspicor id libenter esse scriptum; & colligo ex verbis sacræ Scripturæ, ait enim: quod misit Saul apparitores, qui raperent David, & responsum est, quod ęgrotaret; qua responsione cōtęnti abierunt; ergo huiusmodi apparitores non accesserunt ad lectum, sed eminus responsum acceperunt, quod ægrotaret. Si igitur eminus, & à longe perstiterunt, ut ex contextu patet frustraneum erat Iecur capræ, nam motus illius non est tam vehemens, quod eminus visu perciperetur. Si vero apparitores cominus rem attigerunt, & accesserunt ad lectum, quod poterat simulare motus Iecoris capræ, poterat detegere facies statuæ, vel simulacri, & pelles caprarum. Qua enim ratione poterat latere dolus, si

vi-

videnda erat facies ſtatuæ, & diſtinguendæ pelles á vero capite David. Totum hoc patet, quia nuntij, qui miſſi ſunt poſteriores, quia acceſſerunt ad lectum manifeſtarum imposturam; ſcribit enim ſacra pagina; Cum veniſſent inventum eſt ſimulacrum ſuper lectum, & pelles caprarum ad caput eius. Atque ita aſtutia Michol fuit decipere apparitores à longè proſpicientes verbo ſuo ſimulata ægritudine, & ſpecie ſtatuæ eminus viſa, ut interim, quod alios nuntios mittebat ut miſſit, qui impoſturam detegerent fugeret David, quatenus capi non poſſet.

(*†*)



CAPVT XVIII.

ET immutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ eius in barbam. 1. Reg. 21.



FVGIENS David à facie Saul venit ad Achis Regẽ Geth: dixeruntque servi Achis ad eum cum vidissent David: nunquid nõ iste est David Rex terræ, nonne huic cantabant per choros, dicẽtes. Percussit Saul mille, & David decẽ millia? Possuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis Regis Geth. Quo tẽpore David noscens se cognitũ fuisse fuco, & industria usus alium se simulavit. Nã ut ait textus, immutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorũ, & impingebat in ostia portæ defluebantque salivæ eius in barbam.

OMNES interpretes super hunc locũ asserunt, quod fucus fuit egisse personam capti mente, & stulti. Achis reputavit eum delirum maniacum, dicit enim textus. Et ait Achis ad servos suos. Vidistis hominem in sanum, quare adduxistis eum ad me? an desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsente?

VERVM enimvero, si medicina consulatur representavit David Epilepticũ, ut ostendã in cõmentario. Epilepsia Græcis dicitur, quod subito mentẽ sensusque omnes quasi prehendat. Morbus sacer, quod crederetur divinitus immiti, & à demone aliquo, qui hominẽ tam repente, ac subito corriperet provenire, quem ideo incãtationibus curare connati sunt, ut ex libro de sacro morbo videre est: seu quod nobilissimam, & sanctissimam corporis partem ce-

cerebrum occuparet,& perturbaret,ut Platoni in Timeo placet: seu quod magnus morbus sit; nam Græcè, quod magnum est sacrum appellatur. Areteus libro de causis, & signis morborum diuturnorum, seu quod sit morbus detestabilis,& abominandus sicut apud poëtam. Auri sacra fames dicitur. Avicennæ mater puerorum dicitur. Herculeus morbus; non tam, ut sentire videtur Aristoteles 30. problem. 1. Quod Hercules eo laboravit, quam ut Galenus 6. Epid. in fine statuit ob sævitiam,& magnitudinē. Commitialis, quod in commitijs,& hominum frequentia facile detegatur, & quod si hoc malo correptus, quis fuisset commitia peragi fas non esset. Sonticus, quod valdè noceat. Lunaticus, vel quod in novilunio nati solent hoc morbo corripi; vel quod secundum Lunæ conversionem hic morbus invadit. Qui inspuitatur Plauto in captiu. Act. 3. sc. 4. Contagiosum enim antiquitas credidit. Hinc Plinius libro 28. cap. 4. despuimus commitiales morbos, hoc est contagia regerimus. Nam expuere inter amuleta habitum est priscis, & ne familiam inficerent rus ablegabant Epilepticos. Maior morbus, Celso libro 3. capite 28.

HIC non disputabimus omnia, quæ disputari possunt de Epilepsia, hoc enim esset agere Medicum practicum, & non Medicum interpretem, aut Philosophiæ, aut Medicinæ, quæ reperitur in sacra pagina. Sed solum ea, quæ necessaria sunt in gratiam explicationis actionum David quibus representavat Epilepticum.

COLLABEBATVR David inter manus eorū,& impingebat in ostia portæ. Vnum est hoc ex signis Epilepsiæ. Nā hic morbus etiā nominatur Caducus a lapsu,& casu subito ægri. Observavit nō cadentē Marcellus Donatus lib. 2. hist. med. mirab. cap. Stantem Epilepticum Antonius Benivenius de abditis morbor. causis cap. 97. Qualem Senertus vidit sedentē in cap. proprio praxis; Dodoneus in Scholio

ad caput Benivenij allegatum.cursitantem Erastus in Anatom.librorum Comitis Montani parte 2. p. 195.

HIS tamen non obstantibus regulariter loquendo Epileptici cum primum paroxismo corripiuntur solent cadere. Et doctissimus Vallesius in sacra philosophia cap. 28. eum ægrotantem cuius mentio fit 9.c. D. Marci probat fuisse Epilepticum, ita enim dicitur: & attulerunt eum, & cum vidisset eum statim spiritus conturbavit illum, & elisus in terram volutabatur spumans. Constat vero elidi in terram, ac volutari, & fieri spumã circa os certissimas notas esse Epilepsiæ.

SED interrogabis, quæ sit causa casus in Epilepsia. Qui Galenũ sequuntur, & plurimi sunt docent Epilesiã fieri ab humore crasso, qui ventriculos cerebri obstruat non integrè quidẽ, ut in apoplexia, sed ex parte. Atq; ita respondẽt concidere ægrotantes, quia ab obstructione impeditur generatio spiritus animalis, qui necessarius est ad motum. Sed dices obstructio illa ventriculorũ cerebri non est completa, & integra, quo circa nõ omnino impeditur generatio spirituum animalium. Sed optimè respondebũt, quod quamvis aliqua fiat generatio non ea, quæ sufficiat ad totum corpus sustentandum. Atque ita deficient, qui necessarij sunt ad motum crurum, & pedum, & solum ministrabuntur, qui ad motum brachiorum, & capitis sunt necessarij

SED contra dictã responsionem facilis est instantia contraria. Nam in Epilepsia per consensum ab aura ascendẽte ab aliqua parte, etiam concidunt ægrotantes, sed ibi nulla est obstructio; ergo etiam nulla responsio Maior constat experientia. Minor etiam negari non potest, quoniam aura nullatenus obstruit, sed quamprimum ascendit ad cerebrum fit paroxismus, & concussio ad expellendum. Neque hoc negabũnt dicti respondentes.

ALII dicunt in Epilepsiã, quæ fit ab aura ob concussio-

nem

nem nimiam inordinate descendere. Sed contra, quia datur motus convulsivus vehemens in brachijs in partibus infra caput, qui necessariò consumit spiritus; ergo iam descendunt. In vertigine ut alibi dicetur habet verum, quod non descendant propter motum inordinatum, & ideo etiam in hoc affectu concidunt ægrotantes. In vertigine vero nullus apparet motus in brachijs, & in partibus infra caput existentibus.

ITAQVE respondendum iudico naturā in motibus validissimis, quales sunt Epileptici plures spiritus cōsumere, & ita præfatigatione animal concedere. Quod consumantur plurimi spiritus constat manifesté, nam propter inopiam illorum somnus citatur in animalibus. Accedit, quod natura oppressa non curat de partibus remotis, ut sunt pedes, & crura. Nam cum materia morbifica sit in cerebro ibi intenta est natura, atque ibi conatus maximos edit, ut apparet in motibus oculorum, & capitis, & adiutorij lege, etiam motus brachiorum suffragantur, deficit autem facultas ad crura. Sed dices spiritus animales dissipantur præcipuè in motibus animalibus, at vero huiusmodi motus convulsivus, qui reperitur in Epilepsia à facultate fit naturali.

HÆC est specialis controversia inter recentiores. Thomas Erastus, & alij pluribus defendere conātur motū hūc à facultate animali provenire. Inter cætera autem utuntur hoc argumento. Omnis motus quem appetitus tū rationalis, tum irrationalis musculis imperat, sivè benè, sivè malè id faciat, animalis est sive arbitrarius. Is autem motus, qui per contractionē musculorum ad sua capita fit mandatur ab anima, seu appetitu musculis. Omnis igitur motus talis dicitur, & est volūtarius, seu animalis. Minorē ita probant, quod nulla animati corporis actio, quę ab eo quatenus animatū est editur sive laudabilis ea sit, sive vituperabilis ab ulla eiusmodi corporis affectione, nihil ad hāc

rem concurrẽte anima produci possit. Musculorum vero illa contractio qua citra alicuius rei extraneæ operam ad sua capita contrahuntur, ac membra in quæ inserta sunt movent operatio est animati corporis, qua animatum. Et proinde eiusmodi musculorum motus à re nulla alia fieri potest, anima non coagente. Cum vero naturalis non sit utpote, qui per musculos voluntarij motus instrumẽta exercetur esse animalem, & arbitrarium statuunt. Alij hoc negant idque hac ratione si facultas animalis motum imperat partibus imperium hoc ex appetitu oriri necesse est; appetitus autem oritur ex cognitione; cognitio à sensu, sed sensus in Epilepsia non vigent, & illud quod corpori molestum, neque percipere, neque facultatibus superioribus communicare possunt. Deinde, & si in alijs convulsionibus, & spasmo sensus sunt integri, tamen motus omnis, qui fit à facultate animali est voluntarius, seu spontaneus: At convulsivum motum præter voluntatem & contra eam fieri nemo ignorat, ac propterea facultati animali ascribi non potest.

PROBABILIVS tamen alij has opiniones, quæ quia extremæ discrepare videntur, & neutra per se veritati planè est consentanea, conantur coniungere, & veram sententiam statuere, cum utraque vis, & expultrix naturalis, & motrix animalis facultas in Epilepsia concurrant. Etenim motus convulsivi simpliciter animales non sunt cum cõtra voluntatem fiant. Neque etiam simpliciter naturales cum fiant beneficio musculi animalis facultatis instrumẽti: neque credibile sit facultatem naturalem expultricem posse tam vehementes, ac validos motus solam edere.

ATQVE ita statuunt. Cerebri membranæ ubi à materia mordaci, & maligna vellicantur, ac molestãtur illud, quod molestum est excutere conantur. Atque hoc modo vis expultrix cerebri primo quidem movetur. Eadẽ tamen animalem facultatem, quæ subiecto illi simul in est in consen-

sen-

sensum trahit, eamque ad expulsionem lacessit. Hinc fit ut potentia illa cerebrum vehementius dilatet, & comprimat, ac ista compressione, quod sibi molestum est executere conetur, quod in sternutatione fieri videmus. Imo simul facultatem moventem in nervoso, & musculoso genere in consensum trahit. Atque hoc modo à facultate expultrice quidem initium motus est, motus tamen vehementiam iuvat vis animalis. Aliter enim se se habet expulsio in parte, quæ motu destituitur; aliter in ea parte, quæ ad motum apta est, variantq; symptomata secundũ partes subiectas. Id quod, & in sternutatione, quæ magnã cum Epilepsia convenientiam habet videre est, ut, & in singultu. Quanquam enim princeps, & prima causa sternutationis sit vis expultrix cerebri: irritatur tamen eadẽ & in consensum trahit vim motricem capitis, & thoracis, cerebrumque irritatum in expulsione ista à motrice functione corporis adiuvatur, musculique capitis & pectoris contrahuntur, ut fęlicius, ac potentius, id quod molestum est à cerebro expelli possit.

ITAQVE hæc opinio conformior est rationi, & solum deficit illi, solvere quodadmodo rationem Comitis Montani, & sequaciũ, & explicare, qua ratione sit actio animalis, quæ cooperatur in motu epileptico cum cohiberi nõ possit, aut temperari proprium enim est actionis animalis, quia dependet à voluntate, seu appetitu, ut imperetur efficienda, & suspendatur cohibenda, quod quidem non observatur in motu epileptico potius necessario quam arbitrario.

RESPONDEMVS autem, quod quamvis sit actio animalis, quatenus exercetur medijs musculis, verumtamen cohiberi non potest, ob duplicem causam. Prima est, quia nõ datur imperium. Secunda, quia ratione sympathiæ, & cõsensus actio animalis quodadmodo sit naturalis, & quod debeat dari imperium potentiæ elicientis actionem, sive

sit voluntas, sive appetitus manifestum est; quod vero actio animalis fiat naturalis amplius explicatur. Omnes potentiæ in nostro corpore sibi ad invicem auxiliantur, quia ut ait Hyppocrates confluxus unus, conspiratio una consentientia omnia. Et cum potentia animalis in Epilepsia auxilietur naturali quodadmodo naturalis fit, & eius leges subit, nam conditio auxiliandi optima est, ut auxiliator totus convertatur in eum, cui fertur auxilium. In altiori cogitatione subservit, & auxiliatur facultas naturalis animali, quo circa quia tota convertitur in hanc malè conficit suum alimentum, & tota rapitur in cerebrum. In Epilepsia, quia subservit potentia animalis naturali, amittit leges animalis, quarum una est, ut possit exerceri, & suspendi, & contrahit leges naturalis. Hoc etiam apparet in tremore; nam quamvis actio tremula sit animalis deprimens, & elevans membrum, quia subservit expultrici, quando aliquod malignum, & ichorosum impactum est nervis non omnino cohiberi potest, nisi initatur membrum firmiter alicui rei.

SECVNDA causa cur cohiberi non possit actio Epileptica, etiam si sit animalis, est defectus imperij elicientis actionem. Hoc pertinet ad voluntatem, seu appetitum; is autem oritur ex cognitione, quia nihil volitum quin præcognitum: ergo debet præcedere sensus, qui in Epilepsia oppressus est, & non viget. Neque dicas eatenus non erit actio animalis. Nam in dormientibus dantur motus, etiam subservientes expulsionibus, & tamen cohiberi non possunt. Etiam in apoplexia omni præter fortissimam servatur respiratio, quæ est actio animalis ob usum facultatum naturalium. Itaque ob has duas caussas actio animalis, quæ auxiliatur expultrici cohiberi non potest. In sternutamento, etiam eo adiuvat expultricem compressio, & dilatatio cerebri, quæ facultas est animalis.

Ve-

Verumtamen hæc dumtaxat adest causa, alia enim non reperitur, nimirum defectus sensus, quia in sternutamento integer est. Sed quia una dumtaxat reperitur, proinde quàmvis ex toto cohiberi non potest sternutatio, maximé tamen ex parte, quia si cohibeamus spiritum, vel non fit sternutatio, vel fit debilior.

ALTERUM signum Epilepsiæ, quod representavit David est defluxus salivæ in barbam, ut ait textus, quod etiam fuit notatum á Vallesio in Ægrotante Evangelij D. Marci 9. qui volutabatur spumans. Hieronymus Rubeus Ravennas incelsum lib. 3. cap. 23. sic scribit. Licet spuma maximum sit in morbo commitiali signum, in quibusdã tamen spuma non adest: ut visum est in quodã, qui neque tristabatur, neque adolebat, sed lætabatur in adventu accessionis, & existimatum est fieri, vel ex virtutis robore, vel ex paucitate materiæ, & benignitate: Vide omnino Vincentium Alsarium á cruce, in lectionibus de Epilepsia.

SED tamen iuxta omnium Medicorum sentẽtiã spuma signum est diaguosticũ Epilepsiæ, quemadmodũ prognosticum Apoplexiæ; sic enim scribit Hyppoc. 2. aphor. 43. strangulati, & suffocati nondum tamen mortui ad se non redeunt, quorũ circa os collecta spuma apparet. Et quidẽ spuma, quæ apparet, non est eaque expuitur, hoc enim arguit iam validam facultatem expultricem, quæ in paroxismo Epileptico adhuc laborat, & versatur in pugna, sed quæ collecta, vel ad hærescit ori, vel diffluit, ut cõtigit David, ait enim textus; defluebantque salivæ in barbam. Spuma vero fit à materia pituitosa includente in se spiritum flatuosum. Causam vero efficientem habet agitationem, & motum validum, atque ita arguit maximum cerebri laborem & iactationem.

SED quia utraque facultas naturalis, & animalis colliguntur ad expellendam causam morbificam; non erat

ab

ab re inquire quæ sit ista causa morbifica, utrum ostruat ventriculos, ut Galenus, & qui eum sequuntur asserunt, vel sit solum materia tenuis, & acris irritationem efficiens in membranis. Hæc controversia erat de causis proximis epilepsiæ, & longiorem postulabat discursum, eam tamen restringemus, ut ea, quæ dicta sunt exactius intelligātur.

DOCTRINA Galeni hac in parte minus est vera, non enim est credibile pauxillum illud quod instar auræ testimonio Galeni ascendit ad cerebrum crassum esse, & obstruendo Epilepsiam excitare, sed potius membranas cerebri vellicando id præstare. Si etiam obstructio adesset, motus potius tolli, aut imminui, non vero convulsio excitari deberet. Præterea si ab humore crasso, cerebrum ex parte obstruente fieret epilepsia Apoplexiam antecederet, & sequeretur. Neque enim credibile est, tam repente, & tam inexplicabili temporis momento integram cerebri obstructionem fieri, ut nullo modo ob inchoatam, & semiplenam obstructionē præcederent Epileptica symptomata. Cum sæpe dolores capitis, & vertigines apoplexiam præcedant. Multo minus in momento illa obstructio integra solvi potest. Est ergo causā materia tenuis, & acris irritans membranas. Sed de specifica natura humoris vel vaporis rursus interrogando Senertus, & alij non admittunt simplicem acrimoniam, & malignitatem, nam dantur multi morbi, qui talem acrimoniam mittunt ad caput, ut lues venerea, & tamē Epilepsiam non generant. Ideo in eorū sententia nō sufficit, ut sit vapor acris, & mordax, sed requiritur in eo specifica proprietas ratione cuius sit intestus, hæc autem est inexplicabilis. Paracelsus hunc morbum mercurialem esse docet, sed non probat. Alij è Petri Severini idea radicem huius mali statuunt vitriolum mercuriale. Et Quercetanus, nihil epilepsiā producere, nisi sit naturæ vitriolatæ. Alij ad salem referunt cū materia quæcunque, ut sit causa debeat habere vim mordendi.

SED

SED certè non oportet plùs aliquid requirere in vapore, vel humore faciente Epilepsiam quam simplicem acrimoniam dummodo in membranis sit sensus exquisitus nimis. Is ergo necessarius est ex parte loci affecti:& mordacitas ex parte vaporis, aut humoris irritantis, ut fiat Epilepsia. Sunt morbi qui fiunt ex nimio sensu, ut tinnitus aurium, & quædam species suffusionis ex puritate crystallini, & membranarum.

VT irritetur membrana ad motum convulsivum sufficit punctio rei acris: ut multa suadent. In fine actus mingendi veluti rigemus motu concussivo ex punctione vesicæ à bile. Sunt plurimi adeò exquisiti sensus, ut si contrectentur tam ingentem sentiunt titillationē, ut vario motu torqueantur. Ex vaporibus acribus antecedentibus expulsionem variolarum, & morbillorum in somno fiunt motus convulsivi, & tumores. Similes observantur etiam ex vermibus. Ergo mirum non est, quod minera Epilepsiæ simplici acrimonia modo ea fuerit intensa possit causare irritationem. Si etiam membrana acriter nimis sentiat sciunt nutrices, & ego observavi, quod tenerrimi infantes si spumā colligāt in ore sine Epilepsia præbeant inditium de pediculo existente in bregmate. Si ergo pediculus levi punctionē facta in exteriori solum membrana potest torquere, quousque fiat spuma, quia etiam in infante acris est sensus. Quanto plus irritabit punctio in interiori membrana, ut fiat etiam spuma epileptica.

ACRIS autem sensus non solum est in membrana à prima constitutione, sed etiam à sero, vel ichore ipsi imbibito, vel coacervato ex pluribus paroxismis, aquibus quasi corroditur membrana.

SIT primum corollarium. In eo excelluit sanctitas David, quod auditis laudibus proprijs proruperit in demonstrationem insaniæ. Dicit enim textus, quod cum vidissent David dixerunt servi Achis. Num quid non iste est David

Rex

Rex terræ, cui contabant percussit Saul mille, & David decem millia possuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valdè. Nam in corde ubi aderant sermones laudis ibi aderat timor.


SECUNDUM corollarium. Dices quare reputaverit eum Rex insanum cũ fingeretur Epilepticus. Dic in Epilepsia leduntur actiones omnes animales principes. Tum etiam Epileptici inveterati ex multis paroxismis, & motibus cerebri contrahunt mentis turbationem.



CA-

CAPVT XIX.

TVLIT ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu cucurrerunt decem Iuvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. 2. Regum 18.



TIAM Si, ut inquit D. Theodoretus, & alij infixum fuerit in quercu corpus Absalon, & mox lãceæ Ioab in corde illius, ex quibus par erat, ut moreretur, cucurrerunt armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum, quia adhuc observarunt vivum: signum autem, ut ex textu colligitur, fuit quod adhuc palpitaret.

DVBITATVR ergo merito utrum palpitatio foret signum corporis vivi, & illa palpitatio cordis foret competens cordi, & alijs partibus univoce, quæ omnia legitimè explicari debent in reverentiam sacræ paginæ.

PALPITATIO iuxta Aristotelem lib. de inspiratione, in fine, est impulsus caloris in corde vigentis é refrigeratione, vel excrementitia, vel colliquatrice qualis est, quæ cum alijs in morbis arripere solet, tum maximè in sullubtione, & in metu. Galenus lib. de tremore rigore, cap. 4. clarius expressit illius naturam, his verbis. Est motus in consulto, & non sponte factus, elatis palpitantium, atque delatis partibus. Palpitatio generaliter accepta reperitur in quacunque corporis parte, quæ distendi, & dilatari iterũque concidere potest, cuiusmodi sunt partes molles, ut cutis, & subiecti huic musculi, quarum hi non obscuras cavitates habent; inter cutẽ autem, & musculos etiam spatia,

quæ

quædam intericcta sunt, in quibus materia palpitationẽ efficiens colligi, & contineri potest.

CAUSA palpitationis generaliter acceptæ est halitus crassus, qui in parte collectus cũ non reperiat exitum partem attollit, quæ sua gravitate iterũ concidit. Atq; ita ad hunc motum, seu palpitationem generaliter dictam natura præter expulsionem materiæ, nihil confert, neque palpitatio, hæc voluntarię virtutis, & organorum huius actio est, aut motus ex voluntario, & naturali mixtus, qualis in tremore, sed simpliciter fit à causa sola morbifica partem dilatante, & attollente. De quo videatur Galenus in libro de tremore palpitatione.

PRÆTEREA tribuitur etiam appellatio motui cordis preternaturã, qui palmos Grecé, & palpitatio cordis nominatur. Palmos, & palpitatio cordis à nõnullis etiã tremor cordis, & saltus cordis appellatur. Distinguit Mercatus, & cum eo nonnulli, inter tremorem cordis, & palpitationẽ cordis, quod palpitatio à solo morbo fiat; tremor vero à morbo, & facultate. Deinde, quod palpitatio in ipsis partibus proveniat, quæ dilatari possunt; tremor vero in his tantum, quæ voluntarie moveri possunt.

ALII volũt, quod palpitationis, ut & tremoris vocabulũ univoce cordi, & alijs partibus competere non posit. Nam sunt plurimi in ea sentẽtia cordi quoque tale quid accidere posse, quali incute, & musculis fit à spiritu, & flatu frigido, & crasso á quo impletum iterumq; evacuatum cor præmatur instar utrium in quibus tale aliquid à liquore violenter infuso, vel spiritu inflato, & rursum cõpresso contingit. Verum magna palpitationis in partibus externis, & palpitationis cordis est diversitas.

CUTIS enim (dicunt isti) & partes internæ nullo modo sponte se dilatãt; sed solũ à causis morbificis in altum elevantur, & attolluntur. Cor vero cũ facultatem insitã, qua dilatetur, & contrahatur habeat palpitatio eius fine motu

tu cordis fieri nõ poteſt. Neq; enim credibile eſt cor cuius motus proprius ad vitã sũme neceſſarius eſt, & quo ceſſante vires omnes collabuntur, inſtar utris, vel veſicæ à flatibus diſtendi poſſe. Hoc enim ſi fieret cordis naturalẽ motũ ceſſare neceſſe eſſet. Et fruſtra á nõnullis hic multa loca à Galeno cõgeruntur, quibus probare conãtur palpitationẽ cordis fieri non á natura, ſed à morbo aut potius cauſa morbifica. Galenus enim in his locis omnibus tantum de palpitatione in cute, & partibus externis nõ vero de palpitatione cordis, quæ alterius naturæ eſt loquitur. Et ipſe Galen. 2. de ſympt. cauſ. 2. palpitationem cordis, & arteriarum ab aliarum partium palpitatione diſcernit.

ATQVE hinc etiã accidit, ut auctores alij aliter de cordis palpitatione, vel tremore ſentiant; nõnulli etiam planè falſa dogmata habeãt. Alij enim in ſpecie eum ſaltem cordis motum, qui fit à cauſa cor moleſtante, ſeu ab expultrice cordis ſtimulata ad expellendum id, quod cordi moleſtum eſt palpitationẽ cordis appellant. Imo nonnulli ſpecialiſſimè ad eum ſaltem motum depravatũ reſtringunt, qui fit à materia craſſa, vel flatuoſa cor gravante, & quidem nonnulli, ut dictum eodẽ planè modo, ut in cute in corde à flatu palpitationẽ fieri docẽt. Alij vero omnes motus cordis depravatos nomine palpitationis cordis cõprehendunt ſive ſint parvi, & tremuli ſive magni, & cum ſaltu quodam. Hinc nonnulli palpitationem cordis aliã faciũt legitimam, & veram; aliam notham; & legitimam eam ſaltem nominant, quæ fit á vapore craſſo; ab alijs autem cauſis ortam notham appellant.

INTER omnes tamẽ Neoterici, qui palpitationis, ut & tremoris vocabulũ univocè cordi, & alijs partibus cõpetere nõ poſſe exiſtimant rectius ſentiunt; quia magna palpitationis in partibus externis, & palpitationis cordis eſt diverſitas. Solũ eſt, quod addas huic opinioni differẽtiã nõ conſiſtere in eo, quod cor, vel pars aliqua cordis, ut dicunt

non.

non posſit inſtar veſicæ, vel utris á flatibus diſtendi. Hoc enim non eſt impoſsibile, quia ad palpitationem non requiritur, niſi flatus incluſus in aliqua parte exitum quærens: at vero non repugnat, quod in aliqua parte cordis includatur flatus, & exitum quærat. Nam adhuc terra palpitat in terræ motu, quid enim aliud eſt terræ motus, niſi palpitatio? Cum ſit flatus incluſus intra viſcera terræ, qui exitum quærens, terram attollit, quæ poſtea ſua gravitate concidit.

DIFFERENTIA ergo conſiſtit in hoc; quod etiam ſi adſit flatus incluſus, & exitum quærat motus ille confunditur cum motu cordis, qui ſtatim immutatur vehementer ab irritatione quacunque ob delicatiſsimam naturam. Hyppocrates nanque lib. de morbis, ita ſcribit: Cor ita ſolidum, & denſum eſt, ut ab humore nõ ęgrotet propterea nullus morbus in corde oboritur. Ariſtoteles 3. de partibus animalium, cor nullum gravem affectum pati inſtar aliorum viſcerum ſcribit, quia eſt vitæ principiũ. Aphrodiſeus in corde nullum morbum conſiſtere putat, quoniã ante mors rapit quam morbus pateat. Galenus 1. de locis affectis cap. 5. impoſsibile eſſe, ait, ut cor abſceſſum patiatur. Paulus Egineta, cordis affectus immaturam, & pręcipitem mortem præcipitare vult. Solum hoc viſcus, inquit Plinius vitijs non maceratur, nec vitæ ſupplicia trahit graviora lęſumque mortem affert præſentaneam. Tãta huius viſceris dignitas eſt, tanta neceſsitas, ut interire non poſsit animal, quin cor ab agendi munere ceſſet. Et quamvis hæc impugnari poſsint, certum eſt cor omnes affectus pati quidem, ſed non diu, nec longo tempore, & omnibus morborum generibus infeſtari, ſed non gravioribus.

Ex quibus colligitur, quod cor adeo delicatiſsimum, & irritabile eſt, ut etiam à flatulenta ſubſtantia ſi in eo includatur acriter irritetur ad expulſionem. Et cum prædi-

tum

tum sit facultate in signi motiva, quamprimum flatus cor molestat, turbatur & depravatur eius motus; & proinde non percipitur illæ, qui dicitur fieri á solo morbo, quique in alijs partibus pendet à solo flatu distendente, & á gravitate membri deprimente, sed confunditur cum motu vitali cordis, & permiscetur: Itaque neque solus flatus distendit cor, nisi simul cum facultate motiva dilatante, neque sola gravitas deprimit, nisi simul cum facultate compressiva. Quod autem flatus etiam distendere possit, & reperiatur in corde, irritetque maximopere viscus ostendit præcipuè agitatio, quæ persentitur in regione cordis vehemens non solum admota manu, sed etiam quandoque visu ab adstantibus: quæ maior est quam, quæ impulsu aliarum arteriarum percipitur, ubi flatus non reperiuntur.

QVOD vero, vel flatus, vel distensio illius comnisceatur cum distensione vitali, confirmat id, quod doctissimè advertit Lazarus de Soto in animadversionibus Medicis, ad finem commentarij in Hyppocratē de locis in homine. Notat ergo, quod senes habent pulsus magnos, non re vera, sed apparentes, cum enim, neque habeant facultatem robustam, neque usum ad auctum magnitudo, non est vera, apparet tamen, quia senes ratione frigiditatis ætativæ coacervant flatus plurimos etiam in arterijs, qui iuvant extensionem factam à facultate, & ex utraque extensione flatus, & facultatis resultat illa magnitudo. Nota ergo, qua ratione etiam in corde dilatatio facta à flatu confunditur, & commiscetur cum dilatatione vitali, atque ita illa obscuratur, qua ratione palpitatio, quæ in corde accidit diversissima est ab ea, quæ in alijs partibus.

SECVNDA dubitatio manet explicata: prima in principio proposita restat explicanda. Palpitatio ergo generaliter accepta, & ea, quæ à solo flatu fit in alijs partibus à

corde, ut sic non foret signum corporis vivi, quia hæc ubi cunque fuerit flatus inclusus, & exitum quærens excitari potest; & iã diximus, quod terræ motus vera est palpitatio cadaver aliquando secundum aliquam partem palpitat, ut ostendit experientia P. Nieremberg in sua curiosa, & occulta Philosophia, 2. p. cáp. 56. ex Procopio, Theodoreto, Petro Comestore refert, quod Iecur capræ evulsum à corpore palpitat, & movetur, quo secreto usa fuit Michol ad liberandum David á persecutione, ut expilcuimus super cap. 19. 1. Regum.

SIT primum corollarium. Palpitatio de qua in nostro textu, quæ contigit Absalon non fuit illa, quæ fit à solo flatu, & in reliquis partibus à corde, sed cordis palpitatio. Illa enim, ut diximus non erat signum viventis Absalon. Constat autem, quod per sequentibus fuit signum vitæ demonstrativum; dicit enim textus: Cumque adhuc palpitaret hærens in quercu cucurrerunt decem viri armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum, quasi diceret, quia viderunt eum adhuc vivere, cucurrerunt ad interficiendum. Nec poterat alia patere militibus, nisi quæ accidit cordi, quæ manifesta est ratione motus vitalis.


SECVNDVM corollarium. Illa palpitatio suspicor, quod fuerit producta à vulneribus inflictis, quorum aliquod saltem fuit inflictũ in corde. Deduco primo ex eo, quod dicit textus; quod tulit tres lanceas Ioab in manu sua, & infixit eas in corde Absalon: Igitur fuit vulneratum cor eius. Secundo, quia magna illa palpitatio, quæ conspicua fuit militibus potest ex vulnere procedere, cuius generis fuit illa palpitatio quam ex vulnere ortam describit Forestus lib. 17. observation. 1. Quæ tam vehemens, ac violenta fuit, ut etiam extra domum, in qua æger decumbebat á transeunte si fenestræ aures admoveret exaudiretur, & illa quem Fernelius thoracis viccinas costas efregisse, vel de sua sede depulisse scribit. Christopha Vega artis Medi-

ci-

cinalis lib. 3. capite 8. scribit: quod motus in corde nonūquam, tam validus, & vehemens deprehensus fuit in palpitatione, ut ab adstantibus audiretur. Huius generis fuerit palpitatio Absalon.

TERTIVM corollarium. Dubitatur circa textum. Vtrū tres illæ lanceæ, quas tulit Ioab, & infixit, fecerint tria vulnera in corde; nam videtur, quod una quæque lancea fecerit vulnus infixæ in corde Absalon, ut ait textus. Sed si tria vulnera inflicta fuerunt in corde videtur, quod nō posset tam diu vivere Absalon, quod perciperetur palpitatio subsecuta ad vulnera à militibus, & currerent ad interficiendum eum, præsertim cum iam haberet antecedēter aliud vulnus à quercu, in quo infixum fuit, ut sentiūt Sancti Patres. Etenim tres lanceæ infixæ in corde omnino cor dilacerarent, atque ita subito absque mora illa, moreretur. Scribit Galenus 5. de locis affectis cap. secundo. Igitur si ad aliquem vētriculorum, qui in corde sunt vulnus penetraverit cōfestim cum copiosa sanguinis excreatione moriuntur, præsertim ubi sinister ventriculus fuerit vulneratus. Sed vulnera illa facta á lanceis Ioab non pervenerunt ad ventriculum aliquem cordis, sed substiterunt in carne, ex quibus potuit non mori subito. Addit Galenus dicto loco. Si vero vulnus ad ventriculum, usque non pertingat, sed in cordis corpore consistat aliqui non solum ea die qua vulnerati sunt, sed sequente etiam nocte vixerunt, mors tamen phlegmonis ratione secuta est.

(?)



CAPVT XX.

FACTVM est autem post hæc ægrotavit Filius mulieris matris familias, & erat langor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Reg. 3. lib. 17.



VER Hic filius mulieris matris familias procul dubio iuxta totum, quod colligi potest ex textu obijt ex apoplexia, cuius una differentia dicitur à Galeno, & ab omnibus Medicis fortissima, quo eodē nomine utitur textus. Colligitur etiam ex brevitate morbi: nam hic ægrotans brevi tēpore mortuus fuit; statim enim, ac dicit, quod ægrotavit addit, quod erat languor fortissimus, ita, ut non remaneret in eo halitus, hoc est spiritus, seu respiratio, quod idē est, ac dicere, ut explicant interpretes fuisse mortuum, quem etiam deploravit mater, & pro quo deprecata fuit Eliam, & quem etiam suscitavit Elias. Apoplexia autem Græcis dicitur, quod homo, ceu fulmine ictus, aut victima ad aram cæsa subito concidat.

SED non levis est difficultas, utrum detur apoplexia, in qua prorsus abolita sit respiratio. Horatius Augenius cōtra Alexandrum Massariam, 3. tomo Epistola 40. probare contendit apoplexiam, sine omni pulsu, sineque omni respiratione interdum contingere.

MASSARIA turpiter hallucinatuū fuisse Augeniū probat hisce verbis. Quæso enim, quis non apud Galenū, centies legit in apoplexia totum corpus privari sensu, & motu solam respirationem superesse? Illum vero imo

mi-

mirari, & quærere, qui fiat, ut cæteris omnibus musculis motu carentibus, tantummodo illi, qui thoracem attollũt nihilominus moveantur? Imò vero illum apoplexiæ magnitudinem, & parvitatem ex una in primis maiore, vel minore læsione respirationis definire consuevisse? Imò vero illum asseverare apoplexia laborantes si nequeant respirare protinus diem obire; quandoquidem certum est, neque vitam sine respiratione, neque respirationem sine vita posse consistere.

HORATIVS vero Augenius censet acutissimam, & maximam apoplexiam respiratione omni, ac pulsu carere ex Galeno, & Hyppocrate ex Avicenna, ex experientia, Galenus libro 2 aphorismorum, commentario 42. quatuor facit differentias apoplexiæ, in quarum prima, quæ maxima erat, & acutissima hominem privari respiratione scribit. In alijs tribus addesse respirationem, nimirum in fortissima eum magna violentia procedere, in minus forti respirationem, non ita esse contentam, neq; violentam, inæqualem tamen inordinatamque, & intermittentem. At in debili ordinem aliquem servare ipsam respirationem. Verba Galeni de privatione respirationis, sic habent: Qui apoplexia (qua de hic agit Hyppocrates) percelluntur, hi totius corporis sensu, & motu privantur sola respiratione excepta. Nam si, & ipsa prohibeatur, eiusmodi maxima esse solet, & acutissima apoplexia. Parum vero postea differentias prosequitur apoplexiæ in qua servatur respiratio. Id circo inquit. Quibus vero respiratio servatur quidem, &c. Idem ex Avicena ostendit, qui sic ait, libro 3. suæ Medicinæ, fen. prima, tractatu 5. cap. 12. Aliquando tamen accidit, ut homo apoplexiam incurrat, & non sit differentia inter ipsum, & mortuum, & non appareat in ipso aliquid anhelitus deinde revivіscit, & sanatur, & nos plerimos eorum vidimus quorum dispositio hęc erat, & illis quidē an-

helitus non apparet, quod etiam repetit Fen. X. & lib. 4. ac denique in tractatione de viribus cordis.

POSTREMO idem experientia docet adeo aperte adeo præclare, ut omnino apertius, & præclarius, nihil inveniri posse censeat. Quam plures sepultura donati sunt cum mortui putarentur; qui postea revixerunt. In Vrbe Romana vidit Augenius Anconitanum Patritium, sepultum in Ecclesia D. Mariæ Populi, quem non veré mortuum noverunt omnes octavo die postquam sepultus est; nam apertò sepulcro, ut alium ibi reponerent inventus est miser sedere, & manus liberas ad suos habere crines. Tales ante triduum, sive ante horas 72. elapsas sepulturæ dandi non sunt cum respiratio sensum nostrum latere possit, & dubium sit, utrum apoplexia extincti sint an vero Ecstasi melancolica, vel præfocatione uteri laborent. Ita de Ioanne Scoto celebri illo scholastico narrant, quod bis sit mortuus, & semel sepultus. Cũ enim incidisset in Ecstasim melancolicam, & exanimi similis iaceret fratres illum, pro mortuo sepeliverunt, in sepulchro concamerato. Tertia nocte ad se rediisse dicitur. Cumque exclamasset in sepulchro capite ad fornicem illisso: idque pro spectri tumultu aliquandiu habitum esset postea aperto sepulchro mortuus tandẽ inventus est. Hoc confirmat, quod scribit Avicena, his verbis, & propter hoc volunt, ut tardetur sepultura ambigui ex mortuis donec perpendatur eius dispositio, & neque sit minus septuaginta duabus horis. Quod etiam præcipit Haliabas 5. practicæ cap. 22. & Rasis 1. continentis tracta. 1.

SI dicat Fortassis Massaria per respirationem abolitam intelligendam esse respirationem intermittentem, quam Hyppocrates alibi spiritum offendentem appellat. Nanque ipse docet impulsu intermittente arteriæ motionem aboleri, sicuti in spiritu offendente motum thoracis. Parum consona dicit Galeno. Nam ille omnimodam priva-

va-

vationem anhelitus, in maxima, & acutissima apoplexia inesse dicit, quia in his in quibus servatur respiratio, ex differentijs læsę respirationis differētias venatur apoplexię. Secūdo, quia in eo commentario 42. Galenus ostendit intermittentem respirationem esse differentiam læsæ respirationis contingentis in apoplexia forti. Verba iam sunt citata. Deinde qui habet intermittentem respirationem hic quidem vivit, ut omnium constat iudicio: qui vivunt minimè sepeliuntur. Vel nullam esse differentiam dicunt inter acutissimam, & maximam hanc apoplexiam patientem, atque hominem mortuum: at qui mortuum iudicaret nemo spiritum offendentem respirationemque hanc difficilem habentem. Vnus tamen videtur locus Massariæ, qui continet non levem difficultatem, & ille est, in quo Hyppocrates, & Galenus in privatione pulsus, ac respirationis præcipiunt secari venam, sed tamen non urget cū imponat Hyppocrati, quod nunquam dixit, in privatione respirationis secari debere venam. Etenim locutus est de interceptione spiritus venarum. Hanc vero Galenus, ut prædictum est explanat pro asphigia idest carentia, & privatione pulsus, non autem pro carentia respirationis Horatius Augenius conatur solvere alia argumenta Massariæ. Inquit iste, quia Galenus centies scripsit servari in apoplexia respirationem. Sed ait Augenius, quod centies dicit id fuisse scriptum, quod tamen nullibi fuit scriptum nisi semel. Atque tunc limitate, ac restricte loquitur de forti dumtaxat apoplexia cuius meminit Hyppocrates, non de maxima non de acutissima. Ideo inquit in principio commentarij, hæc verba. Qui apoplexia (de qua agit Hyppocrates) percelluntur, &c. At ille agebat de forti. Postea vero Galenus tractavit de maxima. Cōsideretur alius locus. Affert sententiam Galeni ex 3. lib. de locis affectis, cap. 10. Vbi in capitis principio hæc ad verbum habet. Cū igitur omnes pariter nervi, tum sensum, tum motū amis-

ſerint apoplexia huiuſmodi affectio nuncupatur. Et parum poſtea. Diſcernitur autem (ait) affectionis magnitudo, ex noxæ quam reſpirationi infert vehementia, &c. Ac demum ſubdit: Et ſanè mori apoplecticos ob id, quod ſpirare non poſſint. Hæc ibi. Quorum facilis explicatio eſt. Nam Galenus ibi magnitudinem, & parvitatem apoplexiæ illius diſcernit ex reſpirationis difficultate in qua apoplexia reſpiratio reſervatur: aliam prætermittit in qua nulla reſpiratio cum ſit, indagari differentiæ á reſpiratione non poſſunt. Ita Galenum ſtatuere ſupra dictum ex commentario 42. lib. ſecundi aphoriſmorum. Fatetur Augenius mori apoplecticos propterea, quod non reſpirant. At duplicem eſſe reſpirationem opportet meminiſſe quãdam ſenſibilem qua thoracis muſculi moventur; alteram inſenſibilem qua per cutaneos meatus fit tranſpiratio. Illa interdum aboletur in apoplexia maxima, hæc nunquã vivente homine, quã habẽt ſolum hyſtericæ, quædã mulieres, & animalia frigidiora in latibulis degentia. Propterea multis utuntur experimentis, ut cognoſcant, an aliquis adhuc in illis ipſis ſuperſit ſpiritus. Quod vero Galenus quærat cauſam cur ſolum thoracis muſculi moveantur in apoplecticis, alij vero non ſint motu deſtituti non facit, quia poſſint etiam interdum in acutiſſima apoplexia eſſe immobiles.

Hæ sũt opiniones ex diametro opoſitæ, reſtat nobis eligere veriorẽ, aut explicare. Neque erit difficilimũ media via incedẽdo utramq; quodammodo conciliare. Et primo ſuppono duplicẽ eſſe reſpirationẽ alteram ſenſibilem, & manifeſtam, alteram inſenſibilem, & obſcuram. Manifeſta & ſenſibilis eſt illa, quæ ſenſu percipitur, aut aër, qui attrahitur, & expellitur, aut motus diaphragmatis, & muſculorum thoracis. Reſpiratio inſenſibilis, & obſcura illa erit, quæ ita ſugit ſenſum, ut illo percipi non poteſt. Et quod hæc admitti debeat patet in morti proximis, in quibus diſ-

ſi-

ficillimum est decernere utrũ adsit respiratio, vel non: & proinde multiplex est exploratio, tunc temporis obscuræ respirationis. Alij enim admovent ori, vel naribus lanam, aut gosipium carptum, aut pennam mollem. Alij candelam accensam; alij aproximant speculum tersissimum ori: alij cyathum aquæ plenum pectori imponunt: nam si lana, aut gosipium, aut pœna mollis leviter moveantur, aut candelæ leviter agitetur flamma, aut si in speculo aliqua macula contrahatur, inditium est aliquam adesse respirationem. Verumtamen, quia ut talem effectum producant opus est, ut imprimatur impulsus aëri exeunti; aliàs enim neque poterit lanam, aut gosipium movere, aut agitare flammam candelæ, aut maculare speculum: & potest impulsus adeo remissus esse, ut nihil horum possit efficere; proinde in hoc casu difficillimum est discernere utrũ servetur respiratio.

SECVNDO supponendum, quod cum etiam si Epiglotis operiat caput asperæ arteriæ, ne cibus, aut potus ingrediatur ad pulmones, aliquid per rimulas potus traducatur ad illos multo facilius poterit aër ingredi in exigua quantitate ad pulmones & cor suopte impetu ad replenda spatia innania, ut solet ubicunque insinuari, etiam si non attrahatur medio motu diaphragmatis, aut musculorum conspicuo.

TERTIO notandum, quod in respiratione quemadmodum in pulsu datur quies, quæ dirimit contrarios motus: itaq; inter unã, & alterã respirationẽ omnino non respiramus, & talis cessatio, seu quies per tempus est, exempli gratia, postquã expiravi, ante quam incipiat mea inspiratio tempus consumo in quo recitari potest Angelica salutatio; quod quidem tempus longius est, vel brevius iuxta vigentiam caloris cordis ventilandi & expurgandi, in frigidiori corde longior est intermissio respirationis quam in calidiori, ob id hystericæ, quædam mulieres sola

transf-

transſpiratione ſervantur. Semper autem eſt brevior, qui es pulſus quam reſpirationis.

HIS ſuppoſitis axioma Galenicum, iudicamus veriſſimum impoſſibile eſt viventem non reſpirare, & reſpirãtem non vivere: Atque ſecurior eſt ſententia quam tuetur contra Augenium Maſſaria.

RESPONDEAMVS rationibus Augenij, & veritas eluceſcet. Ad locum Galeni de differẽtijs reſpirationis quarum una, quæ dicitur maxima eſt, in qua non ſervatur reſpiratio dicimus iuxta primam ſuppoſitionem, non ſervari in ea reſpirationem ſenſibilem, & manifeſtam benè tamen inſenſibilem, & obſcuram. Nam quemadmodum pulſus aliquaudo intermittit aliquot pulſationes, ita reſpiratio, quæ multo maiores habet quietes, ut diximus, quam pulſus omittit aliquas reſpirationes plures, vel pauciores prout frigidius extiterit cor. Avicena facilius reſpondetur, dicit enim, quod eſt apoplecticus, in quo non eſt differentia inter ipſum, & mortuum, & non apparet in ipſo aliquid anhelitus. Proculdubio Avicen. nõ intellexit apoplecticum eſſe mortuum, quia ut ait reviviſcit aliquando, & morbus non eſt affectus, niſi viventis, ſed in eo non apparere reſpirationem, hoc eſt non eſſe manifeſtam, ſed obſcuram, & inſenſibilem, illud enim ſignificat non apparere.

AD experientiam quam profert in medium idem reſpondetur, quod illi, qui ſepulti ſunt cum mortui putarentur reſpirationem habebant inſenſibilem, & obſcurã. Daniel Senertus eruditus vir, capite de apoplexia, referens Scotum illũm celebrem ſcholaſticũ, qui bis fuit mortuus, & ſemel ſepultus inſinuat noſtram ſententiam, dum ſcribit. Ita tales ante triduum ſive ante horas 72. elapſas ſepulturæ dandi non ſunt, cum reſpiratio ſenſum noſtrum latere poſſit. Et in definitione ſic ſcribit. Sola reſpiratio imminuta tamen aliquandiu reſervatur ob maximam eius ne-

necessitatem. Ecce respiratio obscura & insensibilis.

GALENI locus 3. de locis affectis cap. 10. Adeo instat, & urget, ut ad illum non respondeat Augenius, ita scribit. Cum igitur omnes pariter nervi tum sensum, tum motũ amiserint apoplexia huiusmodi affectio nũcupatur. Et parum postea. Discernitur autem affectionis magnitudo ex noxæ quam respirationi infert vehementia, &c. Ac demũ subdit: & sané mori apoplecticos ob id, quod spirare non possint. Fatetur Augenius mori apoplecticos propterea, quod non respirant. At duplicem esse respirationem oportet meminisse quãdam sensibilem, qua thoracis musculi moventur, alteram insensibilẽ, qua per cutaneos meatus fit transpiratio. Illa interdum inquit aboletur in apoplexia maxima, hæc nunquam vivente homine quam habent solum hystericæ, quædam mulieres, & animalia frigidiora in latibulis degentia. Sed responsio parum arridet, nam spiratio, quæ fit per cutaneos meatus, nõ est respiratio, sed transpiratio, etiam in Galeni loquela. Et quemadmodum homo simpliciter vivere non potest sola transpiratione, sed indiget respiratione, ita histericę mulieres, quamvis brevi tempore sola transpiratione contẽtæ sint multo tamen tempore sine respiratione vivere nõ possint. Possunt quidem brevi tempore, & quia frigidius est cor, & sufficit transpiratio pro tunc; & quia quamvis manifesta respiratio non appareat; latere potest obscura, & insensilis quatenus aliqua portio aëris ingredi potest sine manifesta attractione.

RESPIRATIO est actio voluntaria, & libera, ut probat Galenus 2. lib. de motu musculorum cap. 6. experimento servi illius barbari, qui seipsum interfecit cohibita respiratione. Ergo homo vivere non potest sine illa. Quorsum enim natura efformavit tot instrumenta spiritalia, nisi, ut huiusmodi usui inservirent? Dices forsam: Cæteris paribus necessariam esse respirationem in statu secundũ na-

turam. Verumtamen in statu præternaturam, ut in apoplexia fortissima, & in hystericis illam posse aboleri, ut de facto aboletur. Sed contra, quia si unusquisque potest se interficere cohibita respiratione, ut fecit servus barbarus iam egreditur de statu secundum naturam, & ingreditur eum, qui est præternaturam, & ultro procedit, siquidem obit.

POTEST quidem apopl ecticus. & hysterica mulier, ut diximus aliquas respirationes intermittere plures, vel pauciores, ut frigidius cor minus indiguerit, vel magis. Vel satisfieri transpiratione arteriarum, & obscura, & insensilique respiratione aëre ingrediente, ut dictum est in secũda suppositione suopte impetu ad cor, sine attractione manifesta. Cæterum non dicemus omnino deficere respirationem in apopletico, & histerica, nisi solum sensus iudicio. Confirmatur, quia adhuc illi, qui in extremo constituti, aut apoplectici, & hystericæ respirare non videntur, in ultimo vitæ termino respirant, quia expirant; quando in nostro sermone *dan las boequeadas*. Ergo toto tempore intermedio, quo respirare non videbantur, erat quædam longa intermissio, vel naturali sequela aëris portiuncula intromittitur ad cor sufficiens ad refrigerationem, quæ eo temporis requiritur, sine attractione, quæ sensibus sit manifesta. Sicut enim inepte dicemus in mora, qua homo quiescit à motu respirationis, & neque inspirat, neque expirat, quod vivat sine respiratione. Ita in casu apopletici, aut hystericæ mulieris, non rectè dicemus omnino abolitam esse respirationẽ, sed intermissam.

QVOD si his aquiescere noluerit Augenius occludat obsecro exactissimè os, & nares apoplectici apoplexia forti, aut hystericæ mulieris, & videat quam cito illos suffocabit. Si dicas temerarium esset in hoc casu claudere os, & nares huiusmodi ægrotantium. Sed contra, quia si nulla est respiratio quid inconvenit os, & nares claudere? Hac

di-

diligentia dumtaxat præcluditur via spiritui ingredienti, & egredienti. Ergo si maxima nova infertur, aut acceleratur mors, & contingit suffocatio ideo maximè, quia cohibetur aliqua respiratio obscura, & insensilis, quæ tunc reperitur.

SIT primum corollarium. Filius mulieris matris familias, nostri textus, laboravit apoplexia fortissima, in qua defuit respiratio manifesta, & hoc est, quod significant verba, ita ut non remaneret in eo halitus, nam dictiones, ita ut, explicāt modum apoplexiæ, nempè ita fortissima fuit, apoplexia, ut non remaneret in eo halitus. Probabimus autem, quod in illa servatur respiratio obscura, & insensilis quamvis deficiat manifesta. Duo ergo significant verba illa, ita ut non remaneret in eo halitus. Primum, quod in puero non remansit respiratio manifesta durante ægritudine, & vita; Secundum vero, quod eo pervenit morbus, ut tandem non remaneret in puero respiratio adhuc obscura, sed extinctum, & mortuum fuisse. Apoplexia solet esse frequentissima senibus, & carnifex illorum: rara in pueris, quocirca fortissimam arguebat causam in nostro puero, quia ut inquit Hyppocrates in aphorismis: in morbis minus periclitantur quorum naturæ habitui ætati magis congruit morbus quam quibus non congruit.

SECVNDVM corollarium. Aptissimè per languorem explicatur morbus; nam languor defectio virium, & remissio est vigoris. Cicero de divinatione, ait: Animus cum lāguore corporis, nec membris uti, nec sensibus potest incidit in varia visa, & incerta. Quod in apoplexia maximè verificatur, in qua, nec membra moventur, nec sensus suo funguntur officio; & quamvis reliquæ functiones corporis aboleantur solet integra servari respiratio, quæ in hoc affectu deficit.


TERTIVM corollarium. D. Hieronimus, Epiphanius tenent hunc puerum fuisse Ionam; quod maximæ congruit

la-

sacræ paginæ, nam Ionas fuit figura Christi Dñi nostri, dicitur enim Matthæi Xij, sicut enim fuit Ionas in vẽtre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Igitur quemadmodum fuit figura in sepulchro, ita in resurrectione, cum hac tamen differentia, quod Ionas resurrexit virtute Eliæ, Christus tamen Dominus propria virtute.

CAPVT XXI.

ECce habitatio huius Civitatis optima est, sicut tu ipse Domine perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait, afferte mihi vas novũ, & mittite in illud sal; quod cum attulissent egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, & ait hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt, ergo aquæ usque in diem hunc iuxta verbum Elisei, quod lucutus est. Regum 4.*cap.2.*


ÆC Verba dicta sunt à viris Civitatis Hierõtis ad Eliseum. Et dubium non est, quod hæc illis contigerint in figura quemadmodum, & multa alia. Cæterum de his, non est nobis sermo, nec cura, nisi solum de secretiori philosophia, quæ sub his verbis latere potest.

SED dubium primum, quod circa textum se offert est, utrum sterelitas intelligatur de terra, vel de aquis. Valiesius in sacra philosophia, capit. proprio exi-

fli-

ſtimat, quod quia terræ ſterilitas curatur in aquis, conſtat nihil aliud inſinuari quam aquas fuiſſe tales, ut earum vitio irrigata terra ſterileſceret; & verba videntur ſignificare. Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neq; ſterilitas.

VERVM enimvero negari nõ poteſt, quod terra ex natura ſua ſeorſum fuerit ſterilis; nam diviſim dicit ſcriptura, quod aquæ pęſſimæ eſſent, & terra ſterilis. Deinde quoniam etiam ſi terra, quæ irrigaretur poſſet ſterileſcere pęſſimo vitio aquæ reliqua terra Hiericontis poſſet non eſſe ſterilis, quod non eſt iuxta textum, loquitur enim univerſaliter, de termino, & terra Civitatis, & ait eſſe ſterilem; ergo ſeorſum ſine reſpectu ad vitium aquarum erat terra ſterilis. Tum etiam, quia aquæ quatenus ſunt elementum, neque ſunt ſteriles, neque fertiles bonæ, vel malæ, ſed omnes ſummunt bonitatem, vel malitiam, & in ſumma quamcunque qualitatem á terra quam pertranſeunt. Igitur potius tribuit ſterilitatem terra aquis, quam aqua terræ. Sed quid dicendum ad verba textus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas, iuxta quæ, cum in aquis curetur ſterilitas, ipſarum eſt propria. Reſpondetur, quod Eliſeus una benedictione ſanavit terràm, & aquas; & cum aquæ per ſe ſint ordinatæ ad fœcundandam terram, non impropriè ſterilitas terrę curatur in aquis, & ut intelligo mors refertur ad aquas, & ſterilitas ad terram. Confirmatur, quia aquæ erant pęſſimæ, & ex conſequenti poterant potatę inducere, vel mortem, vel morbum.

VITIVM vero aquarum videtur rationi conſentaneũ, & quibuſdam fuiſſe ſalſuginem, & quia id ſolet eſſe frequens in aquis, ex quo quam plurimæ fiunt ad potãdum inutiles, & quia id ſolet omnium maximæ ſterilitatem afferre. Quo factum eſt, ut ab antiquiſsimis ſeculis venerit in conſuetudinem, ut ſolo, quod ob patrata, ibi-

ſa-

facinora & proditiones devovetur sal insp ergatur, quod fecisse legimus Abimelech deleta Vrbe Sychimorum cap. 9. libri Iudicum: & in Psalm. 106. ita dicitur; *Possui terram fructiferam in salsuginem, à malitia in habitantium in ea.* Itaque salsugo maxima causa est sterilitatis terræ, & in spersus sal sterilitatem indicit, & maledictionem. Si autem salsæ erant aquæ Hiericontis, atque ideo hominibus erãt ad potum inutiles, & terræ afferentes sterilitatem, quæ vis naturalis esse poterat in sale ad sanandum eas? Cum præcipuè D. Iacobus in sua Epistola cap. 3. dicat. Nũquid potest fratres mei ficus uvas facere, aut vitis ficus, sic neq; salsa dulcem potest facere aquam. Sed cum opus benedictionis Elisei omnino fuerit miraculosum, non est attendendum ad media, aut instrumenta, quæ aliquando solẽt esse adversa, & noxia, ut prodigium magis extollatur; licet aliquando aliqua habeatur ratio naturæ. Vallesius vitium illud aquæ existimat non fuisse salsuginem, sed corruptionem putridam, & olidam, hæc enim, ut alijs omnibus in rebus, ita etiam in aqua salis ad mistione corrigitur. Nã sal calidæ, & siccæ naturæ cum sit, & facile cum aqua dissolutus commisceatur putres in ea, sive vapores, sive partes absumit, & putredinem emendat, atque integritatem facit diutius retinere.

SED contra hoc facit, quia putrefactio etiam aquæ non potest inducere sterilitatem terræ, quia stercus quo magis putre si cum terra commisceatur, non solum non affert sterilitatem, imo potius conducit ad fęcunditatẽ terræ, ut norunt agricolæ.

DICET quis, putrescentiam aquæ, & graveolentiam esse vituperandam, & non stercoris. Contra, quia ad fertiliorem efficiendum agrum si possunt agricolæ in partibus planis, & irrigationi alicuius fluminis aptis adimplent aqua planitiem illam, & detinent eam, ut agrum cooperiat; ubi ex detenta aqua diutius, & non ventilata, & cõsequen-

quenter putrescente(non enim est elementũ purum, sed elementatum)duplo fœcundior fit terra, & magis frugife ra,ut apparet in quibusdam agris in nostra Aragonia vocatis (*correntias*) qui ob hanc fertilitatem sunt preciosiores. Omnes, qui de historia, vel de rerustica scribunt uniformiter affirmant plurium morborum arborum esse remedium illarum radices irrigare ex aqua commixta cum urinis humanis inveteratis,& putrefactis. Igitur putredo commixta cum aqua non solum non reddit terram sterilem,sed etiam fœcundiorem.

CONSONUM ergo magis,& rationi,& textui videtur vitium aquarum Hiericontis fuisse salsuginem, ob quam erant ad potum inutiles. Has vocat sacra pagina pessimas, quia ad potandum pravam habent qualitatem cum enim potus sit ad refrigerandum, & humectandum salsuginosæ vero id præstare non possint, sed econtrario calfacere, & exiccare nullum vitium poterat eas magis depravare quam salsugo. Aqua enim putrescere non potest quatenus elementum est, quod si forsam computrescat, id fiet ratione vaporis, vel materiæ cum ea commixtæ,quæ si concurrat statim subsidet, vel in terra, vel in fundo vasis si in hoc existat aqua. Quot putrefactiones corruptæ, & olidæ aquis fluminum commiscentur, quæ statim subsident in terra, & aquam relinquunt potabilem?Omnes immunditiæ tam locales quam personales urbium, & locorum in litore fluminum existentium lavantur, expurgantur, & deponuntur in aquis fluminũ, quæ tamen, quia subsident relinquunt aquam adhuc potabilem populis inferioribus. Quamvis ex hac parte aquę fontanæ aquis fluminum præferantur iuxta aliquos. Amplius dices sal ex natura sua calidus, & siccus putredinem cohibet, testantur enim nautæ aquas non nihil salsas utiliores esse navigantibus,quod diutius in corruptæ servari possint,ac proinde se eas exputeis mari viccinis solere hau

rire. Ergo potius salsugo cōduceret ad fertilitatem quam possit facere terræ sterilitatem.

DICIMVS tamen, ut superius, quod aquæ Hiericontis fuerūt salsuginosę, & perinde pessimę, quia tales erāt ad potandū in quē finē præcipuè usurpantur. Sed non proinde erant pessimę in ordine ad terrā quā possent sterilem reddere, ut putat Vallesius. Quia aquę salsuginosę, ut optime advertit ipse, nisi in extremo tales sint, ut in mari Sodomę (quod, quia nihil vivū generat, ac si quid in ipsū incidit necat, mortuū appellatur) neq; lethales sunt, neq; fęcunditati officiūt, quin potius cū sine putrescētia est. & intra quādam mediocritatē, ut in mari ipsas aquas facit fœcundissimas, nullibi enim mundi adeo luxuriatur generandi facultas, neq; est tam multiplex generatio. Quin etiam experimur in opidis ubi sunt thermæ, quod aquæ termales, ut plurimum salsuginosæ, nitrosæ, & bituminosæ abscaturigine fluentes agros, quos attingunt, & irrigant nequaquā reddūt steriles. Hoc in Aragonia in nostris thermis notissimum est. Igitur non est cur Vallesius sterilitatem terræ, velit refferre in salsuginem aquarum.

CÆTERVM seorsum terra Hiericōtis erat sterilis, ut refert noster textus, & non propter vitium aquarum. Imo contra forsam vitium aquarum erat propter vitiū terræ. Erat enim, ut crediderim terra illa salsuginosa, & nitrosa. Hoc ex eo verificatur, quod ut diximus aqua ex se nullas habeat qualitates præter eas quas haurit ex terra, quam præterfluit. Atque ita si aqua erat salsa vitio terræ erat talis; & si terra erat salsa necessario aquam redderet salsuginosam. Fateor tamen vitium salsuginis eminus posse imbibi aquis. Verum si terra circum circa Hiericontem erat salsa, non poterat aqua prætergrediēs esse dulcis, quia sal cum nullo alio liquore, ita benè permisceetur, ut cum aqua.

Ex sacra pagina habemus, quod terra fuerit sterilis:

ex

ex dictis, quod non potuerit reddi talis vitio aquæ, aut vitium esset olida corruptio, aut salsugo. Igitur talis erat à propria natura, nulla vero, ut constat experimento magis ob noxia sterilitati, quam quæ habet salsuginem. Hoc insinuat Psalmus 106. ubi dicit: *Possui terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea*; non dicit Psalmus, irrigari terram fructiferam ab aquis salsis, sed positam esse in salsuginem, hoc est factam esse salsam, & consequenter sterilem, quæ antea erat fructifera. Neque potest intelligi, quod terra reddatur salsa per simplicem salis inspersionem, nisi terra ex sua natura salsa fuerit, ex solis adustione, ita enim naturaliter fieri solet. Tum quia suo calore sol adurit ipsam terram siccat, & in salem vertit præcipuè eius superficiem. Tum etiam, quia & terra ipsa expurgat se á salsugine, & nitrositate. Passim videmus terram abradi ad efficiendum nitrum; & pauco interposito tempore iterum abradi eandem terram, & idem nitrum extrahi. Plurimas terras cognoscimus prorsus steriles præ nimio sale in earum visceribus generato: in quibus nulla fit germinatio herbarum, aut plantarum, aut si quæ enascuntur illæ sunt nitrosæ; sunt enim quædã, quæ gaudent salsugine, & ob hanc causam proditores, & facinorosi læsæ Maiestatis, ita puniuntur, ut corũ domus deleantur, & sale inspergantur ne amplius reædificentur. Non quatenus sal inspersus terram domus possit reddere sterilem, sed illud fit in signum sterilitatis indictæ, quo significatur terram salsuginosam ex sua natura esse sterilem. Et non mirum nam sal calidæ cum sit, & siccæ naturæ, absumit humiditatem, quæ solet terram fœcundare. Et grana seminalia debent corrumpi, & emori, ut germina erumpãt: Sal autem præservat à corruptione.

ALTERA difficultas, & maxima quidẽ resultat ex textu, nã si terra Hiericontis sterilis erat, & aquæ pessimæ, qua

ratione, dicit sacra pagina, vel in ea viri Hiericontis, quod habitatio Civitatis optima erat? Non, ut cũque bona, sed optima, & maxima attentione digna, & prænotata particula, ecce, quæ in sacra scriptura energiam habet, & attentionem præfert. Et ratio dubitandi est ita urbs, vel populus, qui habet aquas pessimas, & terram sterilem videtur, quod non possit præbere optimam habitationẽ: quę consistit in his, quæ præstant vitam non solum salubrem, sed delitiosam. Ad salubrem autem vitam conducunt optimæ aquæ, magni enim est usus ad vitam aqua, & ideo antiquitus damnatis interdicebatur aqua. Hyppocrates libro de aëre aquis, & locis loquens de medici obligatione, sic scribit: Neque vero negligentiorem se circa aquarum facultates cognoscendas exhibere convenit. Et Paulo infra: Hæc itaque diligenter opportet perscrutari, ac simul quomodo habeant circa eam aquæ, num ne palustribus utantur, & mollibus, aut duris, & é sublimi loco prolabentibus, & scaturientibus ex petris, sive salsis, & crudis. Deinde magis infra, sic scribit: Quicunque vero morbi gratia, eam quę commodissima est bibere volet, is si ita fecerit maximè sanitatem assequi poterit. Igitur aqua ad salubrẽ vitam conducit optima.

DELITIOSAM vero efficit vitã terræ fertilitas, quę optima alimenta subministrat ad sanitatis conservationem, & delitias cõparandas, proinde ad invitandos filios Israël ad terram promissionis sępissimè repetit scriptura terram esse, quę fluebat lacte, & melle. Igitur terra sterilis, & aquę pessimæ videtur, quod non possent efficere optimam Hiericontis habitationem.

HÆC difficultas à nullo interprete, ut existimo, nec movetur, nec discutitur; quo circa formidine discurrã dumtaxat ad excitandum ingenium aliquod superius, quod feliciter resolvat. Nihil sentio, quod restet ad salvandam bonitatem habitationis Hiericontis, nisi aëris salubri-

tas

tas. Etiam si aquæ essent pessimæ, & terra sterilis aër illius Civitatis poterat esse salubris cuius gratia habitatio poterat esse optima. Nam aëris usus adeo est necessarius, & inevitabilis, ut sine eo, neque in adversa, neque in secunda valetudine, vel momento temporis vivere queamus.

DVOBVS autem modis corpora nostra afficit, vel quatenus extrinsecus ea ambit, & per cutis poros, ac spiracula se se in illud insinuat, vel quatenus spiratione attrahitur, utroque modo magnam corpora nostra alterandi, atque afficiendi vim habet dum suas qualitates ipsis imprimit, & communicat, eaque, vel in statu naturali conservat, vel ab eodem deijcit, prout convenientem, vel adversam ipsis constitutionem obtinet.

AER autem optimus est, qui in qualitatibus primis tẽperatus est purus, nullisque inquinamentis infectus serenus lenibus, & suaviter inspirantium ventorum flatibus agitatus, quippè salubribus pluvijs interdum irrigatur. Nam qui nimium ventis præcipuè aquilonaribus agitatur siccior est: ubi vero per iusta intervalla ventis perflatur, atque interdum, non diu tamen pluvius est, siccitas pluvia, & contra pluvia siccitate temperatur. Talis aër calorem temperatum conservat spiritus illustrat, & recreat, sanguinem attenuat, corpus in integra sanitate conservat & ad actiones omnes alacre reddit, omnique ætati, & temperamento salubris est.

CONTRA vero vitiosus aër est, qui stagnantium aquarum, & paludum, aut undecunque erumpentibus halitibus, & vaporibus vitiosis inquinatus, & quocunq; modo impurus est, qui ventorũ flatibus agitari nequit, qui turbatus est, aut nimis calidus, frigidus humidus, siccus. Talis enim aër corpora nostra à statu naturali deijcit. Alia tamen aëris constitutio alijs magis alijs minus noxia solet esse. Varias autem ob causas constitutio aëris variatur,

 neque

neq;.ubiq; ac ſemper eadem eſt. Primò, aëris conſtitutio pendet à locorum ſitu, & natura. Ad locorum ſitum autẽ pertinet primo ſitus verſus cœli plagas. Aliæ enim regiões alijs calidiores, alijs frigidiores ſunt, prout magis, vel minus à circulo æquinoctiali, vel tropico cancri apud nos remotiores ſunt, maioremque, vel minorem latitudinẽ, ut appellant habent; nam quanto rectiores radios ſolis regio aliqua excipit; & quo diuturnior ſolis ſupra Horizontem mora eſt, eo regio eſt calidior; frigidior vero contrarijs de cauſis.

VERUM etiam, ſi ex hoc ſitu varia aëris proveniat cõſtitutio, atque aliud clima aliam aëris temperiem habeat, tamen alia præterea concurrunt, qui in eodẽ etiam climate diverſam aëris conſtitutionẽ faciunt. Nõ in omnibus ſub eodem parallelo regionibus planè eadẽ eſt aëris cõſtitutio & nuſquã ſub eodẽ parallelo, quam in Etiopia Æthiopes habitant ob peculiarem loci naturã. Nam ibi ad alias, quæ omnibus ſub illo parallelo habitantibus communes ſunt caloris cauſas accedit loci natura arenoſa ſabuloſa, quæ conceptum calorem diutius fovet, & retinet, atque in habitantium corpora exiccat, atque adurit.

SECUNDO, itaq; loco terræ facies propria, ac natura ad aëris temperiem conſtituendam facit, in qua ſpectatur, quæ ſoli ſit natura; an locus ſit editus, & altus, vel humilis, quem montium, ac vallium ſitum habeat, quos ventos à quibus mundi plagis adimittat, an mare, vel lacus viccinos habeat. Nam multum refert an ſolum ſit pingue cœnoſum glareoſum ſaxoſum arenoſum macrum, an ferat metalla an vero his deſtituatur, multumque intereſt an locus ſit planus, & campeſtris, an montanus humilis ne, vel editior. Montium quoque ſitus facit, ut quædam loca quorundam ventorum flatibus magis, vel minus expoſita ſint, atque ita iuxta ventorum, quos magis excipiunt naturam magis frigeant, vel caleãt.

Nam

Nam si montes Boream arceant, admittant vero Austrũ accidit, ut loca sint calidiora, & humidiora; contra si ob montium situm Austro additus intercluditur, & Boreas admittitur locus erit frigidior, & siccior. Prout ergo regio, vel Civitas huic, vel illi vento magis exposita est, & huius, vel illius venti flatũ magis excipit, ita, & hanc, vel illã aëris constitutionem obtinet, estque calidior siccior, vel humidior.


QVÆ enim soli orienti expositæ sunt Civitates salubriores, his sũt, quę ad septẽtrionẽ, & ventos calidos obversę sunt, in coleq; earũ coloratiores sunt, & vivaciores morbique pauciores in his oriũtur. Calor enim, & frigus tẽperatẽ se habẽt. At vero, quæ ad occasũ sunt expositę, & à vẽtis, qui ab oriẽte spirant obtectæ, tũ à calidis vẽtis, tũ etiã à frigidis leniter per flantur, earũ situm maxime morbo, obnoxium nęcesse est: neque enim, nisi in altũ vectus sol his splendescit. Maris quoq; & lacuum viccinitas ad aëris, & loci peculiarẽ naturã facit, ex humidis enim, & aqua multa scatentibus locis plurimæ humidæ exhalationes attollũtur, quæ se se aëri miscent. Eadẽ ratio est metallicarũ fodinarũ. Fętidi enim, qui exhalant plerunque vapores aëri communicantur. Multo vero magis specus, & cavernæ venenatam auram exhalantes aërem inficere possunt.

SIT primũ corollariũ. Ex dictis infertur, quod cũ essent aquæ Hiericõtis pęssimæ, & terra sterilis nõ poterat habitatio Civitatis esse optima, nisi aër optimus esset, & haberet omnes cõditiones supradictas. Et quidẽ cũ terra esset sterilis ex salsugine quam habebat vapores ab huiusmodi terra elevati, & cũ aëre cõmixti minimè morbosi, sed salubres forent, quia essent calidi, & sicci nequaquã putres, imo putredinem cohibentes Herbæ, & plantæ præcipuè mõtanæ saluberrimæ, & ficciores, quarũ halitus salutaris posset cerebrum expurgare, & optimos spiritus tã vitales quam animales generare. Et hoc est iuxta textum, quia

propè Hierico erat Prophetarum collegium, ex quo excesserat Elias, cuius sedes ad contemplationem erat commoda. Certum vero est, quod aura salubris, & purissimi spiritus maximæ conducunt ad tranquillitatem mentis, & altiorem contemplationem.

SECVNDVM corollarium. Videtur, quod Eliseus solum sanaverit aquas; ergo terra sterilis erat propter aquas, & non seorsum, ut diximus. Antecedens patet, quia egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, & dixit sanavi aquas has: ergo non sanavit terram. Dicimus, quod factum Elisei fuit pulcherrima figura benedictionis aquæ in nostra Sancta Ecclesia, quæ etiam intercedentibus quibusdam orationibus mittit sal in aquam. Et sicut in die Sanctissimæ Crucis Maij, aqua benedicta termini, & ambitus populorum benedicuntur, ut terra germinet fructus, & conservet. Sic Eliseus aqua benedicta benedixit terram Hiericontis. Ob id dixit non erit mors, neq; sterilitas, mors videlicet in aquis, quia erant morbosæ, & sterilitas in terra, quia ut probabimus aquæ non poterant esse steriles, neque quatenus putridæ, neque quatenus mediocriter salsæ.

(*)



CA-

CAPVT XXII.

ET super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili. Cumque diei succederet dies, & temporũ spatia voluerētur; duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita ut egereret, etiam viscera sua, languore pariter, & vita caruit. 2. Paralipomenon. *cap. 21.*




ORS Ioram Regis Iudà narratur hoc in loco, ita specialiter inducta, sicut eam prædixerat Elias Propheta, sic enim legitur Paulo supra in eodem capite. Allatæ sunt autem ei literæ ab Elia Propheta, in quibus scriptũ erat. *Hæc dicit Dominus Deus David patris tui.* Quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in vijs Assa Regis Iudà, sed incesisti per iter Regum Israël, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem imittatus fornicationem domus Achab, insuper, & fratres tuos domum patris tui meliores te occidisti. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs, & uxoribus tuis universaque substantia tua. Tu autem ægrotabis pęssimo languore uteri tui donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Hactenus sacra pagina. In qua plura sunt testimonia, quæ ostendunt plures dari morbos inflictos propter peccata nostra qualis fuit morbus Ioram prędictus ab Elia afferente causam comminationis. Populo ergo propter scelera, & fornicationem domus Achab suũ respondit flagellum, nempè devastatio terræ facta ab Arabi-

bi-

propè Hierico erat Prophetarum collegium, ex quo excesserat Elias, cuius sedes ad contemplationem erat commoda. Certum vero est, quod aura salubris, & purissimi spiritus maximæ conducunt ad tranquillitatem mentis, & altiorem contemplationem.

SECVNDVM corollarium. Videtur, quod Eliseus solum sanaverit aquas; ergo terra sterilis erat propter aquas, & non seorsum, ut diximus. Antecedens patet, quia egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, & dixit sanavi aquas has: ergo non sanavit terram. Dicimus, quod factum Elisei fuit pulcherrima figura benedictionis aquæ in nostra Sancta Ecclesia, quæ etiam intercedentibus quibusdam orationibus mittit sal in aquam. Et sicut in die Sanctissimæ Crucis Maij, aqua benedicta termini, & ambitus populorum benedicuntur, ut terra germinet fructus, & conservet. Sic Eliseus aqua benedicta benedixit terram Hiericontis. Ob id dixit non erit mors, neq; sterilitas, mors videlicet in aquis, quia erant morbosæ, & sterilitas in terra, quia ut probabimus aquæ non poterant esse steriles, neque quatenus putridæ, neque quatenus mediocriter salsæ.

(*)



CA-

CAPVT XXII.

ET super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili. Cumque diei succederet dies, & temporũ spatia voluerẽtur; duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita ut egereret, etiam viscera sua, languore pariter, & vita caruit. 2. Paralipomenon. *cap.* 21.



ORS Ioram Regis Iudà narratur hoc in loco, ita specialiter inducta, sicut eam prædixerat Elias Propheta, sic enim legitur Paulo supra in eodem capite. Allatæ sunt autem ei literæ ab Elia Propheta, in quibus scriptũ erat. *Hæc dicit Dominus Deus David patris tui.* Quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in vijs Assa Regis Iudà, sed incesisti per iter Regum Israël, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem imittatus fornicationem domus Achab, insuper, & fratres tuos domum patris tui meliores te occidisti. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs, & uxoribus tuis universaque substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Hactenus sacra pagina. In qua plura sunt testimonia, quæ ostendunt plures dari morbos inflictos propter peccata nostra qualis fuit morbus Ioram prędictus ab Elia afferente causam comminationis. Populo ergo propter scelera, & fornicationem domus Achab suũ respondit flagellum, nempè devastatio terræ facta ab Arabi-

bibus, & Philisteis. Regi vero quoniã maius habuit flagitium fuit enim causa malorum respondit tum devastatio potius substãtiæ domus Regiæ, tum lethalis illa ęgritudo.

FRANCISCVS Vallesius in sua sacra philosophia c. 40. sine dubio, existimat morbum hunc fuisse diarrheam, seu alui profluviũ adeo diuturnum, & malignum, ut ad tabẽ hominẽ deduxerit & mortem, non quidem ad eam, quæ peculiariter à medicis vocatur Phthysis, seu tabes, quæ scilicet est cõsumptio ex pulmonis putrescẽtia ortũ habẽs, sed quæ cõmuni appellatione, ad colliquescentiã scilicet, & consumptionem totius corporis. Evenit (inquit) hoc nõ raro per malignã diarrheam: nimirũ tabes nasci solet ex maligna putredine succorum, ob quam retineri non possunt, sed egerũtur assiduè; serpente vero ea malignitate, & alijs ab alijs succis infectis, evenit nõnũquã nihil manere integrũ, sed ipsum etiam partium rorẽ maligne putrescere, & cũ alijs egeri succis, & fieri deiectiones colliquativas, ipsasque partes primum destitutas ab alimento tabescere deinde, & computrescere cum ipsis succis, & in saniem solutas egeri, eas præcipuè, quæ velut ex concreto sanguine substantiam habent, ut lienem, & Hepar: quod evenit misero huic Regi. Hæc est sententia Vallesij.

HIS tamen non obstantibus existimo malum hoc non fuisse diarrheam, postea vero dicam, quod sentio. Primum quia diarrhea est symptoma in excretis, excretio autẽ in diarrhea est symptomatica quantitate, & immodica deiectione, dicitur enim alui profluvium; immodica autẽ evacuatio non potuit durare biennium, prius enim vires languescerent, & succumberet Rex præsertim cum á principio morbus fuerit languor, qui ex immodicis evacuationibus increscens mortem breviorem afferret.

SECVNDO, quia diarrhea est symptoma pertinens præsertim ad facultatem expultricem irritatam, morbus autem, ut ait sacra scriptura á principio fuit languor, & imbe-

becillitas. Et quamvis ex diuturna diarrhea ſequi ſoleat lienteria, quæ cõſiſtit in imbecillitate, hoc fit tractu temporis, ab initio autem fuit languor, & debilitas iuxta textum. Adde, quod niſi alij accedant affectus ex ſola diarrhea non egeruntur viſcera, dumtaxat nanque humores vitioſi in venis exiſtentes poſſunt expelli ab irritatione, nulla vero ſit mentio in noſtro textu, alterius affectionis præter unum languorem.

QVAM ob rem exiſtimo morbum, quo laboravit Iorã à Deo immiſſum fuiſſe Hepaticã affectionem. Nam Hepatici propria ſignificatione Medicis dicuntur, quibus Hepar, ita infirmum eſt, ut iam deſit ſuo officio fungi, neque ſanguinem natura convenientem gignit, nullo tumore, non ſchirro non oedemate, aut nullo manifeſtè in viſcere malo. Quod ubi accidit univerſum corpus pati neceſſe eſt quia deterius alatur, unde cachexia. Diminute ergo, aut etiam depravate in hepaticis fit ſanguificatio. Huius imbecillitatis cauſa eſt intemperiei calidæ, aut frigidæ exceſſus, non quidem omnis, ſed ſub quo humores, qui venis, & arterijs continentur, qualitate, aut copia plurimum à natura receſſerunt, unde viſceris integritas, vel propria ſubſtantia, quam Parenchyma Græci vocant diſſolvitur, labefactatur, & corrumpitur.

RATIONES quæ me convincunt hæ ſunt. Litera textus, quæ affirmat morbum Regis Ioram fuiſſe languorem Hepatica autẽ affectio tota in languore, & imbecillitate conſiſtit, & per eam definitur á Medicis, ita ut omnes facultates Hepatis plus minus ledantur, & debilitentur: nam in ſanguificatione infirma attractrice chyloſa deijciuntur; alteratrice, & retentrice rubra alui proluvies loturæ carnium, aut ſanguinis aqua diluti ſimilis.

IN deploratis hepaticis colliquationes contingunt, ut oſtendit experientia, & affirmat Galenus 8. de compoſ. medicamentorum ſecundum locos, ubi ſcribit, calida in-

tem-

temperie colliquationes fiunt humorum, & evacuatur bi lis crassa grave olens,& abunde colorata. Quod maximè congruit cum tabe,seu consumptione Regis Ioram, nam hæc ad magnas colliquationes consequitur,deficiente partium alimento,primum enim colliquantur humores,qui in venis continentur,deinde vero pinguedo totius corporis concreta iam. Cum autem intemperies in Hepaticis, non sit qualiscunque, sed sub qua humores, qui venis, & arterijs continentur,qualitate, aut copia plurimum à natura receserũt,visceris integritas dissolvitur labefactatur, & corrumpitur,quia à febrili calore molliori carne in tenuem humorem soluta partes solidæ,ac duræ perinde,ac in sartagine torrentur,atque arefactæ contabescunt. Et hoc est,quod dicit textus: Et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret,etiam viscera sua languore,& vita caruit.

EXPERIENTIA etiam compertum est, quod hepatici nõ semper laborant diarrhea, seu alui profluvio,aut immodica deiectione. Verum enimvero aluum habent solutam,& laxam,ita ut quotidie aliquoties aluo deijciant continuò, & hoc,aut propter attractricem debilem cuius causa chylosa deijciuntur,aut propter retentricem , aut alteratricẽ sucorum. Quod quidem significatur in verbis textus,donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.

SED obijcies pro Vallesio Sacra pagina dumtaxat pronuntiat percussum fuisse Ioram alui languore insanabili, quod affectum demonstrat ventris inferioris,& intestinorum de cuius censu est diarrhea: Hepar vero in ventre superiori collocatur. Respondetur per aluum significari in sacra pagina non solum ventrem inferiorem,& intestina, sed totam cavitatem naturalem ; nam quamvis in loco prius proposito dicatur alui fuisse languorem , hic tamen explicatur per superiorem,ubi scribitur; quod ægrotavit pessimo languore uteri , ibi vero uterus non summitur stricta significatione pro conceptaculo, ubi fœtus formatur,

tur, sed pro regione naturali, in qua etiam hepar locatum est. Probatur ex 2. Reg. 7. Vbi Dominus loquens ad David per manus Nathan Prophetæ, sic ait: Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo: hic vero proculdubio per uterum significatur facultas naturalis David ex qua egressum fuit semen suum. Idem sonat cap. 16. dum dicit David: Ecce filius meus, qui ægressus est de utero meo, quærit animam meam. Quod etiam confirmant verba illa nostri textus, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies; per vitalia vero congruentius intelligitur hepar pars vitæ principalis.

PORRO languor illæ, ut sacra pagina dicit, fuit insanabilis à principio; tum quia, sic voluit Dominus cuius est flagellare, & salvare, deducere ad inferos, & reducere: tum quia, hepatici habent languorem in pluribus actionibus, qui emanat, ut diximus tanquam symptoma & actio læsa ab intemperie, vel calida, vel frigida. Hæc autem si fuerit magna, quoniam affectio est partis principis duplicem habet magnitudinem, unam ratione essentiæ propriæ; alteram vero ratione partis, ac proinde insanabilis est affectus. Est etiam intemperies hepaticorum non qualiscunque, sed sub qua humores, qui venis, & arterijs continentur, qualitate, aut copia plurimum à natura recesserunt; unde cachexia solet commitari hepaticos, quæ cum reciprocatione intemperiem auget, & augetur ab intemperiè. Demum viscerum egestio affectionem hepatis etiam indicat, quia in sacra pagina sub visceribus maximè, & principaliter comprehenditur hepar, ut insinuatur Trenorum Ieremiæ cap. 2. defecerũt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra Iecur meum, &c. Viscera interiora solent significare, & interiora confinia solent esse Iecoris. Sic Oseæ cap. 13. Occurram

eis

cis quasi Vrsa raptis catulis,& dirumpam interiora Iecoris eorum.

SIT primum corollarium. Talis est corruptio, quæ reperitur in hepaticis,& quæ fuit in Rege Ioram , quod ob hanc causam non fecerit ei populus secundum morem cõbustionis exequias: ut advertit textus in fine capitis: mortuus est inquit in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundũ morem combustionis exequias, sicut fecerat maioribus eius. Mors nõ fuit in infirmitate pessima, quia infirmitas talis fuisset, cui subsecuta esset mors, quia quælibet infirmitas esset pessima , quæ mortem haberet pro termino, quod non est iuxta textum ; nam maiorem habet energiam vox pessima. Suspicor autem , quod fœdam habuerit corruptionem corpus Ioram , ob quam causam denegatam fuisse combustionem communem Hebræorum, ne scilicet contaminarentur.

SECVNDVM corollarium. Duo apparent observata in sacra pagina, circa corpus Ioram post mortem. Primum est, quod negata fuerit ei combustio communis Hebræorum, quæ sicuti ignota est expositoribus, ita creditur probabiliter eam ex aromatibus solitam fuisse. Secundum: quod non fuerit sepultum in sepulchris Regum Combustio denegata forsam fuit, ut dictum est, quia Hebræi maximè fastidiebant omnem immunditiem; quin , & in lege omnino cauta fuit, proinde animalia immunda non offerebantur,& tot ritus, & cæremoniæ in libro legis narrantur pertinentes ad puritatem sacrificiorum. Certum est autem, quod hepatici, ubi morti proximi fuerint fœditatem præseferunt, quod similiter contigit Ioram, nã hepate patiente corruptionem simul cum intemperie Habitus corporis pustulatur, caro Iecoris petrificatur,& in excrementis omnis corruptio deprehenditur, quod in corpore Ioràm satis fuit manifestum, siquidẽ paulatim per singulos dies vitalia egrediebantur. Ob hanc causam verisimi-

mile est, quod Hebræi fugientes talem immunditiem, corpus eius tangere noluerunt.


NEGATIO communis sepulchri Regum, ut suspicor aliam habuit causam, nempè vitam detestabilem Regis, & odium commune populi, quod etiam versum fuit in flagellum. Etenim aliqui pravi Reges sepulti fuerũt cum patribus suis, ut Roboam, Abias; alij vero exclusi, ut Ioram, Ioas, quo circa non solum pravitas vitæ, sed etiam odium populi, & alia conduxerunt ad negationem sepulchri.



CA-

CAPVT XXII.

P*ROFECTVS est autem Tobias, & canis secutus est eum, & mansit prima mansione iuxta fluvium Tigris. Et exivit, ut lavaret pedes suos, & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna dicens: Domine invadit me. Et dixit ei Angelus. Apprehende branchiã eius, & trahe eum ad te. Quod cum fecisset attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei Angelus. Exentera hũc piscem, & cor eius, & fel, & Iecur repone tibi sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.* Tobiæ *cap. 6.*



DEINDE Cap. 8. legitur: Recordatus, itaque Tobias; sermonum Angeli protulit de Cassidili suo partem Iecoris, possuitque eã super carbones vivos. Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.

MAGNOPERE dubitatur statim qua ratione suffitus Iecoris fugaverit dæmonium. Et pro intelligentia.

PLATO lib. de republica 4. & in Timeo tres partes principes in nostro corpore constituit, & in qualibet suã animam distinctam, concupiscibilem in Iecore, irascibilem in corde rationalem in capite; atque his totum animal guver-

bernari. Quam opinionem refert Aristoteles lib. 1. de anima cap. ultimo. Eandem Platonis opinionem confirmat Cicero 1. lib. Tuscula. sub his verbis: Plato triplicem finxit animam cuius principatum, id est rationem in capite sicut in arce posuit, & duas partes separare voluit iram, & cupiditatem, quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. Sic eam intellexit, etiam Galenus lib. quod animi mores, &c. Et amplexus audacter affirmat lib. 9. de decretis Hyppocratis, & Platonis, sibi demonstrabile esse, quod istæ tres animæ locis distinctæ in homine resideant.

SENTENTIA hæc probatur; quia idem, vel ab eodem, & ad idem non potest simul contraria agere, & pati; sicut nõ potest fugere & prosequi idem obiectum, vel annuere, & renuere circa idem. Sed talis repugnantia reperitur inter irascibilem, & concupiscibilem, & rationalem; ergo sunt principia locis distincta. Maior est certa, & minor indiget declaratione, invenitur enim repugnantia inter istas facultates, quod isto patebit exemplo. Nam si quis famescit, aut sitibundus est peractum concupiscibilis appetit cibum, & potum. Si autem sit in salutis perniciem renuit facultas rationalis, & prohibet usum cibi, ergo aperta est repugnantia.

RVRSVS repugnantia inter irascibilem, & rationalem constat, in iratis ratione cohibitis. De qua Galenus 3. de placitis, cap. 5. explicans etiam repugnantiam; quæ est inter irascibilem, & concupiscibilem eodem libro 5. cap. 6.

ARISTOTELES tamen prædictam opinionem intellexit & eam impugnavit 1. de anima cap. ultimo, hac ratione. Si sint diversæ animæ partes oportet ponere aliquid, quod contineat ipsas ne separentur, cum enim á corpore contineri non possint ab alio debet fieri: tale autem est anima. Hæc doctrina Platonis quamvis phisicam,

Q non

non habeat veritatem habet tamē moralē, ut videbimus. Reiecta Platonis opinione, quæ irascibilem & concupiscibilem facit animas. Videndum utrum saltem sint facultates diversæ. D. Thomas 1.p.q.81.art. 20. Videtur affirmare esse diversas potentias. Quam etiam tenent alij, & noviter Sanctacruz in Avicenam.

PROBANT primo ratione Platonis, quæ desumitur ex mutua repugnantia, & cōtrarietate istarum facultatum, sive actuū illarum. Nam irascibilis minuit concupiscibilem, & econtra delectatio concupiscibilis iram minuit.

SECVNDO, quia læditur actus unius facultatis sine læsione alterius, ergo diversæ facultates sunt. Patet antecedēs, quia in morbo, qui dicitur Pica, quæ est quædam famis depravatæ species aperte videmus lædi appetitum sensitivum, sive concupiscibilem ventriculi, & tamen nulla est læsio in facultate irascibili. Ergo signum non esse unam facultatem, sed diversas.

TERTIO; quia potentiæ differunt penes diversa obiecta formalia, quæ habent diversas rationes formales. Sed irascibilis, & concupiscibilis versantur circa specie diversa, quæ habent diversas rationes formales. Ergo distinguuntur. Minor probatur: nam sicut entia naturalia, v. g. per propriam inclinationem quærunt convenientia, & fugiunt disconvenientia, tamen præter hoc habent aliam virtutem ad corrumpendum suum contrarium, ut ignis per levitatem quærit bonum loci, & per calorem destruit aquam; ergo multò magis in animalibus distinguenda sunt duo principia; unum per quod bonum quærat, & huiusmodi est concupiscibilis. Alterum per quod vincat impedimenta, & corrumpat contraria a quibus potest molestari: huiusmodi autem est irascibilis, & ob id eius obiectum est bonum difficile, & impeditum.

CONTRARIAM sententiam, quod non sint concupiscibi-

bi-

bilis, & irascibilis duæ potentiæ distinctæ realiter tenent Scotus 3. sent. distinctione 26. quæst. unica, quem sequitur Gabriel eadem distinct. & quæst. artic. 3. dub. 1. eandem sententiam videtur docere Gale. 4. de decretis Hyp. & Plato. cap. 4. ubi scribit: Appetitus vero, qui in ira, & cupiditate existunt cum non utantur ratione, &c. Caserta Neapolitanus lib. de symptomat. motus animalis, quęstion. 8. Fernelius lib. 5. physiolog. cap. 19. Præter irascibilem, & concupiscibilem appetitus sensitivi speciem facit ambitionem, & avaritiam.

PROBATUR primò ex Aristole 8. de historia animaliũ, cap. 9. ubi dicit: Animalia inter sa pugnare ob concupita cibos potus venerea, ergo pugnæ, & iræ ex obiecto cõcupito desumuntur. Respondet Sanctacruz, dicto in loco, quod animalia pugnant propter concupita tanquã propter finem remotum respectu irascibilis, at vero pugnant, & irascuntur ob difficultatem, & arduitatem boni cui malum impediens est coniunctum.

SED contra, quia in hoc casu duo obiecta habet concupiscibilis; bonum vindictæ consequutæ per iram, & bonũ cibi potus, aut venereorum. Et quamvis hæc obiecta sint remotiora, bonum vindictæ consequutæ per iram est obiectum proximum concupiscibilis.

SECUNDO probatur; quia communiter definitur ira, est appetitus vindictæ; ergo non differt irascibilis à concupiscibili, si in actu appetendi vindictam consistit ira.

SED, ut suspicor suo modo possunt hę duæ contrariæ sententiæ conciliari. Pro quo notãdum, quod in appetitu dantur duo actus partiales, & inadequati, nẽpe prosecutio boni, & fuga mali, nam uterque pertinet ad cõcupiscibilem. In ira dantur ambo, nam datur appetitus prosecutionis vindictæ sub ratione boni, & datur fuga molestiæ, & penalitatis sub ratione mali: datur enim in ira tristis sensatio, seu rabies procedens ab iram causante. Igitur ira

propriè consistit in agitatione, & animi perturbatione, inter illos duos motus contrarios prosecutionis, & fugę. Et quemadmodum ex agitatione fluctuũ maris inter motus cõtrarios generatur spuma, seu quasi fervor. Ita in corde ex tali agitatione inter fugam, & prosecutionem generatur fervor, seu spuma. Ob hanc causam definierunt medici iram, quod sit fervor sanguinis circa cor.

PRIMA opinio amplecti potest, quia quamvis in ira dētur appetitus aliquid aliud addit hoc pathema nimirum agitationem, & perturbationē, & consequenter fervorē inter fugam, & prosecutionem, in quibus consistit. Secunda etiam opinio verisimilitudinem habet, quia ira videtur species appetitus, quia sine hoc intelligi non potest ira, quandoquidem duos illius actus comprehendit.

Ex quibus non est difficile utriusque opinionis argumenta dissolvere quatenus non urgent, nisi hoc modo intelligantur. Nam irascibilis non minuit concupiscibilem vindictæ, sed in ea consistit: alios autem appetitus potest minuere, quia intenta natura in prosecutione vindictæ abstraitur ab alijs actionibus. Pica, & alij appetitus non pertinent ad irascibilem, quia irascibilis quamvis includat appetitum non consistit in eo solo, sed addit agitationem quam diximus.

AD tertium dicimus, quod accidit iræ corruptio contrarij, quamvis hæc actio iræ subserviat: benè enim possumus irasci, & nullam victoriam de contrario reportare. Neque in rigore bonuum arduum, & difficile est obiectũ necessarium iræ; nam sæpissimè irascimur cum servis quos facile punimus ira perseverante.

RATIONES secundæ opinionis dumtaxat probãt, semper in ira reperiri appetitũ, quod negari nõ potest; imo de intrinseca ratione irę est, quod in ea intercedant duo illi actus appetitus prosecutio boni, & fuga mali.

COMMVNIS sentẽtia est Galeni, & ferè omniũ irascibi-

lem

lem sitam esse in corde, quia ibi est magna illa agitatio, ut ipse docet 8. de decretis Hyppocratis, & Platonis cap. 1. de concupiscibili est maior controversia, ubi sit eius sedes, seu organum.

ALIQVI recentiores, inter quos est præcipuus Casserta lib. de symptomatis motus animalis, quæst. 8. duplicem distinguunt appetitum sensitivum, alium exteriorem consequentem cognitionem externorum sensuum; alium interiorem consequentem internam sensus cognitionem. Probatur de appetitu externo autoritate Aristotelis secundo de anima, text. 20. & 27. ubi inquit: Vbi est tactus, ibi dolor, & lætitia, ubi autem hæc ibi appetitus. Quibus verbis clare demonstrat, dari appetitum consequentem sensum tactus, quem appetitum exteriorem vocant quando non sequitur internam sentientem cognitionem. Et quemadmodum conceditur in tactu concedendus est in cæteris sensibus. Cæteri enim sensus externi suos etiam peculiares habent dolores, ac proprias oblectationes, & consequenter suos appetitus. Etenim constat linguas sapores dulces appetere; oculos spectra pulcherrima desiderare, auditum musicis, & suavibus vocibus delectari; olfactum odores varios, quibus recreatur concupiscere: genitalia membra concubitus delectationem ardentur exoptare. Et tandem orificium ventriculi, ubi fit appetentia cibi, & potus, cibos familiares & potum dessiderabilem amplecti.

DEINDE probatur, nam videmus decisam lacertæ caudam moveri, fit autem motus is appetitu præcedēte simul & cognitione, alia autē cognitio in lacertæ cauda non est, nisi sensus tactus tristis, seu dolor. Is igitur appetitus erit exterior externum sensum tactus consequens: qualis exterior appetitus tum tactus, tum pariter cæterorum sensuum in cauda non decisa, & in alijs sensibus in sanis animalibus omnibus concedendus est.

TANDEM probatur; appetitus datus est, ut eo medio sequamur convenientia, fugiamus contraria, sed singuli externi sensus sua habent contraria, & convenientia sibi ipsis; ergo singuli externi sensus exteriores, sibi proprios, & peculiares debent habere appetitus, quibus ea fugiant, vel prosequantur; datur igitur appetitus sensitivus externus.

SED utrum detur internus potest esse cõtroversia. Plures philosophi, & medici appetitum sensitivum internũ, ut necessarium concedunt. Noviter Casserta dicto loco; diffuse probat eius necessitatem, quibus assentiri Fernelium dicit 5. Physyologiæ cap. 9. Andræeam Laurentium lib. 6. suæ Anatomes q 17.

VERVM enimvero, nullla est necessitas admittendi appetitum internum, qui distinguatur ab eo quem externũ vocant. Nam, & hic quamvis dicatur externus, internus etiam est, quandoquidem in partibus etiam internis reperitur. Probatur, hæc conclusio, nam sensus tactus diffusus est per omnes particulas nostri corporis, ergo in omnibus partibus est dolor, & voluptas, & consequẽter in omnibus est appetitus tam internis quam externis, iuxta primum Aristotelis argumentum. Quæcunque enim pars minima, etiam interna sentit, id quod sibi molestũ est excrementum, & conatur expellere illud, atque refugit, & appetit cibum per famem naturalem, quæ appetitus est.

DICES semper hic erit externus, nã debet alter concedi, qui sequatur actionem sensuum internorum; nam hic sequitur tactum, & alios sensus externos.

SED contra, quia si in partibus internis cordis, & cerebri reperitur dolor, & voluptas, & tactus, non est necessum alterum concedere, quia ille etiam sequetur actionẽ internorum sensuum, quemadmodum externorum. Confirmatur evidenter, nam appetitus, qui dicitur ab illis internus, nec habet diversum organum, nec diversum modum

dum

dum operandi ab externo. Cuiusvis enim appetitus actio est prosequi bonum, & fugere malum sensatum.

IUXTA quæ nulla est cōtroversia de sede, seu organo appetitus interni; nā unus existit in omnibus partibus internis, & externis, quæ præditæ sunt sensu tactus, atque nutriuntur, quæ etiam famem habent. Itaque argumenta plura, quibus digladiantur autores de sede, & organo facile solvi possunt. Dices externi sensus in somnis nō appetunt, sed feriantur, at in somnis appetimus varia.g.&c. Respondetur, quod tactus est sensus externus, & in somnis appetit venerea: vide quam falsum sit, quod supponitur: in somnis particulæ omnes famescunt naturaliter, & irritātur ad expulsionē fugientes malum irritans. In orificio ventriculi dumtaxat est maior appetentia, quæ dicitur animalis, quia est maior sensatio ob plures nervos, sibi existentes, & ob eandem causam vehemens appetitu animum abstrahit, quia nimirum est cum vehementi operatione sensus, atque inibi intentus nequit aliorsum diverti.

SIT iam primum corollarium. Ex dictis facile respōdetur ad dubitationem in principio positam. Cur suffitus Iecoris fugaverit dæmonium. Et prius supponendum est, quod doctissimus P. Nierēberg in sua philosophia lib. 1. cap. 49. affirmat, quod cor piscis nostri textus, habuit virtutem naturalem, & physicam adversus dæmoniū, quod fugavit. Quæ propositio falsa est, quamvis attemperetur, quia attemperatio, & modus explicandi, falsa sunt. Dicit enim: quod quamvis dæmonium non occupabat Saram assistebat tamen illi exterius corpore apparenti, & phantastico, quō coitum affectare insinuabat, & in sponsos irruebat, & occidebat; & Saræ molestum erat aliqua specie apparenti, & visibili. Igitur inquit, cum corpora, quæ figurantur ab spiritibus fiant ex rebus corporeis aëre condensato, & applicitis rebus frigidis, potest esse virtus naturalis

lis alicuius herbæ, vel partis animalis, quæ in fumum resoluta, ita aërem, & spatium medium disponat, ut reddatur ineptum, ut dæmonium induat figurã aliquam. Hoc modo prodesse poterat cor piscis naturaliter ad fugandũ dæmonium.

SED hæc non cõstant. Primò, quia fumus cordis potius aërem incrassabat, ut ex hac parte posset corpus ab spiritu pravo formari. Secundò, quia quamvis ex illo aëre fumoso nõ posset coagulari, quia malè disponebat suffitus poterat figurari ex alio distantiori. qui non esset malè dispositus, non enim poterat habere virtutem naturalem incõmodandi totum aërem. Et in summa, ut ipse etiam dicit nulla est res sensilis, quæ habeat virtutem physicam, & naturalem primario, & immediatè ad fugandum, vel suppeditandum spiritum.

QVID ergo dicendum ad fumos quosdam ab Ecclesia Sancta permisos ad dæmones fugandos, ut Rutæ Hipericonis, sulfuris? Profecto suffumigium medio despectu cõfert ad fugandũ, sunt enim superbissimi. Proinde dixit Raphaël ad Tobiã, cordis eius particula si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dęmoniorũ, nõ quod virtutẽ habeat naturalem, & physicam immediatè, & directè, sed quod dęmones cum sint superbissimi despectũ & contemptum malè sustinent; atq; ita abeunt. Idem significant illa alia verba Angeli. Exentera hunc piscẽ, & cor eius & fel, & iecur repone sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter. Quasi dicat non sunt medicamenta, sed necessaria ad medicamenta utiliter Probatur totum ex textu, dicitur enim, quod ubi posuit partẽ iecoris super carbones vivos: tunc id est in illo puncto Raphael Angelus, apprehendit dęmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti. Quasi non fuisset fugatum tam virtute iecoris quam virtute Angeli, qui illud religavit in deserto.

SECVNDVM corollarium. Medicamẽta dicta potuis fuerunt

runt signum quam causa (quia omnia contingebāt in figura) illius curationis. Nā antiqui, ut Galenus, & Hyppocrates collocaverunt concupiscibilē in Iecore, ut patet ex Galen. 3. de decretis Hyp. & Plat. & Homerus etiam. Id circo enim Iecur rodi fingit Titij, qui ex amatoria concupiscētia latonam strupare cōnatus fuerat, ut Iecori concupiscēti pena inferretur. Textus vero accōmodat se communi locutioni. Et merito Iecur censetur sedes concupiscentię; nam quamvis in omnibus partibus resideat, ut probavimus, magis elucescit in Iecore, nam ubi redundat sanguis viget luxuria, & sine cerere, & bacho friget venus. Ob hāc causam inedia, & Ieiunia maximè proficua sunt ad cohibendos impetus concupiscibilis, ut norunt mortificati. Nam, & Ecclesia Sancta ieiunia Temporalia statuit in quatuor partibus anni ad cohibendos impetus causatos ab humoribus quatuor illis temporibus ab hepate generatis. Maritis ergo septem Saræ prævaluit dęmonium, quia libidini, ita vacarunt, sicut equus, & mulus, ut dixit Angelus. Tobias autem in signum, quod non luxuriæ causa accipiebat coniugem, sed sola posteritatis dilectione combussit Iecur piscis, quasi libidinem comburens, cui sacrificio respondit fuga dæmonij facta ab Angelo.

TERTIUM corollarium. Aliter philosophandū de felle piscis illius, qui dicitur iuxta aliquos Callyonimus, nā habuit virtutem naturalem, & physicam, ad curandā albuginem oculorum, qua correptus erat Tobias senior, nam fere omnia fellis genera habēt virtutem oculorum, vel ad suffusionem, vel ad albuginem; ut constat ex Dioscoride, & Galeno. Cum hoc tamen fuit elevata virtus adeo.


VLTIMUM corollarium. Adhuc latet difficultas in textu. Dicitur enim ab Angelo. Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & Iecur repone. Et hæc tria servavit Tobias cor fel, & Iecur. Deinde paulo infra interrogatus Angelus de virtute remediorum respondit: Cordis eius particula, si

su-

ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. Hic ſolum fit mentio de corde. Deinde in præceptis Angeli iubetur accendi Iecur, ut de facto poſſuit ſuper carbones. Quorſum ergo ſervatum cor, de cuius uſu nulla fit mentio in ſacra pagina? An quia appetitũ internum plurimi locarunt in corde? Maximè. Sed quia cauſa concupiſcibilis eſt Iecur, ubi hæc elucet, accenſum fuit, ut doceamur, quod cauſa tollenda eſt, ut abeat dæmonium.

CAPVT XXIV.

ANIMÆ *enim eſſurienti, etiam amara dulcia eſſe videntur.* Iob *cap.* 6.



HEBRÆVS Textus apud Caieranum, ſic legit. Nũquid eſt ſapor in ſaliva ſanitatis? Et quoniam hęc ſententia multam habet connexionem cũ vulgata, & quia involvit Medicinam, & Philoſophiam explicanda nobis eſt.

DISTINGVVNT nonnulli inter ſalivam, & ſputum; & ſalivam appellant, ſaltem id oris excrementum, quod ſine tuſſi, & excreatione reijcitur. Sputum vero, quod cum excreatione ex pectore plerunque reijcitur, ſeu ut Etymologicum Gręcum habet, quod expuitur; ſaliva vero, quod fluit. Verum quia ſalivę propriè dictę ſępe ſputum, ita in ſpecie etiam dictum permiſcetur, id quod ore reijcitur, ab auctoribus, & ſputi, & ſalivæ nomine appellatur. Vnde etiam auctores voces has, non ſemper diſtinguunt.

QVID autem ſaliva ſit notiſſimum eſt, quomodo autem generetur, & qui eius ſit uſus explicandum eſt. Salivam equidem excrementum eſſe, & ex ore tanquam inutile reijci extra dubium eſt. Et quidem qua lingua irroratur iſta humiditas, & mandentibus præſto eſt, natura ſua eſt

est aquea, neque sapore, neque colore, neque viscitate excedit, quantitate etiam moderata est.

CÆTERVM cum omne excrementum coctionem aliquam præsuponat; materiam quidem huic excremento suppeditat partim coctio prima, quæ fit in ventriculo, partim tertia, quæ fit in cerebro: elaboratur vero in glandulis linguæ utrinque assistentibus, quas tonsillas vocant; ubi substantiæ modum, ac naturam suam, & nomen etiã accepit, consentientibus tamen, & concurrentibus, etiam linguæ, & partibus in ore calore. Et si vero ex ore, & alia excrementa pituitosa reijciãtur, & sæpè salivæ permisceãtur tamen saliva propriè tantum illud est, quod in tõsillis gignitur. Quod vero á thorace eijcitur sputum est, sicut, quod à cerebro defluit muccus appellatur.

QVANQVAM vero saliva excrementum est, natura tamen, id etiam ad certos usus destinavit. Primò enim ad cibi in ore masticationem, & ad primæ coctionis præparationem utilis est, quæ commode non perficeretur si saliva destitueretur sicuti in febribus sæpè apparet, cum os siccum est, neque cibus saliva conspergitur. Imo in ipso vẽtriculo coctio difficilior fieret si absque saliva esset, si is panem, & reliquos cibos aridos ab ore acciperet. Deinde locutio perfici non posset, si lingua, ac labra saliva non conspergerentur, quod quilibet si lingua, & labra saliva destituuntur experitur. Tertio etiam ad gustatum conducit saliva, & saporum quasi vehiculum est, & si lingua saliva destituatur, nullum, vel obscurum admodum saporem percipit.

HÆC omnia præstat saliva si fuerit omnino secundum naturam. Sæpè vero à naturali constitutione deflectit. Nã fit salsa apituita sic dicta. Hæc autem salsuginem acquirit in pluribus partibus, in ventriculo in hepate in pulmonibus, ex quibus partibus potest confluere ad fauces, & os. Verumtamen frequentissimè, salsuginosa redditur in ce-

rebro ab exhalationibus, & fuliginibus á toto corpore, & præsertim á pulmonibus elevatis; non secus, ac Mare fit salsum ab exhalationibus elevatis à sole, & aquæ commistis. Nonnunquam fit accida saliva; aut propter pituitam accidam, quæ ei admiscetur, aut quia ventriculus non benè concoquit. Datur pituita inter species accida, quæ habet frigiditatem cum partium tenuitate aliqua, nam quemadmodum acetum simul cum frigiditate habet partes tenues, ita hęc species pituitæ, & omne in sũma, quod habuerit acciditatem habebit etiam, & partium tenuitatem. Acciditas in ore aliquando attestatur supra ventriculi affectionem, nam quãdo cępit concoquere perficere tamen coctionẽ non potest producit acciditatẽ. Et in summa, ut plurimum fit acor à frigiditate cum partium tenuitate coniuncta, ut in aceto, in hac pituita, in accido citri, in imperfecta coctione licet experiri. Quamvis aliquãdo coniungatur cum magno calore in mixto, ut patet in calcanto, seu vitriolo, quod habet intensam acciditatem simul cum intenso calore. Nonnunquam etiam saliva redditur accida á permistione aliqua melancolię, nam ut inquit Galenus 3. acutorum. com. 3. accetosa est melancolia.

FIT amara saliva à bile, quę generatur, aut in ventriculo, aut in hepate, & inde fluit per continuitatem ad os: ut frequentissimè observatur in Febribus. In inedia magna etiam amaricat saliva, & est unum eorum symptomatũ, quæ in illa contingunt in biliosis, & calidioribus naturis. Aduritur enim illis sanguis palpitant tempora, fœces exiccantur, & os amaricat, quia præ defectu alimenti calor otiatur, & partem sanguinis comburit.

FIT saliva insipida à suis causis. Nota tamen, quod hic non sumitur insipida pro eo, quod sonat, nempe, quod sit expers, & privata omni sapore. Nam saliva naturalis, neq; sapore excedit ullo, neque calore. Sumitur vero hic insipida pro ea, quæ habet ad mixtum humorem aliquem vis-

ci-

cidum cum quodam indicibili sapore, ut observamus in pituitosis, quibus lingua madet tali humore, vel á putrefactione, vel ab alia causa, ita qualificato, ut pituitosi dicant se laborare tædio, *i gran desabrimiento.*

His dictis lectio Hebraica cum interrogatione legit benè. Nunquid est sapor in saliva sanitatis? Quasi dicat nullus. Quod est iuxta bonam medicinam, ut diximus. Nunc accedamus ad textum. Animæ esurienti etiã amara dulcia esse videntur. Esurire est famescere, seu cibũ avide appetere, quod non potest convenire animæ, sed corpori. Dicitur autem anima esuriens in textu, quia facultas, seu appetitus cibos desiderans, qui dicitur fames, & præsidet in orificio superiori ventriculi dicitur fames animalis, quia quamvis non fiat cum electione fit tamen cũ maxima sensibilitate propter multos nervos concurrentes ad orificium.

Hæc sententia expuncta est à sacra pagina á Divo Hieronimo, Beda, & alijs. Sed D. Gregorius, & plerique Latini eam admittunt. Dulcia, quæ significantur in textu non debent intelligi in rigore solũ quatenus præseferunt qualitatem gustabilem sub propria specie dulcedinis, secundum quam naturam habent aëream mediocrem, & temperatam omnino similem in symetria nostræ naturę ut reperitur in rebus propriè dulcibus, ut sunt mel, sacharum, mannà Liquiritia, & id genus alia. Sed etiam dulce sumitur pro eo, quod familiare est nostræ naturæ licet non habeat exquisitam dulcedinem. Nam Gal. 4. simplic. ut probet omne nutrimentum debere esse dulce sic procedit. Nutritio est evacuati repletio, sed id quod deperditum est, & evacuatum, erat naturæ familiare, & iucundũ, ergo quod de novo ex alimento accedit debet esse tale, sed quod iucundum, & familiare est illud est dulce, ergo omne, quod nutrit est dulce. Hoc videtur totũ fundamentum Galeni. Ex quo elicitur, quod illud poterit esse

ali-

alimentum alicui viventi, quod illi fuerit familiare, & quã vis non habeat saporem aliquem poterit vocari largo modo dulce, quia scilicet tali viventi est gratum, & familiare. Et patet nam plantæ nutriuntur aqua, & terra mixtis, quæ nullum habent saporem, tamen alimentum est plantis iucundum, & familiare, & tãquam tale attrahitur. Dices adhoc Galenum egisse de alimento animalium habentium gustum, plantæ vero carent gustu, ut docuit Galenus 8. de plãticis cap. 6. Tamen hoc nihil obstat nam partes animalium carent gustu sicut, & ipsæ plantæ. Considerare ergo oportet in alimento dulci duas res. Primò qualitatem ipsam gustabilem. Secundò ipsam substantiam alimentitiam. Ergo notandum, quod id, quod nutrit substãtia est ipsa alimenti, saltem, ut materialis causa nutritionis, alimentum enim est, quod convertitur in substantiã aliti. Qualitas vero gustabilis non potest subire hanc rationem nutriendi. Ergo tantum deservit, ut signum, & indicium, quo cognoscamus alimentum esse optimum, & familiare Hæc autem cognitio, nõ est necessaria in nutrito naturaliter, & fame naturali, nam partes nostri corporis sine cognitione dulcis nutriuntur dulci, & plantæ nutriuntur elementis, quæ neutiquam dulcia sunt, quia scilicet familiaria sunt ipsis plantis. Videsnè quomodo dulcedo non sit simpliciter necessaria ad nutritionem, nisi ut inditium quoad nostram cognitionem ad cognoscendam naturam alimenti? Quod etiam videbis in plantis amaris quæ cum debeant nutriri alimento simillimo sumpto ex elementis mixtis, erit tale alimẽtum amarũ nihilominus appellabis dulce illud, & familiare, quia respectu illarum tale potest appellari, siquidem est, quod appetũt, & quod attrahuntur.

AMARA qualitas iuxta Galenum 4. symp. 19. est in calidis simul, ac siccis, & tenuibus, & terrenis substantijs. Sed obijcies videri Galenum asserere dictis contraria cũ dixe-

rit

rit amara esse crassiora acribus, nunc dicit amaram qualitatem esse in tenuibus, propterea videtur contraria involuere eadem oratione dicens tenuibus, & terrenis. His tacitis obiectionibus respondens dicit: & si pugnare videatur cum terreno, quod tenue, nihil tamen hic dici repugnans; quia non asserit hic amarum esse simpliciter tenuè, sed quod in terrena consistentia esse possit. Nimirum, & si simpliciter tenue nullum terrenum esse possit, tamen, neque omnia terrena simpliciter crassa sunt, sed quædam tenuia, quædam crassa. Tenuia quidē, & terrena, ut calx, cinis, fuligo, & favilla: crassa, & terrena ferrum, ac lapis. Sed quo pacto possit fieri aliquid terreum simul, & tenue ipsemet explicat, dicens. Calx, & cinis, & quidquid exacte perassatum fuerit, nimirum terra omnis ustione redditur tenuis; tenuis inquam (ut hoc quoque nunc memineris, quod capite 2. lib. 1. 3. & 4. de simpl. med. fa. animadvertitur) ut Medici utuntur nomine tenuium scilicet partium, quo significato, tenue est omne, quod tum est friabile, tum, & aliquas partes tenues habet commixtas cum crassis. Cum enim terra, ut indicatum est 4. meteor. Accipiat cōtinuitatem ex aqua siccatione fiet seiuncta, & friabilis. Hæc itaque ratio est qua fiunt quædam tenuia, & terrea. Ferrum, & lapidem ignitum, dicit Galenus, dicto loco esse quidam crassius quam cineres, terreumque, & calidum, ut illi; itaque cineres dicit esse terreos tenues, & calidos; lapides ignitos terreos crassos, & calidos. Ob idq; ferro lapidique ignitis similia esse venena calida, quæ corrosione interimunt, cum scilicet corporis calore huc perducuntur, ut sint quasi ignita, hoc est postquam ad actum sunt deducta à nostro calore, velut Calcytis, Mysi fori. Amarum igitur est calidum, & siccum, & siccius quam acre. Et ut probat Galenus, dicto loco, omnium siccissimum interim tradens etiam naturam salsi, habent enim salsum & amarum naturas proximas, fitque salsi intensione amarum.

rum. Verumque enim gignitur ex terra adusta, amarum vero ex exusta magis, adeo, ut sit exustione extenuata iã. Itaque, & salsum, & amarum est terreum, & exustum, amarum vero siccius, & calidius, & magis exustum, & quam salsum tenuius; salsum contra crassius ob id salsum extergent, minus tamen quam amarum, verum amarum non adstringit, ut quod salsum.

SIT primum corollarium. In fame, & appetitu non solũ sumuntur ea, quæ propriè dulcia sunt, quæque habent naturam aëream, & symetram, ut mel sacharum, & id genus alia, verum etiam absurda alimenta, & quandoque amara. Nemo tanque volet amarũ sumere, nisi esuriat, esurienti enim etiam lapides dulcescunt, & amara, ut ait noster textũs dulcia esse videntur. Et ut diximus superius. Hic dulcia nõ sumuntur pro dulcibus propriè, sed pro gratis, & familiaribus, si enim sunt amara, non possunt videri dulcia, nisi mens laboret, possunt tamen sumi, ut iucunda, & familiaria, quia tanta potest esse fames, & indigentia cibi, ut possit nutriri amaris, ut absintium nutritur ex parte terræ amariore. Ita legitur ferè eadem sententia, Proverbiorum 27. Anima saturata calcabit favum, & anima esuriens, etiam amarum pro dulci sumet.

SIT secundum corollarium. Hæc sententia potest legi alio modo satis ad literam. Vt animæ esurienti dulcia, etiam amara esse videãtur; quemadmodum amara dulcia esse videntur, etiam si sumamus dulce pro eo, quod exquisitè tale est. Nam ut diximus supra in esuritione, & inedia amaricat os, & saliva, quia comburitur sanguis, palpitant tempora, fæces exiccantur in intestinis, & quod magis est inediam patiens sit mæstus, & iracundus. Igitur si amarum habet os necessariò, etiam, quod est propijssimè dulce iudicabit amarum, ut febricitantes, quibus omnia amarescunt, etiam cibi dulces. Quod vero fiat iracundus inediam patiens videtur insinuari in Isaia cap. 8.

ubi

ubi legitur: Et cum esurierit irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum.

CAPVT XXV.

N*Unquid mare ego sum, aut cetus; quia circumdedisti me carcere?* Iob *cap.7.*



LABORIBVS, & erumnis circumscriptus Iob, ad seipsum revertitur, & ait in versu antecedēti. Loquar in tribulatione spiritus mei confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Sed quasi exhorrescens strictam sæpem quasi quærulus interrogat nunquid mare, ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?

CETVS est piscis grandis cuius carcer est mare vastissimum, quoniam ab ullo flumine capi non potest. Et maris dicuntur carcer arenæ iuxta Hieremiam. Me non timebis, qui possui arenam terminos mari præceptum sempiternum, quod non præteribit? Aliqua debent explicari difficillima, ut textus intelligatur.

CONTROVERSIA est satis cōflicta inter Philosophos, & Theologos utrū mare sit elevatū supra terrā, vel sit cōclusum in cavernis, & cōcavitatibus illius. Quod habeat mare sedem superiorem, & eminentem videntur affirmare. S. Thom. S. Basilius, Burgensis, Canus, Cicero, & colligitur ex sacra pagina, in qua tribuitur brachio potētissimo Dei, quod detineat imperio suo fluctus maris ne terrā cooperiat. Capite 8. Proverbiorum dicitur: *Legem ponebat aquis ne transierent fines suos*, & cap. 38. Iob. Quis conclusit ostijs mare quando erūpebat quasi de vulva procedens cum ponerē nubem vestimentū eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem? circumdedi illud termi-

nis meis, & possui vectem, & ostia, & dixi, usque huc venies, & non procedes amplius, & hic cōfringes tumentes fluctus tuos. Et in dicto cap. Hieremiæ. Me non timebis, qui possui arenam terminos mari præceptum sempiternum, quod non præteribit? & cap. 26. Iob. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux, & tenebræ.

IDEM videtur postulare natura aquarum, ut ostēdit illarum inclinatio. Guttæ roris, & aquarum cadentes super terrā recolligunt se, & uniunt in formā sphericam, & rotūdam, quod nullius potest esse effectus, nisi inclinationis naturalis media, qua per emanationem producit figuram illam orbicularem, sibi connaturalem aqua, tum ad suam conservationem, tum ad pugnam contra contraria. Igitur ostendit habere diversum orbem, & globum á terra, & eminentiorem. Nam per primum motum appetit spherā connaturalem, & connatur eam conservare. mox vero cū non possit, quia fluida facta est propter bonum universi ad irrigandam, & fœcundandam terram, amittit figuram sphericam, & fluit.

ET ordo etiam elementorum hoc sibi iure vendicat: nā terra elementum gravius, & pōderosius, infimum universi locum petit, & à cœlo distātiorem, & si locatur in eminentiori loco supra mare, educimus terram, & mare à sede, & centro naturali quo necessum est, quod violentiam patiantur.

SVADET etiam iudicium venientium á voragine maris in portum, apparet enim illis terra quasi aquis immersa, & in loco inferiori, & dum illi approximantur iudicant turres erigi, & levari sicut, & montes; ergo signum est elevatius esse mare terra. Argumentum autem à sensibus sumptum non levem videtur habere energiam, & efficaciam.

CONTRARIAM sententiam defendere videntur. D. Ioā. Chrysost. hom. 9 ad populum Antiochenum. D. Hieronimus

mus in expositione illorum verborum. Psal. 32. *Congregãs sicut in utre aquas maris*. D. Ioannes Damascenus, Caietanus, Pererius, Lipomanus, & Honcala super Genesim. P. Clavius in sua sphera, Coimbricenses in libris de cœlo. P. Molina in tractatu de opere sex dierum. Vallesius in sacra philosophia cap. 1. cap. 33. & alij.

PROBATVR ex sacra pagina, nam Psal. 23. dicit David, Loquẽs de terra, seu terræ globo: *super maria fundavit cũ & super flumina præparavit eum*. Vt quemadmodum flumina decurrunt per canales, & aquæductus profundos, & inferiores reliqua terra, sic mare teneat sedem in inferiori loco. Psalmo 106. legitur *Qui descendunt mare in navibus*. Descendere autẽ est de loco superiori in inferiorẽ.

RATIONES quæ suadent hanc sententiam sunt. Quod si mare esset superius terra non indigerent naves vento, & remigio ad tenendum portum, vel accedendum ad litus, cum naturali pondere possent descendere, & ire in declive. Et in solvendo portu remigantes invenirent maiorem difficultatem in ascensu navium oneratarum in maris altitudinem contra naturale pondus.

DEINDE ex motu fluminum sumitur alterum argumẽtum; quæ decurrunt ad mare naturali aquæ pondere; & si mare superius esset ascenderent flumina contra naturalem impetum, & non egeret arx Toleti ingenio Ioanneli, ut ascenderet aqua in domum regiam. Quin, & terræ maritimæ censentur inferiores reliquis ex fluminum descẽsu. Sumitur etiam argumẽtum ab insulis quæ sunt gẽmę maris, ut inquit D. Ambros. & ab scopulis, & saxis, quæ apparent in medio abyssi, & sunt partes terræ, quæ elevatur ex profunditate aquarum, & manifestãt conclusum esse mare intra magnas terræ concavitates.

EXPERIMENTVM etiam navigantium facit, etiã argumentum, qui cum terræ approximantur, quã primũ prospiciunt cacumina montium, & turriũ summitates, dein-

ceps vero partes, quæ vicciniores sunt planitiebus, & tandem superficiem terræ. Quod ita non contingeret, si emineret, & superius esset mare, quia elevati nautæ supra mõtem aquarum quem efficiunt aquæ elatæ supra terræ superficiem prospicerent simul summa, & ima montium, & turrium; sicut qui accedit ad montis fastigiũ omnia prospicit, quæ in planitie se offerunt.

VLTIMVM argumentũ. Quia foret indecens naturæ aquæ, quod sit à Deo conservãda iugi, & cõtinuo miraculo, ne terrã inundet, & cooperiat. Siquidem divina providẽcia quãvis attingit à fine, usq; ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter, iuxta exigentiam cuiusque naturæ Nec est locus in sacra pagina, qui cogat adhoc miraculum continuum admittendum; quia attribui omnipotentiæ creatoris, impetum maris cohibere solum significat magnitudinem Dei, qui cum exigeret natura aquæ terram inũdare, & cooperire, eam separavit, ut appareret arida, & posset esse teatrum animalium omnium terrestrium, & solet sacra pagina effectus mirabiles, & qui habent causas occultas, & ignotas, illos referre in solũ Deũ licet etiam creaturę operẽtur, ut patet in illis verbis. Esai. 4. Quis appẽdit tribus digitis molem terrę? quasi dixerit; ego solus talia mirabilia efficio cũ sit verũ in bona philoso phia, quod terra citra miraculum propria nititur gravitate iuxta illud Psalmi 103. *Qui fundasti terram super stabili tatem suam.* Hoc est alia non iecit fundamenta: Dominus ad sustinendam terram pręter stabilitatem firmitudinem, & gravitatem suam.

IOB cap. 32. Interrogat ipse Deus Dominus noster. Quis est pluvię pater? vel quis genuit stillas roris? quod est idem, ac dicere, ego mitto pluviam, & rorem, & nivem ad fœcundandũm terram. Et tamen omnia huiusmodi habent suas causas naturales.

RESPONDENT ad illam istantiam de figura sphærica

gut-

guttarum aquæ, quod quamvis hoc sit, ut se defendant à siccitate persequente, non est credendum, quod mare naturaliter habeat eandem figuram; quia põdus, & gravitas aquæ, quando est nimia vincit hanc inclinationẽ ad unionem, ut videmus in fluminibus, & torrentibus, quæ fluũt sine huiusmodi figura spherica.

NEQVE negãt auctores huius sententiæ, quod aliquo modo aqua non sit extra locum naturalem, quandoquidẽ ex postulabat terram cooperire. Non tamen est propriè violentata, siquidem nititur super partem quam habet infra se; sicut cacumina montium non patiuntur violentiam quando superant aërem vallium, quia aëre non nitũtur, sed ipsa terra. Et aqua putealis citra violentiam existit infra parietes à lateribus erectos cum habeat aliud fundamẽtum quo nitatur.

HÆ sunt opiniones validiores, & recentiores, quæ tamen mea sententia, nisi quodadmodo coerceantur omni ex parte non sunt veræ. Illas limitabimus quibusdam conclusionibus.

PRIMA est terra, & aqua constituũt unum globum, & corpus rotundũ, ut utriusque sit idem centrum, quod & totius mundi. Patet hæc conclusio ex combinatione horũ duorum elementorum gravium, & inter se unitorum. Et probant Astrologi navigantes, & periti nautæ experiũtur integra circulatione quam efficiunt, ab oriente in occidẽtem, & ab occidente in orientem; inferentes hanc rotunditatem terræ, & maris ex differentia quam habet sol in ortu suo, & occasu, citius orientalibus, tardius occidentalibus. Et hoc non solum habitantibus, vel insulam, vel civitatem, sed etiam navigantibus, quibus etiam celeriores, & tardiores ortus, & occasus fiunt. Et idem observant periti in arte in elevatione poli commeantes, vel navigantes ab uno in alterum polum.

DEINDE etiam constat, quod fecit Deus ingentes sinus

intra quos colligi iussit magnam aquarum portionem in visceribus terræ, quæ proinde facta est cava, & an fractuosa, ut caperet abyssum immensum, atque ita caperet, ut neque absorberetur illa aquæ moles, neque redundans inundaret terram, sed tantum eius relinqueret detectum, quantum ipsi rerum opifici visum est. Confirmatur, quia in peripheria globi terræ certum est, quod montes excelsissimi, ut sunt Alpes, & montes Armeniæ superiores sunt omni superficie cuiuscunque Maris; ergo aqua quæ cum terra permiscetur unum, & eundem globum efficit, & centrum mõtium excelsorum erit centrum aquæ, quæ subter illos est.

SECVNDA conclusio. Mare secundum superficiem convexam, & peripheriã elevatius est multis partibus terræ; quamvis non omnibus. Hæc conclusio duas habet partes. Prima, quod sit elevatius mare terra. Secunda, quod non secũdum omnes sui partes. Prima pars probatur primò, ex communi suppositione omnium philosophorum, qui hanc habere dispositionem elementa in mundo affirmãt, ut terra habeat certam quandam magnitudinem; aqua vero decies sit maior terra; & aër sit decies maior aqua, & ignis sit adeo magnus, ut aër sit decima pars illius. Facta autem hac communi, & recepta hypotesi elicitur argumentum.

ETENIM, si aqua continetur intra cavernas terræ, & extra superficiem eius nõ eminet, nec elevatur, sed equalem habet cum terra superficiem, non solum non est decies maior terra, sed nec equalis; ergo mare elevatius est ipsa terra. Antecedens patet, quia continens non potest esse minor contento. Dices benè potest esse aqua contenta in vase vitreo subtilissimo, & tenuissimo maioris molis quam vas ipsum; aliud enim est habere cavitatem, & aliud quantitatem, & molem. Sed dicimus, quod terra non est vas solum continens aquam subtilissimum, &

ce-

tenuissimum, nam habet vastissimam molem, & quantitatem magnam, circa centrum enim est adamantina, & solidissima, & circum circa secundum magnas dimensiones non continet aquas; nisi infernum, & reliqua conceptacula, & non in omnibus partibus, etiam si excaventur profundissimi putei reperiuntur aquæ, nisi iuxta flumina & maria; terra ergo magnam habet crassitiem, & soliditatem secundum plures partes quamvis, secundum alias sit anfractuosa, & cava, & contineat aquas. Igitur aqua, ut possit æquare terram, nedum longo intervallo excedere, ut esset decies maior præter magnum abyssum eius quem terra continet super ipsam terram debet esse multò maior, quæ á terra non contineatur, quoniam urget eadem difficultas, sed supereminear, & elevetur, quamvis non secundum omnes partes, & montes excelsos saltem secundum plures.

SECVNDO probatur conclusio. Flumina intrant in mare, & quamvis descendant, usque ad oram non tamen ulterius, sed potius, quia conantur ingredi, & ascēdere non possunt regurgitant, & retrocedit aqua. Nam, ut dicitur, 1. Ecclesiastes, omnia flumina intrant in mare, & mare nō redundat. Ergo si retrocedit flumen ideo, quia ascendere non potest; nam si posset descendere quemadmodum descendit, usque ad oram maris descenderet ulterius, & tunc esset impossibile, quod regurgitaret, quia contingeret hoc ascendendo, quod esset contra naturam aquæ.

TERTIO, quia superioribus temporibus extant historiæ, quod quædam loca mari submersa fuerint, ac nunc etiam alia periclitantur mergi; ergo ex pondere ipsius aquæ, quod iuxta propriam inclinationem minatur fluxum, & descensum. Hoc experitur Olandia, & Zelandia, ubi erigūtur chelæ, seu obstacula quædam vulgo Diques ad obsistendum mari. Nec valet, quod ait Vallesius in sacra philosophia cap. 52. Magna ex parte illic non tam de-

tineri quominus constitutos sibi fines excedat mare, quā ab illis finibus arceri obstaculis illis ab incolis factis, atque cum alijs insularum partibus arceatur, non potest alias invadere. Nam obstacula illa simul arcent mare, & detinent, & idem prorsus est arcere, & detinere. Et si mare ex parte illa non minaretur mergere terram quorsum arceretur ab illis finibus. Flumina solent arceri septis quibusdam, vel ut inundent ripam contrariam, vel ut impellantur, ut aliquam partem terrę aridam relinquant. Neutrum intenditur in mari Olandiæ, & Zelandiæ. Igitur arcentur, & detinentur quo minus fluant, & inundent; alias enim inundarent, & ut hoc fiat necessariò mare est elevatius, quia fluxus est sursum deorsum.

SECVNDA pars conclusionis, nempè, quod mare nō secundum omnes sui partes sit sublimius terra Ex eo suadetur, quod nō sint verisimile sublimius esse alpibus, & alijs excelsissimis montibus Armeniæ. Nam, ut colligitur ex sacra pagina ad delendam omnem substantiam, quæ erat super terram tempore diluvij, & ut operirentur omnes mōtes excelsi sub universo cęlo non solū iussu dñi aquæ omnis maris inundaverunt super terram, sed rupti sunt fontes abyssi magnę, & cataractæ cęli aperti sunt, & facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Non enim sufficiebant aquæ maris cooperire montes excelsos, quamvis submergerent plures partes terræ, ideo addidit Dominus aquas abyssi, idest, quę sunt in immēso baratro in visceribus terræ. Narrat sacra pagina suo ordine aquarum cōcursum, his verbis: rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cęli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

TERTIA conclusio. Aquæ maris contra propriā naturā sunt cohibitę, & conclusæ in loco suo; ut hoc sit unū inter Dei mirabilia.

ETIAM

ETIAM sunt textus in sacra pagina, qui maiori virtute favent huic conclusioni. Nam Psalmo 68. inquit Propheta: *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*; ergo mare est sublime, & cum aquæ suo pondere fluant detẽtæ, & cohibitæ sunt cõtra propriam naturã. Psalmo 105. legitur, *& irritaverunt ascendentes in mare, mare rubrum*. Ascendere est de inferiori loco in superiorem.

PROBATVR primò. Quia Deus creavit elementa in statu naturali, nam qui dat formam dat consequentiam ad formam. Et unum quodque ens naturale creavit cum sua perfectione; sed Deus creavit aquas super omnem terram inundantes, ut terram cooperirent; ergo quando postea illas separavit, & congregavit in locum unum posuit eas in statu violento, & contra propriam naturam. Maior propositio, videtur per se, certa, non enim est dicendum ex manibus creatoris perfectissimi evasisse violentatas. Minor est de fide, quia ait sacra pagina; congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida; ergo inundabant terram consequentia patet, quia si naturaliter inundabant, cohibitæ, & conclusæ in uno loco, ut non inundent contra propriam naturam detinentur.

SECVNDO probatur argumentis secundæ conclusionis. Nam si mare est sublimius pluribus partibus terræ, cõtra propriã naturam cohibetur; nam aqua ex sua natura fluit suo pondere in inferiorem locum si non impediatur. Et fuit congruentissimum, quod ita collocaretur, & iuxta legem, quæ observatur in alijs elementis, & in ipsamet aqua. Nam aër calidus est, vel in summo, vel propé iuxta cõmuniorem sententiam, & ita creatus, & propter bonum universi, & generationes viventium patitur violentiam, quandoquidem prima aëris regio, & medietas secundæ non est calida, sed quandoque frigida à vaporibus elemẽti aquæ: loquor de prima regione, quæ propter re-

reverberationem radiorum solis est calida æstate, frigida hyeme; nam mediatas secundæ semper est frigida, quia non consequitur simile solis reverberium, & aqua, ut latè probabimus super capit. 7. Iosue creata fuit concreta, & condensata in primo instanti suæ creationis, mox vero facta fluida propter bonum universi ad irrigãdam, & fœcundandam terram. Atque ita, & ipsa est contra propriam naturam licet sit secundum naturam universi. Eodem modo cohibita, & frenata intra maris limites existit contra propriam naturam, verumtamen secũdum naturam universi; alias enim non apparet arida, neque fierent generationes animalium, & plantarum.

TERTIO probatur argumentis primæ opinionis, & præsertim sumpto ex iudicio venientium à voragine maris in portum, quibus apparet terra, quasi aquis immersa, & in loco inferiori. Et dum approximantur turres erigi, & levari, sicut etiam, & ipsos montes.

SVPEREST iam, ut respondeamus argumentis contra conclusiones. Et primò non benè colligitur, ex verbis Psalmi, *super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eũ*, quod quemadmodũ flumina decurrunt per canales, & aquæductus profundos, & inferiores reliqua terra; sic mare teneat sedem in inferiori loco. Nam si sunt in inferiori loco, quomodo orbis, seu globus conflatus ex aqua, & terra ex mare, & fluminibus fuit fundatus super maria, & flumina? Ex hoc Psalmo melius intelligitur secunda pars nostræ secundæ conclusionis. Fatemur enim in illa, quod montes excelsissimi super eminent maria, & flumina; & ideo super maria fundavit eum, id est globum ex parte montium.

IN Psalmo 106. *Qui descendunt mare in navibus*: Non videtur psaltem loqui de his, qui solvunt oram, & ingrediũtur naves, & mare, sed de his, qui recipiunt se in portum, & egrediuntur mare, ut idem sit dicere, qui descendũt ma re

re in navibus, ac qui descendũt de mare in navibus, & portum tenent, & hi quidem descendunt de altitudine maris. Cõfirmant sensum verba sequẽtia textu immediato. *Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo*, quæ non possunt intelligi de his, qui solvunt oram, qui adhunc non viderunt, sed de his, qui veniũt ad portum, *quia iam viderunt mirabilia eius in profundo*.

AD primam rationem respondetur. Quod naves indigent remigio ad tenendum portum ob ventorũ contra dictionem, alias enim facilius accederent, quia descenderent. Multoties tota vi conantur tenere portum, & non possunt, quousque favet ventus, & tenent. Et in solvendo oram, seu portum inveniunt difficultatem, ut aliquando indigeant remulco trahi, quousque sunt in mari. Quod clarius est signum à litore in altum mare ascensum dari.

AD argumentum sumptum ex fluxu fluminum, respõdemus flumina moveri in declive, usque ad oram maris deinceps vero non amplius fluere, quia ascenderent, & ideo retrocedunt, & regurgitant, ut diximus. Si flumina, verbi gratia, quæ ingrediuntur mare pacificum, seu mar del Sũr vocatum descenderent, usque ad Malucas globus terræ non haberet figuram sphericam, & ex parte Malucarum non possent descendere flumina. Ergo datur altitudo in mari vastissimo, & immenso.

ALTERA ratio, quæ sumitur ab insulis dumtaxat infert, quod nos concessimus in secunda parte secundæ cõclusionis; nempè, quod mare sit superius pluribus partibus terræ, & inferius montibus excelsis, & scopulis. Et hoc congruit maximè globo conflato ex terra, & aqua, ut secundum aliquas partes mare sit superius terra, & secundum alias terra sit superior mari, illam contineat, & ab illa contineatur.

SIT corollarium, & responsio ad ultimas rationes. Textus noster debet intelligi in sensu literali, & rigoroso. Et quem-

quemadmodum, inquit Iob, mare, & cetus circumdantur carcere. Cetus non solum, quod in quantum piscis in mari contineatur, hoc enim non foret carcer sicuti animalia terrestria, etiam si contineantur in terra, & ad mare non transeant, non dicuntur carcere circumdari. Sed quia cetus continetur tanquam in carcere in mare maiori, & Occeano, ita ut illi ad Mediterraneum, non liceat transitus.

MARE carcere opprimitur, quia cum superius sit pluribus partibus terræ necessariò suo pondere, & fluxibilitate debebat terram inundare, & cooperire. Vrgetur tamen, & frenatur à divina voluntate, quasi in carcere intra certos limites. Vt eleganter cecinit Poëta carmine nostro, D. Franciscus Quevedo.

La voluntad de Dios por grillos tienes,
i escrita en el arena lei te humilla,
i por besarla llegas a la orilla,
mar obediente a fuerça de baivenes.
En tu saberuia misma te detienes,
que humilde eres bastante a resistilla
a ti misma tu carcel maravilla,
rica por nuestro mal de nuestros bienes.
Quien dio al pino, i Abeto atrevimiento
de ocupar a los peces su morada,
i al lino de estorvar el passo al viento:
Sin duda el verte presa encarcelada,
la codicia del oro macilento
irà de Dios al hombre encaminada.

Sed inquiunt in decens foret naturæ, quod esset conservã-

da

da aqua continuo miraculo. Profecto in rigore miraculũ est cohibitio quo minus aqua maris terram inundet, quia est conservatio aquæ in statu contra propriam naturam. Non tamen censetur miraculum, quia est secundum naturam universi. Sit exemplum elegans. Si aqua ascenderet ex loco inferiori in superiorem miraculum esset. Quando vero ascendit per fistulam exufflatione non censetur ita, quia ascendit aqua ne detur vacuum, & hoc est secundum naturam universi quamvis sit contra naturam aquæ. Quia fuit consentaneum mundum hunc inferiorem contiguum esse lationibus superioris, ut gubernaretur, & ne daretur vacuum. Pariter, quod aqua maris sit superior terra, & quod non fluat, & illam inundet, est miraculum, licet non iudicetur tale, quia quamvis sit contra propriam naturam, est tamen secundum naturam universi, quia opportuit, ut fierent generationes animalium, & plantarum, quod aquæ essent congregatæ in locum unũ, & appareret arida.

Neqve negant auctores dicti, quod aqua aliquo modo sit extra locum naturam; verum maxime, quod sit violentata. Sed quæ maior violentia? Cæterum quando est propter bonũ universi non censetur talis; nã, & aër calidus ex natura sua frigidus est in prima regione ob bonũ universi. Ratio cur non sit violentata ridicula est. Aiunt enim, quia nititur super partem quam habet infra se, sicut cacumina montium non patiuntur violentiam quando superant aërem vallium. Hoc enim frivolum est, nam montes non possunt fluere, etiam si super emineant aërem valliũ sicut aqua maris.

Demvm auctoritates tam repetitæ, ut vidimus in principio huius commentationis, quæ ostentant magnitudinem legislationem, imperium, & dominium potentiæ divinæ nonne inter mirabilia reponũt claustrũ aquarum? Nonne res est mirabilis, quod fluctus maris adeo

ele-

eleventur, ut nubes irrigare videantur, & quod accedentes ad litus in seipsis confringantur & sistant impetum, ut terminum constitutum à Deo non prætergrediantur? Dices forsam, quod accedentes ad ultimam oram amisserũt vim. Sed vide fallatiam. Aliquando rates, & naves ab illis impulsæ confringuntur omnino in litoris rupibus; ergo fluctus maximũ habent impulsum, & vim ad præter fluendum, & tamen non longè á rupibus, ubi sola levis arena cingit terram repente enervantur; ergo elucet brachium Dei. Meritò dicitur in Psalm. 88. *Motum autem fluctuum eius tu mitigas*. Quid mirabilius, quod incremento maris aliquid præter fluat, & quod naturaliter sicut in ascẽsu aquæ per fistulam, aut in sectione venæ possit fluxum continuare successione ad id, quod evacuatur, & ad servandã continuitatem: & tamen non cõtinuet, sed potius retrocedat, & vires reprimat? Mihi stupor est naturæ. Loca aliqua superioribus temporibus non fuerunt mari submersa per miraculum, sed per cessationem miraculi. Confirmat Iob cap. 26. In fortitudine eius repente maria cõgregata sunt. Minimé sensim, & paulatim, ut fit naturaliter.

CAPVT XXVI.

F*Acies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt*. Iob. *cap. 16.*



SVPER caput 18. Genesis, prætextu risus Saræ multa diximus de risu: nunc autem dicturi de fletu illa omnia necessario iterum resumimus, quia risus, & fletus sunt contraria, contrariorũ autem, ut habemus ex philosophis eadem est ratio.

PRIMO notandum levem fletum, ac parvum medijs musculis, buccas oculos labiave moventibus fieri. Inten-

sio-

fiores vero fletus fieri tum his medijs musculis, tum alijs qui thoracem movent, tum medio diaphragmate, tum alijs laringam moventibus, cum enim voces cum gemitu, in talibus existant fletibus necessario partes, & musculi movebuntur qui voces efficiunt, & agunt in vocis productione.

SECVNDO notandum modum quo fletus fit, non esse diversum, sed eundem cum eo, quo cæteræ fiunt motiones medijs musculis, nempe per cõtractionem musculorum qua media, & labia diducimus, vel cõstringimus thoracem, & asperæ arteriæ caput, & dilatamus, & constringimus, quod cum magna vi vibratur, scilicet cum contrarijs musculis guttur repetitis vicibus repente, & cũ magno conatu aperitur & clauditur, fit vox luctuosa cum suspirijs, quæ dicitur fletus.

TERTIO notandum, ex dictis constare posse, fletum motum esse animalem cum medijs fiat musculis, & animalium actionum, ac motuum complurium animalium, quales sunt motus labiorum oris thoracis, gutturis fit compositio quædam, & consequenter ab animali facultate effective promanat.

HIS dictis Fletus sic potest definiri ad nostram maiorem intelligentiam. Est respiratio rara, & interrupta ex retrocessu calidi influentis à partibus faciei ad cor præ mæstitia. Nunquam vidi ex instituto definitum fletum, sed descriptum dumtaxat, vel adumbratum; quocirca venia sum dignus si minus exacte, vel ex longitudine, vel adæquatione definitionis, ut oportet fletum attigerim. Verum singulas particulas examinemus.

DICITVR respiratio, quia in ea consistit, ut vidimus in notabilibus; nam motus buccarum, laringis thoracis, & & diaphragmatis omnes commitantur respirationem. Diximus quando agebamus de risu illum esse semiconvulsionem musculorum buccarum productam à novitate de-

le-

lectabili medio calido influenti. Et cum fletus sit contrarius risui, etiam intercedit calidum influens, quod ad cor retrocedit: affectoq; corde, quodadmodo per aggravationem necessum est, quod respiratio ledatur.

ADDE, quod motus buccarum, non semper committatur fletum, ut patet, quia sunt plurimi qui flent cum tanta modestia, & circumspectione, ut nullum buccarum incompositum edant motum, etiam si lacrymas effundant. Gemitus, vel exiguus, vel magnus semper complicatur cum fletu; at gemitus est suspirium; hoc autem iam patet, quod consistat in respiratione, ut in fletu Annæ uxoris Eli.

DICITVR rara respiratio, quia in mæstitia cor opprimitur, & aggravatur, & consequenter quodadmodo suffocatur, ac propterea non habet, ita ingentem calorem, ut indigeat magna inspiratione. Quod vero opprimatur experientia ostendit. Nam flentes aliquando sentiunt, sibi cor veluti inter duas tabulas exprimi; & quando, vel lacrymatione, vel consolatione alia sublevatur, qui ex tristitia flet cor sibi laxari indicat, & dilatari. Aliquando mæsti, & tristes adeo absorti existunt, ut respirationis obliviscantur. Itaque constat, quod respiratio fit rara fletus; imo, ut quisque poterit in seipso experiri contra imminentē fletum, aut saltem lacrymationem est remedium celer, & frequens respiratio: Forsam, quia celeri, & frequenti respiratione cor commode ventilatur, & quodadmodo divertitur tristitia, & quia expiratione repetita à fuliginibus magis expurgatur cor; ast fuligines augent melācoliam, sunt enim ex natura suæ nigræ, & quodadmodo crassæ.

DICITVR fletus respiratio interrupta, hoc est inæqualis. Solet enim, quies illa, seu raritas respirationis interrūpi cum aliqua inspiratione, & expiratione celeriori, & frequentiori, aut cum magna respiratione qualis in suspirio percipitur. Suspirium nanque nihil aliud est quā magna

na respiratio minoribus succedés. Hoc est, quod Hispano vocabulo dicimus, *gemidos*, *ò sollozos*. Nonnũquam enim expirationes repetuntur tanta celeritate, ut inspirationi veluti non detur locus; nonnunquã econtrario inspirationes accelerantur, ita, ut solum expiratio videatur dirimere motum contrarium. Hoc autem contingit iuxta diversam exigentiam usus similium motuum. Nam aliquando acceleratur inspiratio, quia tanta fuit raritas huius motus, ut celeritas succedat, ad illam supplendam præsertim cum instat necessitas generationis spirituum, qui in fletu, & mæstitia plurimi consumuntur. Aliquando vero acceleratur expiratio, cum maxima datur urgentia expurgandarum fuliginum in corde, quæ solet instare in melancolia, & fletu; & fulgines melancolicæ, quatenus crassiores magis adhuc quam aliæ expurgationem concitant. Respiratio, & pulsus, quia ad eundem ferè finem instituta sunt à natura maximé habent naturam proportionalem. Atque ita respirationes, quæ reperiuntur in fletu quodadmodo assimilantur pulsui dicroto, & bis pulsanti, nã, ut in dicroto pulsu veluti duplex pulsatio observatur, ita in fletu veluti duplex, aut expiratio, aut inspiratio percipitur. In pulsu dicroto ante quã arteria totũ suum motum perficiat retrocedit, & exigua facta contractione iterum assurget ad motum perficiendum, & secundo ferit, ut ita duplex appareat pulsatio, quæ tamen unica distensione constat. Idem observamus in magno fletu, & cum magnis gemitibus, in quo duplex expiratio, aut inspiratio solet fieri, quia ante quam thorax totum motum perficiat solet duplicare actionem.

DICITUR, quod in fletu retrocedat calidum influens á partibus faciei ad cor. Diximus cum de risu aggebamus, quod in risu calidum influens movetur. Idem dicimus in fletu, quia sunt contrarij. Calidum enim influens est commune instrumẽtum plurium actionum in corpore, quod

ſuam conſiſtentiam ſitam habet in ſanguine arteriali, & ſpiritu, quo mediante celebrantur omnia pathemata ira timor, mæſtitia, verecundia. Cum ergo in fletu detur mæſtitia calidum innatum, ultro citroque agitari in fletu neceſſum eſt.

DICITVR, quod retroceſſus caloris innati eſt à partibus faciei ad cor. Partes faciei, & cor ſunt termini à quo, & ad quē motus calidi influētis in riſu, & fletu; cū hac tamen contrarietate: quod in riſu terminus á quo eſt cor, terminus ad quē ſunt partes, quæ pertinent ad faciē. In fletu vero terminus à quo ſunt partes in facie, terminus ad quem eſt cor.

IVXTA huiuſmodi doctrinā diſſolvitur problema. Cur nos ridentes lacrymas emittamus frigidas; & flentes emittamus calidas. Gentilis 3. tertij tractatu 2. cap. 26. quæſtione decima reſpondet. Quia riſus tempore facies caleſcit, quapropter lacrimæ frigidæ perſentiuntur. Tēpore vero fletus, quia frigida eſt facies à lacrymis videmur incaleſcere, nam membrum calidum, quod eſt remiſſe tale frigidum iudicat; & econtra membrum frigidum tepidū iudicat calidum. In riſu facies calida eſt, quia ut diximus movetur calidum influens à corde ad faciem à quo incaleſcit. Aſt in fletu quoniam movetur à facie ad cor relinquit faciem calore privatam.

SED dices, quia etiam ſi frigida ſit facies in fletu non incaleſcet à lacrymis, niſi, & ipſæ calidæ ſint, aut tepidæ. Quia ſi frigidæ dumtaxat poſſunt remittere non nihil frigiditatem faciei, quia remiſſum remittit intenſum, non autem inducere calorem. Conſtat verò experientia, quod in fletu non ſolum lacrymæ ſunt minus frigidæ, ſed etiam calidæ, aut tepidæ. Et ut referunt D. Petrus, & alij Sancti ex multa, & repetita lacrymatione habuerunt valliculas, ſeu rivulos in facie, quod proveniebat ex calore, & acrimonia lacrymarum.

RES-

RESPONDETVR, quod revera non solũ, quod facies sit in fletu frigida, ut est de facto, lacrymæ sentiuntur calidæ, sed quod re ipsa aliquale habeant calorẽ. Huius vero causa est; quia in retrocessu calidi influentis in fletu contingẽte interiora sunt, quodadmodo calidiora, ex quibus evaporatio, quæ ascendit, cerebrum calefacit, & consequenter lacrymæ, quæ ibi condensatur calorem contrahunt. Nam quemadmodum flamma angustata ascendit magis in piramidem, & urit magis. Ita evaporatio partium internarum in interioribus coacta magis pyramidalis ascendit in caput, & proinde calfacit. Ostendunt vigiliæ, quę fletum solent commitari.

QVÆ omnia suadent calidum influens recurrere ad cor in fletu, quemadmodum expanditur in risu ad faciem. Ob id etiam oculi exhilarantur, & læti sunt in risu; ut in fletu tristes, & caliginosi defectu spirituum. Partes facici sunt destitutæ in fletu, ut in risu sunt turgidulæ, & calidæ. Quia facies est platea, ubi animi pathemata manifestantur. Qui irascuntur facie dealbantur, ut etiam, qui timent. Qui erubescunt iam suffunduntur rubore, iam dealbantur propter contrarium motum calidi influẽtis, qui fit in hoc pathemate. In mæstitia etiam livescit facies si sit perseverans. In pulmonis inflammatione maxillæ rubescunt. In summa facies est fenestra, ubi se exerit calidum innatum.

VLTIMA particula definitionis est, cum mæstitia. Nam omnes illi motus, qui contingunt in fletu debent habere adiunctam mæstitiam: alias enim non essent verus fletus. Plurimi sunt, qui ad bonum nuntium allatum flent præ gaudio. Dubitari potest utrum fletus ille sit verus fletus. Et videtur, quod sic: quia omnia habet integrantia, quæ ad verum fletum requiruntur; nam in illo dantur, & interruptio respirationis, & retrocessus calidi influentis à partibus facici ad cor; & dantur etiam lacrymæ. Quãvis

lacrymæ non videantur multum conducere ad fletum, siquidem dictum est iam, quod, non secus, ac fletus, risus quoque solet lacrymas emittere. Demum etiam gesticulationes flentium, & diversi motus musculorum buccarũ reperiuntur in fletu præ gaudio.

SED tamen huiusmodi fletus gaudium concomitans, verus fletus nõ est, sed quasi dixeris per analogiã, quoniã deficit particula illa ultimo loco á nobis possita, cũ mæstitia. Debẽt ergo omnes partes illæ integrãtes existere cũ mæstitia, sic enim erit fletus. Quemadmodũ enim in risu sardonio, qui fit ex ingestione eius herbæ, quæ talis nuncupatur non salvatur essentia risus, quia solum dicitur per analogiam, & præsefert dolorem potius quam voluptatẽ. Ita fletus, qui fit præ gaudio nõ est verus fletus, sed dumtaxat analogicè. Quemadmodum etiam, & alij plurimi dantur nothi, & spurij fletus, ut in mulieribus fallaces ad decipiendum homines. Et sunt lacrymæ, de quibus ignorat cor utrum emittantur, quia omnino sunt factitiæ ad imposturam.

HÆC omnia, quæ dicta sunt, pertinent ad integritatẽ, & essentiam fletus. Alia sunt enim, quæ ad solemnitatem fletus concurrunt. Huius census sunt lacrymæ, quæ faciunt fletum solemnem, non tamen constituunt illius essentiam, quia in hominibus serijs, & alijs, qui sciunt simulare datur fletus sine lacrymis, cum tamen fletum faciant pretiosũ. Eiulatus etiam, qui magna vox est, & fletũ solet extollere, nõ est de illius essentia, quia fletus reperitur sæpissimè sine eiulatu. Imo Cicero 2. Tuscul. ait: ingemiscere viro concessum est, idque raro, eiulatus ne mulieri quidem. Cæterum de Esau legitur Genesis 27. Ob furatã benedictionem; cumque eiulatu magno fleret. Et Iudic. cap. 21. Veneruntque omnes ad domum Dei, in silo, & in conspectu eius sedentes, usque ad vesperam levaverunt vocem, & magno ululatu cœperunt flere.

ARI-

ARISTOTELES trigesima prima particula, proble. 23. quærit, cur flentibus funduntur lacrymæ calidæ; & laborātibus oculorum morbo frigidæ? Respondet philosophus, quoniam ex oculorum morbo lacrymæ procedunt indigestæ, & incoctæ proinde frigidæ. Econtra quando fundūtur lacrymæ ex tristitia in fletu calidæ funduntur, quia sunt concoctæ, & digestæ. Alij dicunt, quod existēte morbo in oculis si fuerit calidus facies est inflammata, proinde lacrymæ sentiuntur frigidæ. Verumtamen supra ostendimus cur calidæ sint in fletu, & in risu frigidæ. Nam, quod ait Aristoteles de lacrymis frigidis in morbo oculorum non experitur omnino verum, quia in principio Optalmiæ calidæ, lacrymæ exeunt calidissimæ.

SVPEREST, ut aliquid dicamus de causis fletus. Valleriola, Caserta, qui asserebant, ut vidimus gaudium solum si fuerit profusum esse causam risus; consequenter affirmare debebant, tristitiam etiam profusam esse causam fletus, quia contrariorum eadem est ratio. Diximus tamen cum de risu agebamus, quod hæc sententia constare non poterat; quia gaudium est quædam voluptas, & ut colligitur ex Platone in Timeo, Hyppocrate, & Galeno 1. de causis symptomatum cap. 6. voluptas necessario connotat mutationem subito, & affatim factam ab statu præternaturam ad statum secundum naturam; ergo gaudium solum, ut sic non est causa risus. Adde, quia postquam aliquis risit ad primum nuntium alicuius rei delectabilis, cum eodem manet gaudio, non tamen ridet; igitur aliquid superadditur gaudio ad hoc, ut sit vera causa risus, nempè quod fiat cum mutatione subito, & affatim facta.

IDEM dicendum de tristitia, quæ sola, ut sic non potest esse causa fletus. Nam hic dolor quidam est cum sit quædam tristis sensatio, ac proinde necessariò, etiā iam cōnotabit mutationem subito, & affatim factam ab statu secundum naturam ad statum præternaturam, ut iidem asse-

rit Galenus dicto loco; ergo tristitia solum, ut sic non est causa fletus. Confirmatur, quia postquam aliquis flevit, ad primum nuntium alicuius rei contristantis cum eadem manet tristitia, non tamen flet. Igitur aliquid superadditur tristitiæ, adhoc, ut sit vera causa, & effectiva fletus, nempè quod fiat, cum mutatione subito, & affatim facta.

ETENIM duo requiruntur ad dolorosum fletum; natura, quæ contristatur, & dolet; & obiectum dolorificum, & contristans. Si naturalicetur obiectum, iam non ita contristat, & dolorem infert; quia non est obiectum, sed natura; ideo tales mutationes requiruntur, ut immutetur potentia. Id circo dolet visus in prima visione obiecti nigri, & deformis; si vero assuefiat tali obiecto multo minus dolet: Dolet olfactus prima evaporatione fœtoris: si vero assuescat ei, non solum ferè nō dolet, sed etiam vix persentit ingratum illum fœtorem; quia, vt inquit Hyppocrates in Aphorismis. Quæ consueta sunt longé tempore etiam si deteriora sint minus molestare solent insuetis.

IGITVR novitas contristans est vera causa fletus. Nam tristitia solum, ut diximus non est causa. Et amplius confirmatur nā id, quod in levioribus hominibus, & mulierculis causat tristitiam cum fletu, in hominibus modestis circumspectis, & generosis producit tristitiam, sed sine fletu: quia quod est novitas levioribus hominibus, & mulierculis, nullatenus est hominibus cordatis. Neque sola novitas generat fletum, ut patet debet ergo esse novitas contristans.

PORRO, quia dolor adest in fletu, opportuit, ut ad sensationē appetitus sensitivi mali sibi discōvenientis moveatur ad fugam illius; quo tēpore subito, & affatim movetur sanguis, & spiritus à partibus faciei, ubi semper multus est & irruit in cor. Igitur fletus cōsistit in fuga, ut risus in prosecutione.

SED

Sed dubitabis utrum solus homo flere possit; nã tenent DD. ut vidimus, quod solus homo ridet, atq; ita cũ passiones sint cõtrariæ solus homo flebit. In contrariũ est, quod dicitur de Crocodilo, qui cẽsetur fletu attrahere homines ad devorãdũ. Et Vlula dicitur avis, quædã nocturna de genere noctuarũ, quæ teste Servio talis appellatur, quia ululat, & flet, aqua dicitur ululatus. Sed tamẽ quẽadmodũ dãtur animalia, quæ risum æmulantur, ut Catuli, qui aliquãdo præ gaudio more suo lętas voces emittunt aliaq; gaudij signa præ se ferũt, non tamen verè rident, quia natura ipsis lętitię inditia hominis propria nõ cõcessit, nec organorũ constitutionẽ. Ita dantur animalia, ut dicta, quæ fletũ ęmulantur, non tamen verè flent; quia deficiũt organa, & alia requisita ad verũ fletum. Ita sentit Plinius, qui solum hominem recenter natum statim flere affirmat. Obid. Zoroastes artium magicarum inventor, natus mox risit. Alexander sect. 2. problem. 26. ait septimestres, nequaquã natos plorare, quia thoracem vigorosum non habent, ad efficiendum hunc motum. Fletus ille iniustæ est superbiæ signum. Ovid. cecinit Poëta.

Ortus humi lacrymas effundit parvulus infans,
hoc facit ætatis nota ruina suæ.
Incipit à lacrymis vitam præcordia rodit,
fletu huius vitæ tristia facta gemmens.

Sit iam primũ corollariũ. Pagninus legit facies mea sędata est luto propter fletum. Vatablus lutulenta facta est, quasi luto infecta esset. S. Hieronimus, facies mea intumuit, excrevit, [illegible] gavit commota est, & turbata. Neq; solum facies, sed pectus etiam, quod imbrem calidæ aquæ decidentem excipit. Sic septuaginta, venter meus combustus est à fletu.

Secundum corollariũ. In fletu recẽti tumescũt oculi, & facies extuatur. Econtra in antiquo fletu oculi extenuantur, & facies intumescit. Quod tumescãt oculi in recẽti fle

tu,& magno ostendit experientia ; dicimus nanque communiter (*tiene los ojos tan gruessos de llorar.*) Et mirum non est, quia humiditates capitis irruunt in oculos in lacrymatione, & in principio magni fletus adeo impetuosè, ut oculi intumescant ab affluxu, & nares obstruantur, quamvis per nasum fiat evacuatio magna implorātibus. Quod facies extenuetur in recenti fletu ex his etiam deducitur, nam mulieres quæ magis sunt plorabundæ solent per nares, & oculos in magno fletu, ita caput expurgare, ut facies necessario extenuetur. In antiquo fletu oculi extenuantur; ut etiam testatur Hieremias Trenorum 2. Defecerunt præ lacrymis oculi mei. Et Catulus canit ad Mallium.

Mæsta neque assiduo tabescere lumina fletu.

Facies vero intumescit, quia in assiduo fletu, & antiquo ex continuo retrocessu calidi ad cor partes faciei debiles fiunt, & frigidiores, atque ita non conficiunt suum alimentum, & quemadmodum ex vigilia magna facies intumescit, ita in fletu assiduo quem commitatur vigilia. Fletus sancti Iob fuit antiquus, & ideo ait: Facies mea intumuit à fletu.

TERTIVM corollariū. Sequitur, & palpebræ meæ caligaverunt; hoc est cęcutierunt oculi à fletu. Nemo enim ignorat, quod maximè imbecillitetur visus ab assiduo, & antiquo fletu.



CA-

CAPVT XXVII.

PELLI mea consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Iob. *cap. 19.*



SANCTVS Iob, non solum laboravit, ut tenent omnes interpretes omnibus morborū generibus. Verum etiam, ut ostenderetur in illo divina manutentio, qua tot labores pertulit sine vitæ dispendio demonstrat prodigiosé vixisse in tortu. Etenim, ut asserunt omnes medici omnis præsagatio sumitur ex collatione morbi cum viribus. Ex altera parte plures erāt morbi gravissimi illique lethales, ex altera vero vires constare non poterant; igitur miraculosa fuit vita. Probatur virium inconstantia; nam basis virium in nostro corpore triplex est substantia, carnosa, spirituosa, & solida. In hac vires sitæ subsistere non poterant nam legitur c. 30. Cutis mea denigrata est superme, & ossa mea aruerunt præ caumate. De substantia spirituosa legitur cap. 17. Spiritus meus atenuabitur dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Substantia carnosa omnino defuit consumpta, ut patet in nostro textu. Ecce defectu subiecti vires evanuerunt in nostro sancto Iobo, quoniam avocavit Deus sibi causam illius vitæ, quando dixit ad Satan cap. 2. Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serva.

INTER omnes morbos certum est, quod febris gravior est, nam, & sua Romæ habuit delubra, quippè eam in suis templis adorabant, quam in se execrarentur. Omnium vero febrium hectica gravissima, quoniam expugnat cor

vitæ

vitæ principium, sed qua ratione cor peculiariter in ea, si omnium febrium est subiectum? Gravissima est quæstio, & pro gravitate textus enodanda.

SUPPONENDUM primò, quod in corde reperiuntur cōtinentia contenta, & impetum facientia, sub quibus nominibus triplex illa substantia significatur ab Hyppocrate, nempè spirituosa humoralis, & solida: nam in ventriculis cordis dantur spiritus, & humores, & reperitur solida visceris caro.

DIXIMUS, quod cor subiectum est inhęsionis febris. Verum quoniam in corde tria sunt, quæ illius substantiā constituunt solidæ partes humores, & spiritus. Subiectum verum febris humores, atque spiritus esse nequeunt, quoniam non sunt partes, nec sunt proxima actionum causa. Etenim duæ conditiones necessariæ sunt pro constitutione subiecti alicuius morbi: prima, quod sit pars corporis. Deinde vero, ut actionum proxima sit causa.

IGITUR, quia humores, & spiritus nō sunt corporis partes cōsequēs quidē est febrem, quoniam morbus est, in illis duobus minimè subsistere; sed in solida solum substantia cordis, quæ verè est pars, & effectiva omnium actionum. Communiter ferè omnes Doctores, acervatim dicūt, subiectum febris esse ipsum cor, non secundum aliquā determinatam eius partem, sed secundum se totum, nam tres illæ substantiæ, quæ cor constituunt, solida scilicet humoralis, & spirituosa singulatim sumptæ alicuius differentię febris subiectum constituuntur. Febris in habitu (sic hecticam febrem nuncupant) subiectum erit solida pars cordis; febris humoralis humores cordis; febris diarię spiritus. Ab his enim tribus substantijs tres proficiscuntur febrium differentiæ.

CONFIRMANT ex Galen. 1. de differ. feb. in princip. qui sic habet: caloris autem differētiæ, & ex eo, quod magis, & minus, & ex materia in qua hic calor præternaturā acce-

di-

ditur, & ex modo motus eiusdē caloris accipiūtur. Et Paulo post: Quæ vero á materia differentiæ summuntur, in qua hic calor præternaturam accēditur maximè propriæ sunt, quia vel idem calor ipsius cordis corpus occupavit, aut eos, qui in eius ventriculis continentur humores.

TERTIA autem est differentia, cum sola aërea substātia sufficienter incaluit, humores autem, & solida corpora calescunt quidem adhuc, nondum autem sunt calefacta, neque enim parum refert si calescere dicamus, aut calefacta esse. Hactenus Galenus. Qui rem exemplis prosequitur in lebete ex calfacto, vel eius aqua, vel vaporibus eius. Exemplum lebetis febrem hecticam ostendit aquæ lebetis putridam, vel humoralem. Tertiū vero exemplū, vaporum lebetis ephemeram manifestam facit. Hæc est communis opinio, quæ crassa minerva: cor facit subiectū.

HÆC est cōmunis sentētia, quę probari non potest, atq; ita arbitramur solidā cordis substantiam esse verum subiectum febris. Etenim morbus affectus est viventis; ergo humores, & spiritus nō possunt esse; antecedens constat clarissimè, quia morbus disponit malè subiectum ad actiones obeundas, quia lædit eas; ergo pars subiecti, quæ male disponatur actiones exercet; igitur vivit. Consequentia patet, nam nec humores, nec spiritus vivunt.

NVNC videndum quomodo Galenus intelligatur. Negamus illum dixisse subiectum esse, aut humores, aut spiritus, aut solidam cordis substantiam. Quod autem is dicit, hoc est. Subiectū caloris præternaturam esse illas tres substantias, quod sanè plurimum differt à superiori propositione; illa enim de morbo loquebatur, hæc vero de proxima causa morbi enuntiat.

CALOR pręternaturā non est morbi substātia formalis, ob duplicē rationē. Prima, quia febris nō est formaliter calor prętenaturā, ut dictū iā est, sed forma febris est intēperies calida, quę sane fit à calore præternaturam tanquā à proxima causa.

HANC

HANC etiam doctrinam latè probat Rosellus in suo lib. de symp. & morbo, ubi tenet calorem frigiditatẽ excedentem, &c. Non esse morbos, sed causas morborum; nam si calor est morbus intemperies, quid erit? Tũ, & calor excedens nõ est calor elemẽti in sumo, sed remissus; ergo temperatus cum frigiditate, ergo temperies morbus.

SECVNDA ratio, nam calor præternaturã diversus est à febrili, & habent se, sicut superius, & inferius: nam omnis calor febrilis est præternaturam, non tamen omnis calor præternaturam est febrilis, nam calor elevatus á putredine humoris præternaturalis in foco præternaturam est, adhuc tamen febrilis non est modo cor ipsum non obsederit; igitur ante quam perveniat ad cor omnino est præternaturam febrilis tamen non existit.

ITAQVE subiectum caloris præternaturam aliquando est solida cordis substantia, cum scilicet calor in eandem figitur, ac habituatur. Aliquãdo sunt humores, qui in eius ventriculis continentur. Aliquando autem spiritus in quas substãtias postquam calor pręternaturam insederit cor ipsum patitur afficiturque intẽperie calida. Sumitur etiam specifica differentia ab his tribus substantijs tanquam à materia.

EXEMPLVM Galeni de lebete aqua, & vaporibus, non destruit hunc nostrum modum dicendi, sed potius declarat. Liquor enim non potest calfieri, qui representat humores quin corpus lebetis excalfiat, neque vapores elevantur calidi quin utraque substantia lebetis, & aquæ calida sit. Sic pariter humores, non possunt calfieri febriliter, quin corpus cordis, & solida substantia, quæ corpori lebeti assimilatur calfiat. Dixi febriliter, nam à calore putredinoso, & præternaturam benè possunt calidiores reddi, sine dependentia á corde. Verũtamẽ febriliter nequaquã, hoc est á calore tali, quia is in corde generatur, & postea calfacit totum corpus, & humores ipsos. Idem dicendum de

spi-

ſpiritibus, qui analogiam habẽt ad vapores calefactos lebetis,& hi aquam,& lebetem ſupponunt cum calore.

DEMVM humores cordis non diſtinguuntur ab humoribus reliquis corporis,& venarum,quia per venam defertur ſanguis ex quo fiunt. Ob hanc cauſam dicuntur ſubiectum caloris,poteſt enim aliquando humor in hepate inflammari,& in corde eſſe frigidior,ut in hectica,quam refert Galenus 3.de præſag.ex pulſib.3.

OBEST dumtaxat,quod magnum conficitur argumentum adverſus dictum dicendi modum ſolutu,vel impoſſibile,vel difficillimum ſi recẽtioribus, qui econtra opinantur credendum.

ARGVMENTVM,quod probare videtur,quod omnis febris hectica ſit,ſi in una quaque ſubiectum eſt ſolida cordis ſubſtantia. Huiuſmodi eſt. Ex eo diſtinguuntur febres hecticæ,& humorales,quod in his humores videantur laborare,& ſolida cordis pars in hectica ; ergo ſi noſtra opinio vera eſt neceſſario ephemera , & humoralis erunt hecticæ. Hoc conabimus diſſolvere , ut quidquid de hac materia controverti poſſit fiat palam.

NONNVLLI reſpondent ita. In omnibus febribus opus eſt calorem præternaturam, qui complectitur totã eſſentiam febris in humoribus cordis,aut ſpiritibus,aut in ſolidis partibus contineri,quod illa videlicet calefacta ſint. Ponitur ergo in omni febre in calfacto eſſe,vel humores, vel ſpiritus , vel ſolida pars cordis ; plurimum autem refert an calefactum eſſe an autem adhuc calefieri dicamus. Galenus id ſubiectum caloris præternaturam in veſtigavit, quod ſemper calefactum eſt,id ſane triplex erat , ut diximus. At quantum ad ipſum calfieri pertinent ſubſtantia ſolida cordis in omnibus febribus,vel calfit, aut certé ponitur in calfacto eſſe. Calfit quidem in omnibus febribus putridis , & diarijs, calefacta eſt autem in omnibus febribus hecticis.

ALII

ALII non nihil differunt, atque asserunt, quod corpus cordis semper patitur febrem id est calidam intemperiem, quæ, è corde in universum corpus distribuitur, non tamen eadem est in singulis febribus intemperies. In ephemeris, & putridis inęqualis est intemperies; in hecticis autem æqualis. Est autem æqualis intemperies, ubi corporis particulæ æquabiliter ad aliquam intemperiem versę sunt, aut iusto calidiores aut frigidiores. Inæqualis contra intemperies est, ubi non æquabiliter corporis partes ad aliquam intemperiem transmutatæ sunt, sed adhuc transmutantur, & fiunt.

ILLUD etiam animadvertunt, quod quamvis eiusce modi intemperies adhuc fiant suam tamen speciem, & formam habent qua morbi statuuntur, quoniam habent aliquam partem secundum quam iam factus est morbus, suamque naturam acquisivit. Rursus adijciunt, quod huiusmodi intemperies, vel est in toto corpore, vel indeterminata particula, vel etiam pluribus, neque enim absurdum est ita connecti, ut si æqualis sit in aliqua parte poterit in alijs esse inæqualis, quod sané in hecticis observatur.

ITAQVE cor secundum eius substantiam proximũ est subiectum febris, cum videlicet id, vel æqualem habet intemperiem, ut accidit in hecticis, vel inæqualem, ut in febribus putridis, quam ob rem nõ sequitur, quod si subiectum sit, omnis febris extitisset hæctica. Hactenus horũ responsio.

SED huiusmodi responsiones, neque evacuant difficultatem, neque sunt ad rem, quod opportet probare propter opinantium auctoritatem. Inquiunt igitur, quod in omnibus febribus substantia solida cordis calfit; differũt autem diaria humoralisque ab hectica, quod in hac calefacta est, in illis vero calfit solum. Deinde in humoralibus febribus, & diarijs calfacti sunt humores, & spiri-

tus,in humoralibus humores,& spiritus indiarijs.

OSTENDAM ergo, quod hectica non possit distingui á putridis,quia in ea calfacta sit solida pars,& in his calfiat, hoc argumento. In febre putrida solida cordis pars calefacta est sicut in hectica;ergo ruit responsio. Consequentia manifesta est:antecedens probatur, intemperies est in toto corpore in solida cordis,& aliarum partium substãtia;igitur est gradus caloris productus : antecedens patet, quia febris est intemperies calida corporis : Consequentia est nota , quia intemperies alicuius partis non constituitur per gradus fientes,qui adhuc non existunt , sed per eos , qui producti sunt. Tum intemperies morbus , affectus est permanens, qui non habet suam essentiam in fieri,sed in facto esse : igitur in febre putrida quemadmodũ in hectica calfacta est solida cordis substantia.

ID aliud,quod scribunt nihil valet , quia parum refert, quod spiritus,& humores sint in facto esse calidi,si substãtia solida cordis non haberet calorem in facto esse , quia etiam in eorum sententia morbus affectus est viventis,atque ita calor in facto esse,qui efficit morbum subiectari debet in parte solida,& vivente cordis.

SI dicas calfit solida cordis pars, quamvis etiam calfacta sit , & habeat aliquos gradus caloris in facto esse. Sed contra, quia idem contingit in febribus hecticis ; ergo ex hac parte non distinguuntur. Antecedens patet: nam hectica quo magis inveteratur, eo magis igneus redditur calor , & magis fiunt partes calidiores , quousque eo pervenit,ut sit omnino igneus,& ineptus ad coctiones,& munia vitæ. Confirmatur,quia maiores fiunt colliquationes in extremo hecticæ.

CONTRA secundum modum dicendi,sic etiam insurgimus. Et quamvis inæqualitatem concedamus in his febribus , non tamen eam quam ponunt Doctores. Etenim quamvis concedamus,quod maior calor sit in partibus in

he-

hectica quam in putrida hoc non facit in illa æqualitatem, nam duplex gradus caloris æqualiter sparsus in ligno, tam æqualem facit in temperiem quam quadruplex, quãvis hoc non semper sit verum, quia ex Galeno nulla febris hectica magna. Deducitur ex Galeno lib. de inæquali intemperie in principio, ubi scribit: quod autem eiusmodi intemperies ab æqualibus eo distent, quod in omnibus intemperanter affecti corporis partibus, æqualiter non sint clare id liquet. Hæc Galenus. Igitur cum diffusus sit in totum corpus calor in putridis æqualiter sicut in hecticis non videntur distingui. Deinde inæqualitas, aut æqualitas non debent summi ex gradibus inæqualibus, quod patet, quia etiam datur inæqualitas in hectica, nam in ea maior calor est in corde quam in intestinis, aut vesica; ergo ex nullo capite harum inæqualitatum apparet, quod distinguantur.

CALFIT ergo in rigore physico, etiam solida cordis substantia, & simul aliarum partium spermaticarum in hectica dum vivit animal, quia ad maiorem siccitatem intenditur calor, & vires acquirit; ergo ex nullo capite urdentur distingui hectica, & putrida si subiectum omnium est, ut re ipsa est solida cordis substantia iuxta hos modos explicandi Doctorum.

MATAMOROS. Neotericus quidam in hunc modum rem explicat. Dicens, stricte ut decet loquendo verum, & propium subiectum febris esse partes solidas viventis, in quibus si calor in dependenter ab aliquo extrinseco recipiatur hecticam constituit; sin vero factus est in rigore physico fiens vero medicè (hoc est dependens ab aliquo extrinseco) constituit febrem diariam, aut putridam pro diversitate substantiæ aqua talis calor dependet.

SED non possum intelligere, quid sit calor factus in rigore physico, & fiens medicè. Quidquid autem velit, falsum est præsertim iuxta illius doctrinam, quod calor sit

in

in febre humorali,& putrida dependens ab aliquo extrinseco;nã si emanat,ut ipse inquit à principio interno cordis,non dependet ab extrinseco, sed ab intrinseco. Et ad summum humores putrescentes in venis,qui sunt productivi febris non sunt causa, sed occasio, sive occasionalis causa illius. Hoc autem rigide loquendo non est dependere ab extrinseco. Patet,quia in febribus putridis ardentibus,etiam se moto humore putrido,seu causa occasionali,& purgato solet febris remanere,& empyrreuma quodam,aut remedijs frigidis deinceps correptum,aut refrigerio accepto per aërem inspiratum,aut trãspiratum,qui potest calorem derelictum corrigere. Non secus contingit in hectica curabili.

SVPEREST iam magno illo argumento respondere, quod fiet hac conclusione.

IN omnibus febribus æqualis est intemperies in substantia ; inæqualis in modo. In hectica æqualis in modo,& substantia. Hæc conclusio duas habet partes. Prima,quoad primum membrum,nimirum, quod in omnibus febribus sit æqualis intemperies in substantia sufficiẽter nuper probata est.

QVOAD secundum membrũ nimirũ; quod sit inæqualis in modo intemperies putridarum, probatur. Nam in febribus putridis in corde est calor cũ independẽtia, quoniam cum sit reductus de potentia in actum, necessariò latebat in corde nam quando reducitur in ventriculo medicamentum,verbi gratia,calidum partes calidæ,quæ reducuntur iam erant in potentia;ergo cum calor reducatur de potentia in actum in febre non depẽdet ab extrinseco, sed veluti ab intrinseco emanat, iuxta modum dicendi plurium quamvis illi non olfecerint istum modum verissimum intensionis.

IN reliquis partibus à corde omnibus in febre putrida est cum dependentia à corde ; patet, nam fovetur ab in

fluente,& in hoc consistit,ut dicebamus febris,nempé, ut per venas,& arterias communicetur calor cordis omnibus,& minutissimis partibus; igitur maximè observatur in putrida, quod calor omnium partium sit dependens à corde. Ecce inæqualitas: independentia in corde; & dependentia in reliquis partibus.

SECVNDA pars conclusionis est. quod in hectica est intẽperies æqualis in modo,& in substãtia. Patet,quia in ea, tã in corde quã in universo corpore independẽs est calor; itaq; semel introductus difficillimé eradicatur. Deinde se moto cordis calore nõ refrigerãtur reliquę partes solidæ corporis, quemadmodum in putridis. Scio, quod etiã difficillimè refrigeratur, verum etiam si refrigeraretur, non remitteretur calor aliarum partium solidarum. Quocirca in curatione illius remedia refrigerantia universalia conveniunt, ut balneum universale, lac, quod totum refrigeret corpus. In timore imminẽtis hecticæ melius pro visum fore putamus si dorso, & spinali medullæ unguentũ refrigerãs applicemus, quam si cordi, quod confirmat dictum. Calidissimi corde, ut animosi, & iracundi, & martiales si carnosi fuerint nõ periclitantur hecticam incurrere, quemadmodum graciles, & excãrnes licet fuerint cordis frigidioris, ergo periculum stat in calore ne in partibus solidis introducatur independens. Causa est, quia si introductus fuerit, neque respiratio, neque trãspiratio prosunt ad refrigerium cordis, nam aër calfit à partibus.

CONFIRMAT experientia. Nam cadavera hecticorum per multas horas calida sunt post mortem, quod non observabis in his, qui ex febribus putridis intereunt.

SIC manet responsum argumento, nam quãvis in omni febre laboret solida pars cordis: In putridis communicatur calor dependens, in hecticis vero independens. Et hæc de febribus in genere sufficiant.

SIT primum corollarium. Plerisque morborum ge-

ne-

neribus laboravit sanctus Iob. Sed aliquibus magis evidēter. Sunt enim interpretes qui usque ad morbum gallicū repertum fuisse in sancto Iob affirmant. Verum enim vero lues venerea, ut iacet morbus est novus veteribus incognitus, & qui per contagium communicatur quæ vix in sancto Iobo reperiri poterant. Et quamvis accidentia simillima morbi gallici posset æmulari diabolus, cæterum quæ sunt genuina fœditatem minus dignam sancto præseferunt. Laboravit tamen febri eaque hectica, quod patet ex loco allegato cap. 30. Cutis mea denigrata est, & ossa mea aruerunt præ caumate, nam denigratio, & ariditas á caumate, hoc est ab incendio signa sunt demonstrativa hecticæ, nec in principio ante quam carnes omnino absumerentur fuit sola febris hectica, sed complicata cum putrida, ut insinuāt verba cap. 7. induta est caro mea putredine; & non solum fuit hecticus, sed pthisicus ex ulcere interno, vel in pulmone, vel alia parte: ait enim cap. 19. Halitum meum exhorruit uxor mea, nam fœtor anhelitus id solet præsagiri: Angina significatur per illa verba cap. 7. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam. Vulnus, & ulcus per illa cap. 9. in turbine enim conteret me, & multiplicabit super me vulnera, & cap. 2. Percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis, &c. Melancolia, ut ait Pineda per illa verba, cap. 7. Terrebis me per somnia; de hac dubito, quia affert delirium, quod detraheret multum de actibus merendi Sancto Iob. Vigilia eodem cap. Sic, & ego habui menses vacuos, & noctes elaboriosas ennumeravi mihi.

SECVNDVM corollarium. Sistunt considerationem verba nostri textus. Cur nempè dicat, quod consumptis carnibus pelli ad hæsit os potius quam ossi pellis, cum hoc sit magis secundum naturam; nam cum ossa sint columnæ corporis, naturaliter absumpta carne pellis concidit su-

pra ossos vero nô concidit supra pellem. Dicatur hoc pro encomio sancti Iobi. Ossa sunt insensibilia, pellis exacte sensibilis. Adhæsit ergo os insensibile pelli sensibili, ut aliqualem acciperet sensibilitatem, potius quam ossi insensibili, adhæreret pellis sensibilis, ut ab illo acciperet insensibilitatem. Adeo fuit avidus patiendi Iob.

SIT tertium corollarium. Dicitur cap. ultimo, quod addidit Deus omnia, quæcunque fuerunt Iob duplicia. Sanitas vero cum sit bonum temporale videtur restituta non vero duplicata: nam bonum ex integra causa. Etiam in hoc latet largitas divinæ omnipotentiæ. Anno suæ ætatis quadragesimo fuit percusus Iob. Passus fuit tres menses cum dimidio secundum veriorem opinionem. Largitus ergo fuit Deus omnipotens pro quolibet mense passionis, tot vitæ annos quos numerabat, cum percusus, anni ergo super erogationis fuerunt centum quadraginta, quadraginta pro quolibet mense, & viginti pro dimidio. Numerabat cum percusus fuit quadraginta annos, qui cum centum quadraginta complent centum octoginta annos, quos vixit: Nam, & in versu ultimo libri legitur. Vixit autem Iob, post hæc centum quadraginta annis. Benedictus Dominus, qui nihil sine remuneratione relinquit. Et etiam in salute verum fuit, quod addidit omnia, quæ fuerunt Iob Dñs duplicia.

***

CA-

CAPVT XXVIII.

QVI Extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Iob *cap.26.*



ROSEQVITVR Iob dexteræ Dei portenta. Et miratur, quod extenderit Aquilonem super vacuum. Communiter ea cœli pars, quæ spectat ad polum, ac nobis imminet super aërē intelligitur per Aquilonem. Nam nomina ventorū illis etiā plagis mundi tribuūtur, & cęli partibus aquibus flant, velut apud Ezechielem c.20. dicitur combu retur in ea omnis facies ab Austro, usq; ad Aquilonē, hoc est à Meridionali parte, usque ad Septentrionalem.


DE terræ quiete multæ variæque fuerunt veterum sen tentiæ, ut Xenophanis, Empedoclis, Taletis Anaximenis, Anaxagoræ, & Democriti, quæ ab alijs manēt refutatæ. Consentaneum est rationi, quod terra non est aliter nata moveri, quam ad medium, quapropter, neque undecunque in illud ferretur posset mundi centrum præ terire, neque in illo semel firmata potest inde exire: ita, *Firmavit Deus orbem terræ, qui non commovebitur*, ut dicitur in Psalmo.

DE centro vero terræ dubitatur, an illud medium, ad quod terra movetur secundum naturam, sit quid revera indivisibile an secus. Petrus Garcia Complutensis in Fen, Avicenæ disputatione 5. cap. 1. tenet illud mediū non esse indivisibile revera. Probatur primó. Nam alia elemen ta non moventur ad aliquid indivisibile: patet exemplo omnium, quia ignis naturaliter ad ultimam

pra ossos vero nõ concidit supra pellem. Dicatur hoc pro encomio sancti Iobi. Ossa sunt insensibilia, pellis exacte sensibilis. Adhæsit ergo os insensibile pelli sensibili, ut aliqualem acciperet sensibilitatem, potius quam ossi insensibili, adhæreret pellis sensibilis, ut ab illo acciperet insensibilitatem. Adeo fuit avidus patiendi Iob.

SIT tertium corollarium. Dicitur cap. ultimo, quod addidit Deus omnia, quæcunque fuerunt Iob duplicia. Sanitas vero cum sit bonum temporale videtur restituta non vero duplicata: nam bonum ex integra causa. Etiam in hoc latet largitas divinæ omnipotentiæ. Anno suæ ætatis quadragesimo fuit percusus Iob. Passus fuit tres menses cum dimidio secundum veriorem opinionem. Largitus ergo fuit Deus omnipotens pro quolibet mense passionis, tot vitæ annos quos numerabat, cum percusus, anni ergo super erogationis fuerunt centum quadraginta, quadraginta pro quolibet mense, & viginti pro dimidio. Numerabat cum percusus fuit quadraginta annos, qui cum centum quadraginta complent centum octoginta annos, quos vixit: Nam, & in versu ultimo libri legitur. Vixit autem Iob, post hæc centum quadraginta annis. Benedictus Dominus, qui nihil sine remuneratione relinquit. Et etiam in salute verum fuit, quod addidit omnia, quæ fuerunt Iob Dñs duplicia.

***



CA-

CAPVT XXVIII.

QVI Extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Iob *cap.26.*



ROSEQVITVR Iob dexteræ Dei portenta. Et miratur, quod extenderit Aquilonem super vacuum. Communiter ea cœli pars, quæ spectat ad polum, ac nobis imminet super aërē intelligitur per Aquilonem. Nam nomina ventorū illis etiā plagis mundi tribuūtur, & cęli partibus aquibus flant, velut apud Ezechielem c.20. dicitur comburetur in ea omnis facies ab Austro, usq; ad Aquilonē, hoc est à Meridionali parte, usque ad Septentrionalem.

DE terræ quiete multæ varięque fuerunt veterum sententiæ, ut Xenophanis, Empedoclis, Taletis Anaximenis, Anaxagoræ, & Democriti, quæ ab alijs manēt refutatæ. Consentaneum est rationi, quod terra non est aliter nata moveri, quam ad medium, quapropter, neque undecunque in illud ferretur posset mundi centrum præterire, neque in illo semel firmata potest inde exire: ita, *Firmavit Deus orbem terræ, qui non commovebitur*, ut dicitur in Psalmo.

DE centro vero terræ dubitatur, an illud medium, ad quod terra movetur secundum naturam, sit quid revera indivisibile an secus. Petrus Garcia Complutensis in Fen, Avicenæ disputatione 5. cap. 1. tenet illud mediū non esse indivisibile revera. Probatur primó. Nam alia elementa non moventur ad aliquid indivisibile: patet exemplo omnium, quia ignis naturaliter ad ultimam

cœli superficiē, neq; est aliquid indivisibile ad quod partes eius ferantur, sive in cœlo, sive in ipsomet igne sicque de alijs. Id docuit Aristo. 2. de cœlo c. 14. Dum arguit antiquos hoc modo, Verum non totum ad unum punctum ferretur. Hoc enim solum ex ratione, quæ de similitudine sit evenire necesse est, sed pars ad extremi partem eiusdem nimirum rationis veluti quartā pars ad quartam partem continentis ipsius, nullum enim corpus est punctum. Si Respondeatur Petro Garciæ diversam esse rationē, quia cum terra debeat moveri ad id, quod magis distat à cœlo debet esse talis motus ad indivisibile, nam id quod divisibile est non æquæ distat ab illo ignis vero ad locum maxime distantem, & elevatum á cęlo, qui potest esse divisibilis. Obijcit dictus auctor, quod licet medium esset divisibile secundum latitudinem posset habere partes æque distātes à superficie cœli, neque oppositum probatur.

SECUNDO urgentius probat, quia si omnes partes terræ moverentur ad idem centrum indivisibile, nō semper moverentur recta linea, sed transversa, aut obliqua, quod est contra experientiam. Probatur, quia non semper distat pars terræ á centro indivisibili, per rectam viam. In principio enim eiusdem capitis Aristoteles, ait: Nunc autē ad medium universæ (id est partes terræ recta ferūtur. Et perperam quidam intellerunt hunc locum asserentes voluisse Aristotelem; unde cunque moveatur terræ pars ferri ad medium indivisibile terræ, etiam si non per rectam lineam. Nam si quis perpendat quę dixit idem auctor lib. 1. cœli cap. 2. inveniet falsam esse hanc interpretationē, & doctrinam, nam ait talia corpora moveri motu recto, hūcque esse per lineam rectam, & simplicem, non esset autē si motus fieret eo modo, quo dicebatur. Aristoteles ibi, ita dixit: Simplices enim hæ sunt solæ propterea, quod, & magnitudines hæ solum simplices sunt. Dubitat Aristoteles illo cap. 14. An partes terrę moveantur ad mediū, quia est

est terræ an vero, quia est universi. Respondet idem esse medium utriusque, moveri tamen ad ipsum, quia est medium universi non tamen, quia terræ, sed per accidens, quia accidit idem medium esse terræ, & universi; illa vero particula per accidens, non videtur excludere quo minus, moveatur ad illud necessariò.

His tamen non obstantibus verius mihi est medium, ad quod terra movetur, quod dicitur centrum re vera esse punctum indivisibile. Et ante probationem alibi iam dictum mihi est ex terra, & aqua unicum fieri globum cuius est idem centrum, quod etiam est centrum mundi.

PROBATVR, nam si centrum non esset indivisibile omnes lineæ ductæ ad circũferentiam non essent æquales, sed hoc est in congruum rationi, igitur & illud. Patet maior propositio, nam quæ terminarentur ad latus, vel ad extremum centri essent minores, quam quæ ad medium centri, quod si non esset indivisibile necessario deberet concedi corpus, & divisibile, ac proinde haberet latera, & extrema. Quin etiam deberet concedi centrum centri, & processus in infinitum. Confirmatur, quia unius globi spherici necessario centrum debet esse medium exquisitum, si vero non esset indivisibile, sed divisibile hoc etiam haberet medium. Et gravia possent simul cum pervenirent ad centrum divisibile descendere, & non descendere: descendere cum transirent ad mediũ illius, & non descendere, quia iam essent in centro.

SED opportet respondere ad argumenta. Ad primum, quod ait alia elementa non moveri ad aliquid indivisibile, quia ignis naturaliter fertur ad ultimam cœli superficiem. Responsum est probabiliter iam ibi, nimirum, quod terra debet moveri, ad id, quod magis distat à cœlo, & ex consequenti debe esse talis motus ad indivisibile; nam id quod divisibile est, non æque distat ab illo. Et hoc

est, quod diximus, nempé, quod lineæ non essent equales. Et quod centrum illius centri magis distaret à cœlo, hoc est exquisite medium. Quod autem obijcit Petrus Garcia, huic responsioni falsum videtur. Ait enim quod licet medium esset divisibile, secundum latitudinẽ, posset habere partes æquæ distantes à superficie cœli. Nam medium illius corporis divisibilis secundum latitudinem haberet particulas distantiores á cœlo quam essent extrema illius mensuræ latitudinalis; & hoc sensus confirmat, dummodo medium exquisitum, seu centrum huius mensuræ divisibilis, esset medium exquisitum universi. Si autem non esset, sed existeret ad latus, pars illa, quæ proximior esset medio universi magis distaret à cœlo, quam quæ terminat contrariam latitudinem. Quod autem admittit responsio, nempé, quod ignis movetur ad locum maximè distantem, & elevatum à cœlo, qui potest esse divisibilis hoc in quam verum non est. Itaque responsio diversam esse contendit rationem, in elemento terræ, & in elemento ignis, ex qua parte vera nõ est, quia in omnibus unus est motus ad suũ centrum. una propensio, ut iam monstro in veriori satisfactione argumenti.

QVOD omnes partes ignis, & aëris, nõ possint moveri ad unicũ indivisibile certũ est. Sed quod moveantur ad indivisibile certissimũ. Responsio duas habet partes seorsũ probandas. Prima est, quod non possint moveri omnes ad unicũ indivisibile, sicut moventur omnes partes terrę & patet ex probabilitate matematica; quia terra globus est sphericus, & necessario habet centrũ indivisibile, quod etiam est centrum mundi; ergo si partes movẽtur à circũferentia ad centrũ necessariò moventur omnes ad unicũ indivisibile. Verũ enimvero quando motus est á cõtrario à centro ad circumferentiam, ut est motus ignis, & aëris, non potest fieri ad unicum indivisibile, quia in circũferen

cia plura ſunt indiviſibilia. Hoc patet in circulo ſpherico, in quo lineæ omnes, quæ proficiſcuntur à circumferentia terminantur in unico indiviſibili centro; at verò quæ proficiſcuntur à centro non terminantur in unico indiviſibili circumferentiæ, ſed in pluribus.

SECVNDA pars reſpõſionis, quod partes ignis, & aëris moveantur ad indiviſibile quamvis non unicum, probatur: quia partes ignis, & aëris movẽtur ad ſuã ſpherã, ſed una quæq; ſphera habet centrum indiviſibile; ergo movẽtur ad illud. Maior propoſitio eſt certa, & ab omnibus admittitur. Minor vero probatur, quia quælibet ſphera habet mediũ exquiſitum, quod neceſſario eſt indiviſibile. Cõſequentia probatur, quia partes ignis, & aëris non ſolum moventur ad ſuam ſpheram quomodocumq; vel ad aliquã partem eius, ſed etiam ad perfectiorẽ, quæ proculdubio eſt illa, quæ eſt exquiſite media, & centrum vocatur.

CONFIRMATVR, quia vapores, qui elevantur à terra non quieſcunt mox, ut fuerint ſupra terram, & aquam iã in regione aëris, ſed magis, ac magis aſcendunt quantum poſſunt quaſi accedentes ad centrum ſpheræ. Et ultimus terminus aſcenſus ſolet eſſe medietas ſecundæ regionis, ubi eſt centrum ſpheræ, in hac enim parte ſolent ex illis fieri nubes, & pluviæ.

CONSPICITVR manifeſte in flãma ignis, quæ ſemper eſt pyramidalis, & in pyramidẽ aſcendit, & elevatur. Aſt pyramidalis figura in punctum indiviſibile terminatur. Ergo ex huiuſmodi propenſione naturali flammæ ignis rectè colligitur tendentia in centrum indiviſibile.

INTERROGABIS utrũ centrũ indiviſibile ignis, & aëris ſit omnino indiviſibile. Et reſpõdetur, quod eſt indiviſibile ſecundũ profunditatem, & latitudinem; non tamen ſecundum longitudinem, quia eſt linea circulariter protenſa per ignẽ, & aërẽ decurrens exquiſitè per mediũ utriuſque elementi quoniam cingit, & ambit terram rotundã.


Ex

Ex quibus iã ad argumentum respondetur negãdo quod ignis naturaliter feratur ad ultimam superficiẽ cęli, sed ad centrum suum indivisibile, nempé lineam illam, quæ est exquisite media in sphera ignis, ibi enim est maior per fectio spheræ ignis. Quorsum enim ignis elevatus ex aëre, si nullum adesset impedimentum ascenderet, usque ad cœlum? Profecto in tali casu ascenderet, usque ad talem li neam, seu centrum, & ibi sisteret, neque amplius ascenderet, ut sisteret lapis in centro terræ, & quemadmodum va pores ascendunt, usque ad medium secundæ regionis, & ibi sistentes convertuntur in pluviam.

AD secundum argumentum, quod maiorem habet dif ficultatem respondetur. Erat, qui si omnes partes terræ moverentur ad idem centrum indivisibile, non semper moverentur recta linea, sed transversa, aut obliqua, quod est contra experientiam. Et urgentiorem ostendo rationem. Nam si Cæsaraugustæ, verb. gratia, esset lapidi expeditus transitus, usque ad centrum terræ; demus hypotesim, quod esset puteus illic pertingens; & hic esset similiter Hispali; lapis descendens per puteum Cæsaraugustæ descenderet perpendiculariter, & recta linea: & qui descenderet per puteum Hispalis similiter: Quod si fieret non posset esse indivisibile saltem secundum longitudinem, quia terminus ad quem lapidum esset distans unus ab alio.


DICIMVS ergo, quod huiusmodi lapides non descenderent recta linea, sed obliqua, multo plus quo magis accederent ad centrum. Hoc videtur in consonum sensui sed demõstratur, nam si alter puteus esset Cæsaraugustæ, & alter in nova Hispania ratio suadet, quod non possent descẽdere recta linea, sed obliqua, quia terra habet figurã sphericam, & rotundam, in qua est impossibile, quod lineæ tendentes ad centrũ non obliquẽtur. Quæ parum distant quamvis sint obliquæ, tales vix apparent ad sensum, quæ autem distant, manifesté. Patet in hoc circulo.

QVÆ



QVÆ autem fallunt sensum in perceptione obliquitatis duo sunt. Primum, quod obliquitas magis conspicua est circa centrum; sicque lapides illi cum illuc pervenirent sensibiliter apparerent obliquari. Secundum, quod in sphera parva magis sensibilis est obliquitas; nam in magna quando parum distant lineæ videntur recta linea proficisci. Cum autem terra maximus sit globus experientiam offuscat. Videas differentiam in sphera parva.

In-



IN æquali distantia sunt multo minus rectæ in hac sphera parva quam in magna. Auctoritates Aristotelis nihil facere videntur contra nostram sententiam.

SIT primum corollarium. Bene coheret hæc sententia cum litera sacræ paginæ. Et appendit terra super nihilum. Nam punctum indivisibile, nihilum censetur, quia non est corpus, nec pars corporis, sed modus, & continuativum solum partium: ob id dicitur Iob cap. 20. Et gaudium Hyppocritæ ad instar puncti. Quasi nihil sit illius gaudium.

SECVNDVM corollarium. Consequenter dicitur in hac eadem sententia. Qui extendit Aquilonem super vacuum. Et quamvis sumatur Aquilo pro parte, quæ spectat ad polum, magis ad literam sumitur pro vento, ut sonat. Extendere Aquilonem super vacuum est, extendere ventum hunc super aërem, quia vētus differt ab aëre. Et dicitur extendi super vacuum, quia cavitas, quæ solo aëre plena est, vacua dicitur: Ventus autem movet aërem, & movetur per aërem.



CA-

CAPVT XXIX.

Q*Vando lavabam pedes meos butyro, & petra fundabat mihi riuos olei.* Iob 29.



IN Limine statim commentarij dubitari potest, utrum sanctus Iob, in hoc loco referat pedum lotionem, vel unctionē. Plurimi interpretes inferunt ex his verbis, pristinā ungendi pedes in convivio consuetudinem. De Māgdalena refert sanctus Luc c.7. *Quod osculabatur pedes Dñi, & unguento ungebat.* Atheneus lib. 12. Eandē consuetudinem fuisse apud Athenienses. Et non solum ungebant antiqui pedes, sed unamquanque partem. Et videtur, quod butyrū ineptum sit ad lotionem aptum vero ad inunctionem. Quocirca per lotionem quā significat Iob, videtur, quod intelligamus inunctionem potius quam lotionem. Et oleum etiam de quo in secunda parte versus fit mentio, etiam confirmat, siquidem potius conducit ad ungendum quam ad lavandum.

SED tamen urget verbum lavabam; & quod inunctiones fiebant post lotiones. Verum resolutio constabit in fine in corollarijs, quia prius expendenda sunt alia ex quibus eliciemus corollaria.

ANTIQVISSIMA est consuetudo lavandi pedes quando quidem in sacra pagina tam repetita fit mentio eius, & præsertim, quæ apud convivas hospites, & peregrinos exercetur. Et, ut incipiamus á nostro textu. Ostendebat Iob abundantiæ suæ præteritæ periphrasim in hoc toto capite, & inquit: lavabam pedes meos butyro: quasi diceret. Pedum lotio usitata, quæ communiter fit ex aqua, tēpore felicitatis meæ mihi fiebat ex butyro: tanto enim

ma-

maior erat singularitas delitiosa quanto exercebatur in communiori consuetudine, & materia.

PRÆCLARUM huius consuetudinis exemplum prębet nobis sacra pagina Genesis cap. 18. ubi sic legimus de Abrahamo quando apparuit ei Dominus in convalle Mambre cui dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis ne trăseas servum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore. In verbis ipsis patęfit consuetudo potius, quam lotio delitiosę expendo duo ad meam considerationem, & consolationem potius quam ad doctrinam. Pauxillũ dixit aquæ, ut compleretur consuetudo lavandi, & excipiendi peregrinos. Nam si ad delitias dirigeretur lotio non dixisset pauxillũ aquæ; nam lotio delitiosa copiam requirit aquæ. Alterũ est: non dixit lavabo pedes vestros, sed laventur pedes vestri quia, ut se reputavit indignũ, ita illos omni modestia & circumspectione dignos.

DE Loth etiam, ut sanguine sic, & hospitalitatis gloria cùm Abrahamo coniũcto: Hæc leguntur Genesis cap. 19. veneruntque duo Angeli Sodomam vesperi sedente Loth in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos surrexit, & ivit obviam eis adoravitque pronus in terram, & dixit: obsecro domini declinate in domum pueri vestri, & manete ibi · lavate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Etiam in his verbis, Loth Abrahami pietatem imittatus simul, & humilitatem, non se obtulit lavantem, sed præbuit ministrantem; ideo dixit lavate pedes vestros. Et mirum, quod uterque Sanctus non meminit convivij, quod paravit, sed lotionis pedum; quasi lotio pedum magnum quid habeat, & officij, & beneficientiæ.

DE servo Abrahæ misso in Mesopotamiam, ut Rebecam adduceret futuram Isaaco uxorem hæc leguntur Genesis 24. Et introduxit (Rebeca scilicet) eum in Hospitium, ac destravit camelos, deditque paleas,

&

& fœnum, & aquam ad lavandos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo. Admiratur, & merito D. Chrysostomus Homilia 49. in Genesim. Quomodo hi, qui adhuc in errore tenebantur tantam hospitalitatis curam haberent erant enim illi, qui Mesopotamiam habitabant idololatræ. Et Labam dedit aquam, ut lavarentur pedes eius, & pedes virorum, qui cum eo erãt. Nam in Hebræo, ut notat Caietanus, & ex eo Lypomanus non est pedes camelorum, sed pedes eius hoc est serui Abrahæ. Sic, & septuaginta interpretes reddiderunt, & paraphrastes Caldeus.

De dispensatore, seu æconomo domus Ioseph, & de fratribus Ioseph hæc leguntur etiam Genesis 43. Et introductis domũ attulit aquam, & laverunt pedes suos dedit que pabulum asinis eorũ. In quæ verba Lypomanus. Quod aquã pro abluẽdis pedibus attulit pietatem hanc à Sancto Ioseph didicit dispensator. Is enim Abrahã, Isaac Loth, cæterosque bonos avos suos Hebræos circa pietatis opera lotionemque pedum advenarum, atque hospitum, maximè intentos fuisse noverat, ideoque, & domæsticos suos eadẽ agere docuerat. Hæc ille. Sed non opporter recurrere ad imitationem Ioseph cum potuerit id factum fuisse ex consuetudine gentis; nam, & ethnicis aquã peregrinorum pedibus lavandis præbere usitatum fuit, ut postea allatis exemplis monstrabitur.

Etiam legitur de Levita illo Iudic. c. 19. Qui profectus fuerat ex Bethleem cum uxore sua, & famulo, & ingressus fuit sub Crepusculum in Gabaa Benjamin. Vbi hospitium nullum invenit præter unum senis de quo hęc habentur. Introduxitque eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit, ac postquã laverunt pedes suos recepit eos in convivium. Ex quibus verbis infertur cõsuetudinis stylus, ut antecederet lotio pedum convivium, & prius lavabant pedes quam epulis accumberent, ut ex

hoc,

hoc, & plurimis alijs exemplis antecedentibus manifestum evadit. Et illud etiam, quod legitur apud Galenum suadet.

Vt lavit sumpsitque cibum det membra sopori.

Secundo Regum 11. etiam legitur de David, quod uriæ peregre advenienti, dixit: *Vade in domum tuam, & lava pedes tuos.* & 1. Regum 25. de Abigail, quæ cum peteretur à David in uxorem. Adoravit prona in terram, & ait: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.*

DE filia Pharaonis, Exodi cap. 2. legitur. *Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine.* Hæc lotio non fuit balneum universale, sed lotio pedum. Non enim est credibile Regis filiam denudatam fuisse in crepidine aluei publicè, ubi locus non erat præcautus, & ait sacra pagina, quod stabat procul soror eius, & considerabat evẽtum rei. Ergo magis verosimile est, quod filia Pharaonis descendit, ut lavaret pedes suos in flumine, ut mos est pluribus fœminis.

TOBIÆ etiam cap. 6. legitur: *Quod profectus mansit iuxta fluvium Tigris, & exivit, ut lavaret pedes suos.* Canticorum 5. inter alias excusationes quas præbet sponsa ad aperiendum sponso, ait: *Lavi pedes meos quomodo inquinabo illos.*

SECVNDO Regum 19. habetur; *quod Miphiboset, quoque filius Saul descendit in occursum Regis, illotis pedibus, & intonsa barba.* Signa hæc sunt despectus: verum, & ex hoc etiam infertur, quod consuetudo lavãdi pedes erat in politiori vivendi norma adeo recepta, ut eius transgressio, non levem argueret despectum, & tædium. Et admirationem præbet, quod etiam si vellet Miphiboset contemptũ repræsentare, aut illotis pedibus accederet ad Regem, aut ita significari in sacra pagina; nam pedes illoti videri non poterant, siquidem non dicitur, quod nudus incederet,

ret, neq; ita incessisse verisimile est. Cæterum mos ingredientium ad Regem, ita erat mundities præsertim pedũ, ut si non decuisset Miphiboset despectus, & quasi pœnitẽtia ad ingrediendum ad Regem lavaret pedes suos etiam si non essent videndi, quemadmodum intonsa barba.

INTER omissiones quas iniungebat Christus Dñs Lucæ c.7. Phariseo; una erat, quæ dicit, intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. Erat ergo proculdubio inviolabilis consuetudo antiquitus lavandi pedes, quandoquidem tanta fit mentio eius in sacra pagina, tam in veteri quam in novo testamento omnibus gentibus communis.

VNVM ex signis meritorijs, quæ præcedere debẽt electionem viduæ in Diaconisam eligendæ, iuxta Apostolorum D. Paulum 1. ad Timot. 5. neque postremum hoc est. Si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit. Hoc enim olim faciebant inquit Theodoretus super hunc locum. Ita enim lydia ipsum Apostolum, & eos, qui cum ipso erant suscepit. Ita enim dixit de Phæbe. Adfuit mihi, & multis alijs.

SANCTVS Chrysostomus sermone de eleemosyna, & Hospitalitate, tomo 5. Neque hi (peregrini intelliguntur) solum erunt suscipiendi, sed eorum abluendi sunt pedes.

TERTVLLIANVS lib. 2. ad uxorem dissuadet christianæ fœminæ ne cum Ethnico matrimonium contrahat, cum alias ob causas, tum quia maritus talis non sit passurus, ut Sanctorum pedibus aquam offerat.

SANCTI Spiridionis Episcopi in Cipro hospitalitatem, his verbis celebrat Sozomenus lib. 1. Historiæ cap. 11. Quam humaniter, & benigne hospites excipere soleret, hinc cognoscere poterimus. Cum iam instaret quadragesima ex itinere quidam forte ad eum venit il-

V lis

lis ipsis diebus ; in quibus una cum suis ieiunium agere consueverat, & ad statutum diem cibum degustare cum diebus interpositis sine cibo omnino remansisset. Cumque Spiridion videret hospitem valdé de via fessum: Age inquit ô filia primum viri, huius pedes lava, deinde cibũ ei appone, &c.

SANCTVS Athanasius Epistola ad solitariam vitam à gentes enumerans immania, & tyranica Arianorum facinora præter cætera, ita scribit. Cũ populi pro Eutychio subdiacono quẽ Ariani ad suplicium rapuerant precibus suis suppliciter intercederẽt, reiectis populorũ precibus quatuor pro eo bonos, & ingenuos viros, & inter eos Hermiam lavantem pedes peregrinorum arripi iusserunt, quos dux multis plagis concisos in carcerem coniecit.

MOS lavandi pedes transijt ad Monastici Ordinis professores S. Benedictus in Regula, c. 53. Omnes super venientes hospites, tanquã Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est. Hospes fui, & suscepistis me. Vt ergo nũtiatus fuerit hospes occurratur ei á Priore, vel à Fratribus cũ omni officio charitatis, & primitus orẽt pariter, & sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum nõ prius offeratur, nisi oratione pręmissa propter illusiones diabolicas, &c. Aquã in manibus Abbas hospitibus det, pedes autẽ hospitibus omnibus tã Abbas quam cuncta congregatio lavet.

B. Isidor. Hispalen. in Regul. Monachorum c. 22. Licet omnibus Hospitalitatis cũ gratia oporteat refferi uberior tamẽ Monachis deferenda est honorificẽtia hospitalitatis. Præbeãtur eis habitacula lavẽtur eorum pedes, &c.

IN statutis Barcinonensibus Ordinis Minorum, c. 4. de hospitibus hæc decernuntur. Fratres omnes hospites recipiant in visceribus charitatis, maximé veniẽtes de extraneis partibus, ac remotis, &c. Vt vero Fratres omnes hospites maiora charitatis indicia experiantur ordinamus, ut eorum pedes laventur, &c.

SED

SED non solum in literis divinis solemnis fit mentio lotionis pedum, sed etiã in humanis. Homerus Odis. 19. mandat. Penelope ancillis, ut lavent Vlisem sub perigrini schemate latentem. Sed nõ passus est Vlises pedes suos á mulieribus tangi.

Neque mulier pedem nostrum tanget,
nisi annus fuerit.

Iusu igitur Penelopis Euriclea annis obsita Vlisi pedes lavit absoluta lotione mensæ accubuit.

CLEMENS Alexandr. lib. 4. Stromatum, scribit: Cleobubuli sapientis, & lyndiorum Monarchę filiam non pudebat lavare pedes paternorum hospitum. Monstrat etiam ille locus Plauti in Persa. Locus hic tuus est. Hic accumbe ferte aquam pedibus. Præben tu puer.

HERODOTVS scribit lib. 2. Amasim Regem Ægyptior. habuisse pelvim auream in qua tam ipse, quam omnes eius convivæ pedes lavare consueverint.

EXEMPLVM eiusdẽ consuetudinis apud Ethnicos proditũ est in vita Æsopi, ubi Xãtus uxori suæ mãdat, ut lavet pedes cuiusdã hospitis, dicitur: Domina aquã in pelvim inijce, & pedes hospitis lava. Illa igitur iacta aqua in pelvim ibat pedes hospitis lotura, &c. Extensis igitur pedibus: lava, inquit Hera, ac lotus discubuit.

DOCTOR Sorapan dę Rieros in libro vocato *Medicina Española*, p. 2. & 3.

Si quieres que tu hijo crezca
lavale los pies, i rapale la cabeça.

Et ut monstrabitur inferius præceptum, hoc est salubre. Noster elegans Poëta Lupus de Vega in Circe, hos etiam versus scribit de Vlise loquente cum Poliphemo.

Vn don te quiero dar por este gusto;
Dime tu nombre que por bien tan grande

lis ipsis diebus; in quibus una cum suis ieiunium agere consueverat, & ad statutum diem cibum degustare cum diebus interpositis sine cibo omnino remansisset. Cumque Spiridion videret hospitem valdé de via fessum: Age inquit ô filia primum viri, huius pedes lava, deinde cibũ ei appone, &c.

SANCTVS Athanasius Epistola ad solitariam vitam à gentes enumerans immania, & tyranica Arianorum facinora præter cætera, ita scribit. Cũ populi pro Eutychio subdiacono quẽ Ariani ad suplicium rapuerant precibus suis suppliciter intercederẽt, reiectis populorũ precibus quatuor pro eo bonos, & ingenuos viros, & inter eos Hermiam lavantem pedes peregrinorum arripi iusserunt, quos dux multis plagis concisos in carcerem coniecit.

Mos lavandi pedes transijt ad Monastici Ordinis professores S. Benedictus in Regula, c. 53. Omnes super venientes hospites, tanquã Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Vt ergo nũtiatus fuerit hospes occurratur ei á Priore, vel á Fratribus cũ omni officio charitatis, & primitus orẽt pariter, & sic sibi sociẽtur in pace. Quod pacis osculum nõ prius offeratur, nisi oratione pręmissa propter illusiones diabolicas, &c. Aquã in manibus Abbas hospitibus det, pedes autẽ hospitibus omnibus tã Abbas quam cuncta congregatio lavet.

B. Isidor. Hispalen. in Regul. Monachorum c. 22. Licet omnibus Hospitalitatis cũ gratia oporteat refferi uberior tamẽ Monachis deferenda est honorificẽtia hospitalitatis. Præbeãtur eis habitacula lavẽtur eorum pedes, &c.

IN statutis Barcinonensibus Ordinis Minorum, c. 4. de hospitibus hæc decernuntur. Fratres omnes hospites recipiant in visceribus charitatis, maximé veniẽtes de extraneis partibus, ac remotis, &c. Vt vero Fratres omnes hospites maiora charitatis indicia experiantur ordinamus, ut eorum pedes laventur, &c.

SED

SED non solum in literis divinis solemnis fit mentio lotionis pedum, sed etiã in humanis. Homerus Odis. 19. mandat. Penelope ancillis, ut lavent Vlisem sub perigrini schemate latentem. Sed nõ passus est Vlises pedes suos á mulieribus tangi.

Neque mulier pedem nostrum tanget,
nisi annus fuerit.

Iusu igitur Penelopis Euriclea annis obsita Vlisi pedes lavit absoluta lotione mensæ accubuit.

CLEMENS Alexandr. lib. 4. Stromatum, scribit: Cleobubuli sapientis, & lyndiorum Monarchę filiam non pudebat lavare pedes paternorum hospitum. Monstrat etiam ille locus Plauti in Persa: Locus hic tuus est. Hic accumbe ferte aquam pedibus. Præben tu puer.

HERODOTVS scribit lib. 2. Amasim Regem Ægyptior. habuisse pelvim auream in qua tam ipse, quam omnes eius convivæ pedes lavare consueverint.

EXEMPLVM eiusdẽ consuetudinis apud Ethnicos proditũ est in vita Æsopi, ubi Xãtus uxori suæ mãdat, ut lavet pedes cuiusdã hospitis, dicitur: Domina aquã in pelvim inijce, & pedes hospitis lava. Illa igitur iacta aqua in pelvim ibat pedes hospitis lotura, &c. Extensis igitur pedibus: lava, inquit Hera, ac lotus discubuit.

DOCTOR Sorapan de Rieros in libro vocato *Medicina Española*, p. 2. & 3.

Si quieres que tu hijo crezca
lavale los pies, i rapale la cabeça.

Et ut monstrabitur inferius præceptum, hoc est salubre. Noster elegans Poëta Lupus de Vega in Circe, hos etiam versus scribit de Vlise loquente cum Poliphemo.

Vn don te quiero dar por este gusto;
Dime tu nombre que por bien tan grande

Te matarè el postrero, que es injusto
Que a la razon el apetito mande:
Yo dixe; si es honor de un varon justo,
Que liberal con peregrinos ande,
Baucis, i Philemon te dan exemplo,
Que de los Dioses Huespedes contemplo.
Mira con la piedad que los lavaron
Los pies, i aquel panal sabroso dieron
Con que tanto a los Dioses obligaron,
Que Sacerdotes de su Templo fueron:
Inmortales en arboles quedaron,
Que de la muerte el transito no vieron;
Pero quien trata mal a un noble amigo
Presto verà de su maldad castigo.

Exemplum omne literarum humanarum, & divinarũ coronat divinum illud factum Salvatoris nostri Iesu Christi pedes discipulorum suorũ lavantis Ioã. 13. missit aquam in pelvim, & cępit lavare pedes discipulorũ, & extergere linteo, quo erat pręcinctus. Circa quã Redẽptoris nostri actionẽ sunt, qui dicant bis Apostolorũ pedes ea vespera fuisse lotos: primum quidem ex consuetudine quotidiana ut discumberent, & agnum Paschalem comederent. Dein de cœna facta, & agno Paschali iam comeso, & absumpto, quando pannis azimus frangebatur. Ita Iosephus Burdo Pseudo scaliger lib. 6. de emend. temp. cardinal. Baronius tom. 1. annalium anno Christi 34.

Ex quibus omnibus infero plura lavacra, & balnea de quibus fit mẽtio apud antiquos fuisse nõ universalia, aut totius corporis, sed particularia, & pedum. Colligitur ex Homero Odis. 7.

Vos

Vos famulæ date peregrino cibum, & potum.

Sed prius.

Lavate illum in fluvio.

Noluit tamen Vlises á famulabus hoc sibi officium præstari, dicebat enim circumspectus.

Pudet me nudari coram puellis.

Quapropter.

Ipsemet ex fluvio corpus abluit.

Vidimus tamen superiùs, quod Odos. 19. non passus fuit Vlises pedes suos à mulieribus tangi, dicens.

Neque mulier pedem nostrum tanget,
nisi annus fuerit.

Quis non diceret iuxta superiora loca, quod balneũ fuerit universale, quia fuit in fluvio, & pudebat nudari? Verũ postea se explicat, quod fuerit lotio pedum. Vt intelligãt dediti balneis universalibus aquæ dulcis non temere antiquiora universalia esse putanda.

LAVACRA pedum usitata utilissima sunt tam pro præservatione quam pro curatione plurium morborum. Nã cum in pedibus plures reperiantur extremitates nervorum, arteriarum, & venarum comodissimæ per lavacra fiunt revulsiones à cerebro, corde, & hepate partibus principibus, quæ sunt origines nervorum, arteriarum, & venarum, quia ex Hyppocrate, confluxus unus, conspiratio una consenticntia omnia.

IN distillationibus, & catharris excellens remediũ est, si quod alterũ in medicina, cõcoquit enim revellit, & mediocriter incrassat: ad attemperanda viscera, ut hepar, cor, & cerebrum maximé confert. Præsertim cerebrũ ipsum calefactum strenuè attemperat, & ob id somnum conciliat etiam si lotio ex sola sit aqua, multô plus si sit ex decoctione lactucarum violarum, &c.

IN lassitudine lotio pedũ principatum habet: in quem usum in sanitate antiquitus usurpabatur. Et omnes illæ,

quæ fiebāt peregrinis gratia tollendæ lassitudinis, & fatigationis ministrabantur. Minimè, ut inquirunt aliqui ad mundificandum pedes á pulvere. Docet D. Chrysostomus homil. 41. in Genesim, ubi scribit de lotione Abrahæ: Summatur inquit aqua, & lavent pedes vestros, & refrigerabimini sub arbore. Quia enim fatigati estis, & multum tulistis æstum, &c.

SIT primum corollarium. Lotio significata in nostro textu forsam fiebat ex aqua ad mixto butyro, quia ex solo butyro potius fuisset inunctio quam lotio. Commisceri vero poterat butyrum, quia talis lotio semper, ut vidimus præcedebat cibum: at Dioscorides cap. proprio scribit; quod illitum foris capaciora alimentorum facit corpora, & ab albidis pustulis per summa scatentibus asserit. Et quia, ut inquit etiam Galenus 10. simpliciū cap. proprio curat phlegmones poste aquam fluxio restiterit, quia digerit pariter, & concoquit. Idcirco tollit lassitudines in fatigatis: & mihi experientia compertum est, quod si butyro inungantur pedes prodest catarro, & pectori, & est contra tussim. Suavitas ergo fecerit delitias, ut medicatio sanitatem.

SECUNDUM corollarium. Secunda etiam pars versus est abundantiæ periphrasis, inquit: & petra fundebat mihi rivos olei. Difficillima est hæc pars, nam petra qua ratione poterat fundere oleum cum sit hoc proprium olivarum? Pater Nieremberg in sua docta philosophia 1. p. cap. 10. scribit; quod petræ olecariæ, quæ oleum fundunt, ab hinc dumtaxat septingentos supra mille annos inventæ fuerint. Verum Iob Sanctus multò est antiquior, & ipse iam de præterito loquebatur cum dicebat: & petra fundebat mihi rivos olei. Moyses etiā in Cantico Deuteronom. 32. facit mentionem petræ oleū fundentis, ait enim. Constituit eum super excelsam terram; ut comederet fructus agrorum, ut suggeret mel de petra, & oleum de saxo

du-

durissimo. Potest quidem hic per figuram abundantia significari potius quam sensus literalis. Porro Eusebius, & Orosius affirmant, quod ultra Tyberim manavit fons oleo. Marcus Polus aliam ponit in Armenia. Phraxelus inquit, quod in Sicilia durat adhuc. In Italia ponunt quādam petram in campo Mutinensi ex qua fluebat oleum. Plinius asserit lib. 15. cap. 7. quod simulacrum Saturni Romæ intus oleo repletum est. Nescio an fuerit miraculosum, quod petra funderet Sancto Iobo rivos olei, quia in sepulchris sanctorum oleum solet inveniri. Vt in sepulchro Sanctæ Theresiæ visum est.

CAPVT XXX.

TONABIT Deus in voce suam mirabiliter, qui facit magna, & inscrutabilia. ex lib. Iob *cap. 37.*



MAXIME Extollitur Dei potentia in tonitrui strepitu. Apud antiquos, & Gentilitatem Iupiter Deorum maximus per excellentiā vocabatur tonans. Cicero 2. de divinat. Ioue tonante, & fulgurāte comitia haberi nefas. Quasi ab omni cura humana tunc abstinendum, vacandumq; admirationi & venerationi rerum excelsarum. Dominus etiam exprobans hominum æmulationem, sic respondet Iob cap. 40. & si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & æsto gloriosus.

DE tonitrui naturalibus causis variæ fuerunt sententiæ antiquorum, de quibus egit Vallesius in sacra philosophia, ubi etiam hunc locum c. 50. explicat. Verum quāvis

loca quæ physicè scripta sunt in sacra pagina, & ab ipso derelicta explicare mihi sit in voto, & hunc quo quæ textum explicabo, quia quæ ab ipso scribuntur magnam habēt difficultatem Hyppocratem imitatus, qui in proœmio librorum suorum de dieta sic scribit: quæcunque igitur quidem rectè á prioribus dicta sunt, ut nō sit possibile me aliter conscribere rectè conscribam, quæcunque vero nō rectè dixerunt, siquidē redarguam hæc, quod non sic se habent nihil pro fecero. Verum exponendo qua de causa singula ipsorum rectè mihi habere videntur declarare volo.

STOICI collisu nobium fieri putabant, ut cum apud nos aqua ad aquam colliditur, ut in torrentibus. Anaxagoras esse crepitum qui editur, cum ignis, qui intra nubē inclussus est à circumfusa aqua extinguitur, ut, & apud nos crepitus editur immissa aqua in flammam, aut prunas ignem vero illum descendere ex æthere, hoc est superno igne, & ab accidentibus vaporibus intercipi. Anaximander, & Metrodorus, atque Aristoteles censent fieri ex nubis scissura à flatu intercluso, ac fortiter erūpente non aliter, ac crepant cum ad ignē rumpuntur glandes, aut ova, aut ex tormētis bellicis erūpente igne editūr tonitruum.

OMNIVM harum opinionum probabilissimam censet Vallesius Aristotelicam, atque adeo Stoicos impugnat. Nā collidi adeo vehementer non possunt nubes, nisi contrarijs, & vehementissimis in cursantibus ventis, quod quidem fieri cum tonitrua eduntur non experimur (inquit Vallesius,) sed plerunq; aut vnico flante, aut nullo conspicué. Sed opinio Stoicorū non videtur reijcienda, neq; nubiū collisus; atq; proinde cū corpora sint in occursu strepitū possunt facere, ut cū aqua ad aquam colliditur in torrētibus, neq; obstat ratio Vallesij; quę negat posse cōferri nubes torrentibus, quia dū sublimes manent nihil aquæ continent; nā crepitū facit collisus corporū, quæ non obsunt aqua, ut in exēplo Anaxagoræ, quando aqua imittur

tur inflāmā, aut prunas. Præterea non opportet, ut collisus fiat cōtrarijs, & vehementissimis incursantibus ventis, quia vētus nihil aliud est quā flatus aliquis per aërem decurrens, atq; cum in nubibus sint flatus, si decurrant, ut possunt collisum facient. Quin aliquādo sine eo, quod appareant nubes sentitur tonitruum; ut advertit Lupeyus benè in quinquagenis probl. 173. quia mota exhalatione per aërem sonitus causatur, ut etiam mota candela.

GALENVS 6. de modis vulgaribus com. 4. §. aquarum arte carentium, utranque opinionem Stoicorum & Aristot. videtur admittere; primò modo ab exhalatione ignea erumpente iuxta Aristot. secundò modo, quando colliduntur nubes iuxta Stoicos, & ambæ rumpūtur, vel illarum altera tonitruum fit, & quando hoc modo generatur, non apparet corruscatio.

QVI præcipit nivi, ut descendat in terram, ut hiemis pluvijs, & imbri fortitudinis suæ. Eodem cap. Iob, versu subsequenti loquitur Eliud.

PLVVIAS moderatas, & mediocri impetu cadētes, & caliginosas vocat hiemis pluvias, quia tales per hiemem cadere solent, largas vero, & impetuosas, quales per æstatē plerunque fiunt vocat imbrem fortitudinis suæ. Exaltat itaq; Dei potentiā, quod eius præcepto descendant in terram nix, & pluviæ hiemales, & imbres æstivi fortissimi, & maximo impetu cadentes, qui medicis vocari consuevere temporales, quasi æstivi, quia ea pars anni vocatur peculiariter Græcis hora hoc est tempus. Nivē, grandinē, & pruinam à maiori frigore fieri quā pluviam roremq; constat, primum quidem ex ea analogia quam habent cū gelu, quod apud nos frigore fieri experimur, deinde ex solutione, quod scilicet ea omnia calore solvuntur in aquā. Fieri etiam aquam ex vapore densato frigore.

DOCET tamen Vallesius pluvias copiosiores, & guttarū grādiorū à maiori frigore fieri quā cōtrarias, quia cum

aqua

aqua, simul, ut gignitur cadat, tanto grandiores fiunt guttæ, quanto celerius nubis in aquam muttatur. Si autē frigus eius muttationis causa est, celerioris muttationis causa sit maius frigus, ubi nulla in materia differentia statuitur. Grandinem etiam quam nivem censet Aristoteles esse maioris frigoris sobolem argumento á maiori soliditate accepto.

HVIC difficultati de guttarum grandiorum generatione diversimodè respondetur.

MAXIMA ratio dubitandi est, cur æstate fiant grandiores guttæ quam hieme siquidem maioris frigoris sunt.

STOICI qui ponebant aërem frigidiorem, natura sua aqua, atque adeo primum frigidorum dicerent vapores, & aquam densationes illas pati, ab aëre, ut pote frigidiori, illo vero potius loco, quod ibi maximé naturam suam retineat, neque à rectis radijs adeo alteratus, quam sublimior, neque à reflexis quam humilior. Aristoteles, qui aërem natura sua calidum esse putat abit in Antiparistasim dicens, regionem eam aëris frigidam fieri ob circumstantiam calidiorum. Cæterum stoici non exacte possunt respondere, cur æstate fiant illæ cōcertiones maiores, quam hieme: dicunt enim rectè illas concretiones ibi fieri, quia aër est frigidus, cur vero sit æstate frigidior non dicunt. Aristoteles probabilius dicit, nam cum non ponat aërem per se frigidum, sed ex accidenti ob contrariorum circūstantiam consequens esse videtur, ut cum quæ circumstāt contraria sunt maiora, sit & aër eo in loco frigidior. Sed interrogatur Aristo. cuius substantiæ est illud frigus, quod per Antiparistasim augescit, an aëris, an ipsorum vaporū, & aquæ. Si enim aëris necesse est aërem frigidum ponere cum stoicis: si vaporum, & aquæ fit, ut vapores suo seipsos frigore refrigerent, & præternaturam suam dēfet, quod videtur difficile. Siquidem physicæ principium est, omne, quod præternaturam alterascit, aut omnino movetur ab

alio

alio id pati. Quapropter, vel his argumentis probabilissima, est doctrina Vallesij quam & nos confirmavimus alio in loco huius operis, quæ censet concretionem non esse aquæ præternaturam, quin potius totum aquæ genus si á calore dimitteretur concretum iri.

Sed adhuc pungit scrupulus, qui tota media aëris regio ubi fiunt metheora frigida est tam hieme quam æstate; ac proinde calor ille maior æstatis, non videtur causare per Antiparistasim frigidiora metheora æstivalia, quã hiemalia. Vlterius, quia si ut diximus, & ipse Vallesius, fatetur infrigidatio vaporum aquæ in media aeris regione fit per emanationem, & resultantiam à propria forma aquæ, quando derelinquitur, á calore; ergo cum per æstatem frigidiora metheora generentur; opus est, ut derelinquatur magis à calore; igitur maior calor, qui est in æstate nihil conducit ad maiorem frigiditatem metheororum, sed potius privatio illius.

Quapropter quamvis probabilis sit sententia Vallesij; longè probabilior est hæc, Vapores nimirum in æstate pro maiori calefactione, quam accipiunt à sole; vel si mavis exhalationes, sublimius ascendere, & ad centrum frigidius mediæ aëris regionis devenire, & ita frigidiora metheora generari quam hieme, quia vapores frigidiores, non tam altè ascendunt, neque attingunt tam frigidum locum.

Tandem est advertendum circa guttas grãdiores, quæ cadere solent tempore æstatis; illas non semper generari à maiori frigore, sed à subitanea concretione, & incompleta æqualis frigoris. Argumento est, quia aquæ æstivales tenuiores sunt hiemalibus, ut notat Galenus dicto loco, atque ita cum minorem condensationem habeant minoris frigoris sunt effectus. Experimur etiam aliquando simul cum his pluvijs descendere ranas, & bufones, & cũ talia animalia fiant putrefactione, non omnino viget fri-

gi-

giditas, sed calor ad est putredinalis. Ascendunt ergo vapores subito in æstate, qui maiorem habent calorem; atque quam primum frigidam regionem attingunt, subito etiam concrescunt in guttas grandiores, & cum non detineantur præ mobilitate, & tenuitate non possunt condensari, & reduci ad minorem locum, sed subito rumpunt nubem, & descendunt, in forma guttarum grandiorum.

PROSEQVITVR sacer contextus. Ab interioribus inquit egreditur tempestas, ab Arcturo Frigus. Iob eodem cap.

DICITVR tempestas, quasi tempus æstatis, ubi id fortes imbres cum tonitruis fulguribus, & fulminibus temporales vocentur: opponit frigus ex contrario capite, quia illa omnia cum calore contingunt. Arcturus est id astrum, quod vocatur ursa maior: inde etiam accepit nomen polus arcticus iuxta quem voluitur, ac proinde nobis est sempiternæ apparitionis. Nunc totam cæli partem vocat nomine illius astri arcturum, quam nomine venti inde venientis vocaverat Aquilonem, eam inquam quæ est ad polum quæ, & Septentrio vocatur. Opponitur alia per totum mundi diametrum distans alter scilicet polus, qui vocatur antarcticus. Plaga mūdi qui inter duos polos est ab eis æque distans, & ad medium diametri spectans, quæ vocatur meridies dicitur esse interior mundi pars, quia spectat ad Zodiacum qua parte sol volutatur cor mundi appellatus, cor, autē in interioribus est. Igitur à meridie, ut pote calidissima mundi parte, unde fiat Auster calidissimus ventus veniūt tempestates, & procellæ, & à septentrione frigus, quia inde venit boreas ventus frigidissimus.

CONSEQVENTER loquens sacer contextus, ut ostendat horum causas, quod tempestas veniat ab interioribus, & frigus ab Arcturo referendas esse in ventos addit.

FLA

FLANTE Deo concrescit gelu, & rursum latissimé funduntur aquæ. Eodem capite.

FLATVM Dei vocat ventum hac phrasi indicans, ut aliarum rerum omnium, ita & ventorum esse primã, & præcipuam causam Deum. Dicit ergo, quod flante Aquilone concrescit gelu, & rursum flante ei opposito vento funduntur latissimæ, quæ concretæ erant aquæ.

SED potest dubitari circa hęc verba. Nã nihil videtur cõducere ventus ad condensationẽ gelu. Scripsimus enim, quod summa frigitas, est quę facit concretionẽ sola. Favet experientia, nam hieme quando flat ventus aliquis, nõ ita cõcrescit gelu, ut quãdo quiescit. Et solemus dicere, quod quando cessat ventus vespere gelabit sequenti nocte.

RECENTIORES, ut Sanctacruz, & alij, qui tenent gelu siccum esse manifestè affirmant, quod frigiditas facit condensationem accedente siccitate à vento inducta. Verum enimvero nunquam potui adduci, ut credam gelu siccum esse vera siccitate: alias enim ignis siccus augeret, & conservaret talem siccitatem, quod non fit, sed potius illam destruit cum illud convertat in aquam prorsus humidam, & fluidam. Quapropter aliter interpretandus est divinus contextus.

PROFECTO ventus magnus non solum non conducit ad concretionẽ gelu, verum illam solet impedire [ut ab experientia cõpertũ est. Et ex ratione nam, ut statim dicemus causa materialis ventorũ est exhalatio potius quam vapor, quæ quod admodo ignea est, ac proinde suo calore actionem frigiditatis hebetare potest. Sed tamen ventus exiguus, placidus, subtilissimus, & frigidus conducere potest ad congelationem, quia plurimum habet vaporis humiditatis, & frigiditatis, atque ita media penetratione iuvare potest condensationem. Observatur hoc hieme cum gelat flante exiguo, & frigidissimo vento: quin etiam eo arbores uruntur præsertim si præcessit pluvia:

ut

tropicum cancri, & circulum arcticum constitutam, quã solam cum alia ei opposita ultra aliam tropicum censuit antiquitas habitari posse, nihil cum Polo Antarctico. Sed sunt alia quatuor puncta maximé distantia secundum duos diametros nostri huius mundi, quem Arist. dixit, habere figuram tympani habentis vero longitudinis quam latitudinis fere duplum. Ea sunt Polus Arcticus, & Meridies Oriens, & Occidens. Nam à Polo venit Aquilo, à Meridie Auster, Eurus ab Oriente, Zephirus ab Occidente. Quamvis plerique Aristotelicorum decepti quibusdam eius autoris verbis 2. metheo. cap. 4. quæ minus attente fortase scripta sunt dicunt Austrum, ut pote Aquilonis contrarium venire à contrario Polo puta ab Antarctico, & proinde Aquilonem totum hoc emispherium, quod videmus: Meridiem contrarium, & huic oppositum. Non animadvertentes Aristotelem ipsum 2. metheor. cap. 5. ita dicere; Auster quidem à solstitiali fertur signo, neque ab alteris septentrionibus. Quod admodum congruit cũ præscriptis verbis Iob. Ab interioribus egreditur tempestas, & ab Arcturo frigus. Quod enim pertinet ad Polum super quem circum volvitur cælum, non ita de interna parte est sicuti, quod pertinet ad solstitiale signum. Huc pertinet Geographorum mos, qui typos totius orbis terrarum faciunt, semper enim suos typos quatuor punctis notant Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie; cum tamen si exacta debet fieri descriptio quatuor puncta debent esse Oriens, Occidens Arcticus, & Antarcticus Poli; siquidem partes ultra, & citra Meridiem, hoc est ultra, & citra Zodiacum describunt.

ITAQVE ex quacunque terræ parte incipere potest essumatio, ventorum materia, neque opus est cum Hispania perflatur à Borea, perfletur etiam Germania; neque cum ab Austro perfletur etiam lybia, sed possunt illæ serenitate frui, ne quaquam in alis exortis ventis. Igitur falsum

sum est Austrum, qui nos attingit ab'Antarctico Polo venire, ac non potius ab interiori mundi parte quę dicitur Meridies quam percurrunt Planetæ.

De temperamentis ventorum super est dicamus, quandoquidem, & hoc maximas habet difficultates, & ad rem præsentem maximè facit. In motu ventorum datur mobile terminus à quo, & terminus ad quem. Mobile est ipsa exhalatio, quæ dicitur ventus, terminus à quo pars terræ unde incipit exufflatio; terminus ad quem est punctū terræ versus, quod movetur. Quantū est ex parte mobilis una esset tēperies ventorū est enim exhalatio fumo similis: Igitur ob aliud quippiam fit, ut non eadem omnium temperies sit, sed Aquilo sit frigidus, & siccus, Auster calidus, & humidus; Eurus, & Zephirus inter illos medij, & inter se quā minimum dissidentes. Illud vero non potest esse aliud, quā termini ad quē & à quo, loca nempè à quibus in quæ ferūtur: ob quę meritò evenit, ut Aquilo, & Auster inter se dissideant plurimū, Eurus, & Zephirus minimū, quia Septentrio, & Meridies plurimum dissident, cum alter calidissimus, alter frigidissimus locus sit. Oriens, & Occidens quam minimum dissident, cum ad utranque partē, æque sol accedat, & qui alijs Oriens, alijs Occidens sit. Dissident vero, hi duo ab Austro, & à borea penes terminos à quo, & ad quem. Illi enim feruntur á similibus in similia ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Oriētem, hi vero á contrario in contrarium, puta à Meridie in Septentrionem, & à Septentrione in Meridiem.

Sed urgeamus strictiùs. Diversitas tēperamentorū ventorū, nō potest accipi à termino à quo, hoc est à loco, unde incipit exufflatio; siquidē indicatam est boreā non semper venire á Septentrione, neq; Austrum à Meridie, sed undecunque posse incipere effumationem, & exufflationem, ut contigerit huc, aut illuc ferri. Nā Aquilo, & Auster possunt oriri ab eodem loco, & illinc exufflare versus

quæ fiebāt peregrinis gratia tollendæ lassitudinis, & fatigationis ministrabantur. Minimè, ut inquirunt aliqui ad mundificandum pedes á pulvere. Docet D. Chrysostomus homil. 41. in Genesim, ubi scribit de lotione Abrahæ: Summatur inquit aqua, & lavent pedes vestros, & refrigerabimini sub arbore. Quia enim fatigati estis, & multum tulistis æstum, &c.

SIT primum corollarium. Lotio significata in nostro textu forsam fiebat ex aqua ad mixto butyro, quia ex solo butyro potius fuisset inunctio quam lotio. Commisceri vero poterat butyrum, quia talis lotio semper, ut vidimus præcedebat cibum: at Dioscorides cap. proprio scribit; quod illitum foris capaciora alimentorum facit corpora, & ab albidis pustulis per summa scatentibus asserit. Et quia, ut inquit etiam Galenus 10. simpliciũ cap. proprio curat phlegmones poste aquam fluxio restiterit, quia digerit pariter, & concoquit Idcirco tollit lassitudines in fatigatis: & mihi experientia compertum est, quod si butyro inungantur pedes prodest catarro, & pectori, & est contra tussim. Suavitas ergo fecerit delitias, ut medicatio sanitatem.

SECVNDVM corollarium. Secunda etiam pars versus est abundantiæ periphrasis, inquit: & petra fundebat mihi rivos olei. Difficillima est hæc pars, nam petra qua ratione poterat fundere oleum cum sit hoc proprium olivarum? Pater Nieremberg in sua docta philosophia 1. p. cap. 10. scribit; quod petræ oleariæ, quæ oleum fundunt, ab hinc dumtaxat septingentos supra mille annos inventæ fuerint. Verum Iob Sanctus multò est antiquior, & ipse iam de præterito loquebatur cum dicebat: & petra fundebat mihi rivos olei. Moyses etiã in Cantico Deuteronom. 32: facit mentionem petræ oleũ fundentis, ait enim. Constituit eum super excelsam terram; ut comederet fructus agrorum, ut suggeret mel de petra; & oleum de saxo

du-

durissimo. Potest quidem hic per figuram abundantia significari potius quam sensus literalis. Porro Eusebius, & Orosius affirmant, quod ultra Tyberim manavit fons oleo. Marcus Polus aliam ponit in Armenia. Phraxelus inquit, quod in Sicilia durat adhuc. In Italia ponunt quãdam petram in campo Mutinensi ex qua fluebat oleum. Plinius asserit lib. 15. cap. 7. quod simulacrum Saturni Romæ intus oleo repletum est. Nescio an fuerit miraculosum, quod petra funderet Sancto Iobo rivos olei, quia in sepulchris sanctorum oleum solet inveniri. Vt in sepulchro Sanctæ Theresiæ visum est.

CAPVT XXX.

TONABIT Deus in voce suam mirabiliter, qui facit magna, & inscrutabilia. ex lib. Iob *cap. 37.*



MAXIME Extollitur Dei potentia in tonitrui strepitu. Apud antiquos, & Gentilitatem Iupiter Deorum maximus per excellentiã vocabatur tonans. Cicero 2. de divinat. Iove tonante, & fulgurãte comitia haberi nefas. Quasi ab omni cura humana tunc abstinendum, vacandumq; admirationi & venerationi rerum excelsarum. Dominus etiam exprobans hominum æmulationem, sic respondet Iob cap. 40. & si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus.

DE tonitrui naturalibus causis variæ fuerunt sententiæ antiquorum, de quibus egit Vallesius in sacra philosophia, ubi etiam hunc locum c. 50. explicat. Verum quãvis lo-

loca quæ physicè scripta sunt in sacra pagina, & ab ipso derelicta explicare mihi sit in voto, & hunc quo quæ textum explicabo, quia quæ ab ipso scribuntur magnam habẽt difficultatem Hyppocratem imitatus, qui in proęmio librorum suorum de dieta sic scribit: quæcunque igitur quidem rectè á prioribus dicta sunt, ut nõ sit possibile me aliter conscribere rectê conscribam, quæcunque vero nõ rectè dixerunt, siquidẽ redargüam hæc, quod non sic se habent nihil pro fecero. Verum exponendo qua de causa singula ipsorum rectè mihi habere videntur declarare volo.

STOICI collisu nobium fieri putabant, ut cum apud nos aqua ad aquam colliditur, ut in torrentibus. Anaxagoras esse crepitum qui editur, cum ignis, qui intra nubẽ inclussus est à circumfusa aqua extinguitur, ut, & apud nos crepitus editur immissa aqua in flammam, aut prunas ignem vero illum descendere ex æthere, hoc est superno igne, & ab accidentibus vaporibus intercipi. Anaximander, & Metrodorus, atque Aristoteles censent fieri ex nubis scissura à flatu intercluso, ac fortiter crũpente non aliter, ac crepant cum ad ignẽ rumpuntur glandes, aut ova, aut ex tormẽtis bellicis erũpente igne editũr tonitruum.

OMNIUM harum opinionum probabilissimam censet Vallesius Aristotelicam, atque adeo Stoicos impugnat. Nã collidi adeo vehementer non pussunt nubes, nisi contrarijs, & vehementissimis in cursantibus ventis, quod quidem fieri cum tonitrua eduntur non experimur (inquit Vallesius,) sed plerunq; aut vnico flante, aut nullo conspicué. Sed opinio Stoicorũ non videtur reijcienda, neq; nubiũ collisus; atq; proinde cũ corpora sint in occursu strepitũ possunt facere, ut cũ aqua ad aquam colliditur in torrẽtibus, neq; obstat ratio Vallesij; quę negat posse cõferri nubes torrentibus, quia dũ sublimes manent nihil aquæ continent; nã crepitũ facit collisus corporũ, quæ non obsunt aqua, ut in exẽplo Anaxagoræ, quando aqua imitũ

tur

tur inflãmã, aut prunas. Præterea non opportet, ut collisus fiat cõtrarijs, & vehementissimis incursantibus ventis, quia vẽtus nihil aliud est quã flatus aliquis per aërem decurrens, atq; cum in nubibus fiunt flatus, si decurrant, ut possint collisum facient. Quin aliquãdo sine eo, quod appareant nubes sentitur tonitruum, ut advertit Lupeyus benè in quinquagenis probl. 173. quia mota exhalatione per aërem sonitus causatur, ut etiam mota candela.

GALENVS 6. de modis vulgaribus com. 4. §. aquarum arte carentium, utranque opinionem Stoicorum & Aristot. videtur admittere; primò modo ab exhalatione ignea erumpente iuxta Aristot. secundò modo, quando colliduntur nubes iuxta Stoicos, & ambæ rumpũtur, vel illarum altera tonitruum fit, & quando hoc modo generatur, non apparet corruscatio.

QVI præcipit nivi, ut descendat in terram, ut hiemis pluvijs, & imbri fortitudinis suæ. Eodem cap. Iob, versu subsequenti loquitur Eliud.

PLVVIAS moderatas, & mediocri impetu cadẽtes, & caliginosas vocat hiemis pluvias, quia tales per hiemem cadere solent, largas vero, & impetuosas, quales per æstatẽ plerunque fiunt vocat imbrem fortitudinis suæ. Exaltat itaq; Dei potentiã, quod eius præcepto descendant in terram nix, & pluviæ hiemales, & imbres estivi fortissimi, & maximo impetu cadentes, qui medicis vocari consuevere temporales, quasi æstivi, quia ea pars anni vocatur peculiariter Græcis hora hoc est tempus. Nivẽ, grandinẽ, & pruinam à maiori frigore fieri quã pluviam roremq; constat, primum quidem ex ea analogia quam habent cũ gelu, quod apud nos frigore fieri experimur, deinde ex solutione, quod scilicet ea omnia calore solvuntur in aquã. Fieri etiam aquam ex vapore densato frigore.

DOCET tamen Vallesius pluvias copiosiores, & guttarũ grãdiorũ à maiori frigore fieri quã cõtrarias, quia cum aqua

aqua, simul, ut gignitur cadat, tanto grandiores fiunt guttæ, quanto celerius nubis in aquam muttatur. Si autē frigus eius muttationis causa est, celerioris muttationis causa sit maius frigus, ubi nulla in materia differentia statuitur. Grandinem etiam quam nivem censet Aristoteles esse maioris frigoris sobolem argumento á maiori soliditate accepto.

HVIC difficultati de guttarum grandiorum generatione diversimodè respondetur.

MAXIMA ratio dubitandi est, cur æstate fiant grandiores guttæ quam hieme siquidem maioris frigoris sunt.

STOICI qui ponebant aërem frigidiorem, natura sua aqua, atque adeo primum frigidorum dicerent vapores, & aquam densationes illas pati, ab aëre, ut pote frigidiori, illo vero potius loco, quod ibi maximè naturam suam retineat, neque à rectis radijs adeo alteratus, quam sublimior, neque à reflexis quam humilior. Aristoteles, qui aërem natura sua calidum esse putat abit in Antiparistasim dicens, regionem eam aëris frigidam fieri ob circumstantiam calidiorum. Cæterum stoici non exacte possunt respondere, cur æstate fiant illæ cōcertiones maiores, quam hieme: dicunt enim rectè illas concretiones ibi fieri, quia aër est frigidus, cur vero sit æstate frigidior non dicunt. Aristoteles probabilius dicit, nam cum non ponat aërem per se frigidum, sed ex accidenti ob contrariorum circūstantiam consequens esse videtur, ut cum quæ circumstāt contraria sunt maiora, sit & aër eo in loco frigidior. Sed interrogatur Aristo. cuius substantiæ est illud frigus, quod per Antiparistasim augescit, an aëris, an ipsorum vaporū, & aquæ. Si enim aëris necesse est aërem frigidum ponere cum stoicis: si vaporum, & aquæ fit, ut vapores suo seipsos frigore refrigerent, & præternaturam suam dēset, quod videtur difficile. Siquidem physicæ principium est, omne, quod præternaturam alterascit, aut omnino movetur ab

alio

alio id pati. Quapropter, vel his argumentis probabilissima, est doctrina Vallesij quam & nos confirmavimus alio in loco huius operis, quæ censet concretionem non esse aquæ præternaturam, quin potius totum aquæ genus si á calore dimitteretur concretum iri.

SED adhuc pungit scrupulus, qui tota media aëris regio ubi fiunt metheora frigida est tam hieme quam æstate; ac proinde calor ille maior æstatis, non videtur causare per Antiparistasim frigidiora metheora æstivalia, quā hiemalia. Vlterius, quia si ut diximus, & ipse Vallesius, fatetur infrigidatio vaporum aquæ in media aeris regione fit per emanationem, & resultantiam à propria forma aquæ, quando derelinquitur, á calore; ergo cum per æstatem frigidiora metheora generentur, opus est, ut derelinquatur magis à calore, igitur maior calor, qui est in æstate nihil conducit ad maiorem frigiditatem metheororum, sed potius privatio illius.

QVAPROPTER quamvis probabilis sit sententia Vallesij; longè probabilior est hæc. Vapores nimirum in æstate pro maiori calefactione, quam accipiunt à sole; vel si mavis exhalationes, sublimius ascendere, & ad centrum frigidius mediæ aëris regionis devenire, & ita frigidiora metheora generari quam hieme, quia vapores frigidiores, non tam altè ascendunt, neque attingunt tam frigidum locum.

TANDEM est advertendum circa guttas grādiores, quæ cadere solent tempore æstatis; illas non semper generari à maiori frigore, sed à subitanea concretione, & incompleta æqualis frigoris. Argumento est, quia aquæ æstivales tenuiores sunt hiemalibus, ut notat Galenus dicto loco, atque ita cum minorem condensationem habeant minoris frigoris sunt effectus. Experimur etiam aliquando simul cum his pluvijs descendere ranas, & bufones, & cū talia animalia fiant putrefactione, non omnino vigere fri-

gi-

giditas, sed calor ad est putredinalis. Ascendunt ergo vapores subito in æstate, qui maiorem habent calorem; atque quam primum frigidam regionem attingunt, subito etiam concrescunt in guttas grandiores, & cum non detineantur præ mobilitate, & tenuitate non possunt condensari, & reduci ad minorem locum, sed subito rumpunt nubem, & descendunt, in forma guttarum grandiorum.

PROSEQVITVR sacer contextus. Ab interioribus inquit egreditur tempestas, ab Arcturo Frigus. Iob eodem cap.

DICITVR tempestas, quasi tempus æstatis, vel id fortes imbres cum tonitruis fulguribus, & fulminibus temporales vocentur: opponit frigus ex contrario capite, quia illa omnia cum calore contingunt. Arcturus est id astrum, quod vocatur ursa maior: inde etiam accepit nomen polus arcticus iuxta quem voluitur, ac proinde nobis est sempiternæ apparitionis. Nunc totam cæli partem vocat nomine illius astri arcturum, quam nomine venti inde venientis vocaverat Aquilonem, eam inquam quæ est ad polum quæ, & Septentrio vocatur. Opponitur alia per totum mundi diametrum distans alter scilicet polus, qui vocatur antarcticus. Plaga mũdi qui inter duos polos est ab eis æque distans, & ad medium diametri spectans, quæ vocatur meridies dicitur esse interior mundi pars, quia spectat ad Zodiacum qua parte sol volutatur cor mundi appellatus, cor, autẽ in interioribus est. Igitur à meridie, ut pote calidissima mundi parte, unde fiat Auster calidissimus ventus veniũt tempestates, & procellæ, & à septentrione frigus, quia inde venit boreas ventus frigidissimus.

CONSEQVENTER loquens sacer contextus, ut ostendat horum causas, quod tempestas veniat ab interioribus, & frigus ab Arcturo referendas esse in ventos addit.

FLA

FLANTE Deo concrescit gelu, & rursum latissimé funduntur aquæ. Eodem capite.

FLATUM Dei vocat ventum hac phrasi indicans, ut aliarum rerum omnium, ita & ventorum esse primã, & præcipuam causam Deum. Dicit ergo, quod flante Aquilone concrescit gelu, & rursum flante ei opposito vento funduntur latissimæ, quæ concretæ erant aquæ.

SED potest dubitari circa hęc verba. Nã nihil videtur cõducere ventus ad condensationẽ gelu. Scripsimus enim, quod summa frigitas, est quę facit concretionẽ sola. Favet experientia, nam hieme quando flat ventus aliquis, nõ ita cõcrescit gelu, ut quãdo quiescit. Et solemus dicere, quod quando cessat ventus vespere gelabit sequenti nocte.

RECENTIORES, ut Sanctacruz, & alij, qui tenent gelu siccum esse manifestè affirmant, quod frigiditas facit condensationem accedente siccitate à vento inducta. Verum enimvero nunquam potui adduci, ut credam gelu siccum esse vera siccitate: alias enim ignis siccus augeret, & conservaret talem siccitatem, quod non fit, sed potius illam destruit cum illud convertat in aquam prorsus humidam, & fluidam. Quapropter aliter interpretandus est divinus contextus.

PROFECTO ventus magnus non solum non conducit ad concretionẽ gelu, verum illam solet impedire, ut ab experientia cõpertũ est. Et ex ratione nam, ut statim dicemus causa materialis ventorũ est exhalatio potius quam vapor, quæ quod admodo ignea est, ac proinde suo calore actionem frigiditatis hebetare potest. Sed tamen ventus exiguus, placidus, subtilissimus, & frigidus conducere potest ad congelationem, quia plurimum habet vaporis humiditatis, & frigiditatis, atque ita media penetratione iuvare potest condensationem. Observatur hoc hieme cum gelat flante exiguo, & frigidissimo vento: quin etiam eo arbores uruntur præsertim si præcessit pluvia:

ut

ut norunt agricolæ: de hoc ergo est intelligendus noster textus.

QVÆ sit vero causa cur Auster calidus, boreas vero frigidus sit nunc dicẽdum, si prius agamus de vẽtorum substantia. Antiqui philosophi existimarunt ventum, nihil aliud esse quam aerem motum, eandemque substantiam, quietam vocari aerem, motam ventum; ita ut ventus esset veluti aeris unda, neque ab eo differre ulla ratione quam motu. Hanc sententiam multis argumentis refutavit Aristot. 2. metheo. cap. 4. Pręcipuum vero est, quod opporteat agitandi aeris aliam causam assignari, in qua venti essentia probabilius constituatur, quam in ipso aëre, nam aer, qui quietus nũc sit, qúi possit undatim fluere, à nulla alia re quę interfluat agitatus? quod si quæ alia substantia tenuis, sive vapor, sive exhalatio eum impellit, ea potius sit venti substantia quam ipse aer. Præsertim cum aer nullum habeat principium motus, ut neque finem; nam neque pondere movetur, neque levitate, neque replendi vacui necessitate ventus igitur non est ipse agitatus aer, sed flatus aliquis aerem agitans, ac per ipsum decurrens. Deinde cum duplex sit evaporatio alia aquea frigida, & humida: quæ vocatur vapor; alia calida, & sicca, quæ vocatur exhalatio, seu terrę fumus: & vapor materia pluviæ, roris nivis grandinis, & pruinæ sit, constat ventorum exhalationem esse causam, quia magna ex parte solent accidere multi flatus cum squaloribus, & pluvijs supervenientibus venti conquiscere, quasi ex contrarijs nascentibus causis ventis, & pluvijs. Nubes fiunt à vaporibus, ut diximus, & ita facile convertuntur in aquam, ventus ergo solet afferre nubes, & ita pluvias coagulare; & aliquando ventus pellit nubes, & pluviæ materiam dissipat, ut contigit tempore diluvij. Adduxit inquit sacra pagina, spiritum hoc est ventum super terram, & imminutæ sunt aquæ, & clausi sunt fontes abysi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluvię de cælo. AD-

ADVERTENDVM etiam est, quod quãvis exhalatio differat á vapore; tamen aliquando coniunguntur, & complicantur ex substantiæ analogia, tam enim vapor quam exhalatio elevantur ex uno globo terræ, & aquæ, & per eandem viam feruntur in mediam aëris regionem.

MOTVS ergo ventorum sunt causæ, natura ignea, & mobilis exhalationis, & repulsio alterius corporis. Particularis vero motus in orbem, & circum circa terram, est causa occursus, vel vaporis, vel frigidioris aeris, qui prohibẽs motum sursum cogit ferri in orbem. Velut fumus qui è fornace aliqua occursu venti effluit dissipatus hac, aut illac, ita exhalatio quæ vrendæ terræ fumus est occursu frigidioris, seu vaporis, seu aëris, qui in media regione præcipué est repulsa cogitur ferri, circum circa terram, quæ ita lata dicitur ventus. Aliquando etiam recluditur exhalatio intra vaporem, & exitum intendens rumpit per latera, & illac movetur.

VENTVS vero ex quacunque mundi parte in quamcunque potest spirare, neque esse certam vllam unde, aut in quam feratur, quoniam pars quæcunque tërræ potest effumare, isque fumus versus quaque repelli, ut hinc, aut illinc occurrit frigidior, & densior vapor: hoc est, quod dicit caput 3. Evangelij D. Ioannis spiritus, ubi vult spirat, & vocem eius audis, neque scis unde venit, neque quo vadit.

VENTI, & differentias accipiunt, & nomina à partibus ex quibus, & in quas feruntur. His qui sunt in sphera recta sub æquinoctiali, quatuor mundi pręcipua puncta sunt secundum duos diametros distantia. Oriens, Occidens, & duo Poli Arcticus scilicet, & antarcticus, qui illis sunt in Orizonte. Erunt igitur illis duo Aquilones, à duobus polis venientes, & eurus veniens ab Oriente, & Zephirus ab Occidente, & innumeri alij inter hos vocati laterales. Nobis vero, qui hanc regionem incolimus, inter

tro-

tropicum cancri, & circulum arcticum constitutam, quã solam cum alia ei opposita ultra aliam tropicum censuit antiquitas habitari posse, nihil cum Polo Antarctico. Sed sunt alia quatuor puncta maximé distantia secundum duos diametros nostri huius mundi, quem Arist. dixit, habere figuram tympani habentis vero longitudinis quam latitudinis fere duplum. Ea sunt Polus Arcticus, & Meridies Oriens, & Occidens. Nam à Polo venit Aquilo, à Meridie Auster, Eurus ab Oriente, Zephirus ab Occidente. Quamvis plerique Aristotelicorum decepti quibusdam eius autoris verbis 2. metheo. cap. 4. quæ minus attente fortasse scripta sunt dicunt Austrum, ut pote Aquilonis contrarium venire à contrario Polo puta ab Antarctico, & proinde Aquilonem totum hoc emisphærium, quod videmus: Meridiem contrarium, & huic oppositum. Non animadvertentes Aristotelem ipsum 2. metheor. cap. 5. ita dicere; Auster quidem à solstitiali fertur signo, neque ab alteris septentrionibus. Quod admodum congruit cũ præscriptis verbis Iob. Ab interioribus egreditur tempestas, & ab Arcturo frigus. Quod enim pertinet ad Polum super quem circum volvitur cælum, non ita de interna parte est sicuti, quod pertinet ad solstitiale signum. Huc pertinet Geographorum mos, qui typos totius orbis terrarum faciunt, semper enim suos typos quatuor punctis notant Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie; cum tamen si exacta debet fieri descriptio quatuor puncta debent esse Oriens, Occidens Arcticus, & Antarcticus Poli: siquidem partes ultra, & citra Meridiem, hoc est ultra, & citra Zodiacum describunt.

ITAQVE ex quacunque terræ parte incipere potest essumatio, ventorum materia, neque opus est cum Hispania perflatur à Borea, perfletur etiam Germania; neque cum ab Austro perfletur etiam lybia, sed possunt illæ fere nitate frui, ne quaquam in aliis exortis ventis. Igitur fal-

sum est Austrum, qui nos attingit ab Antarctico Polo venire, ac non potius ab interiori mundi parte quę dicitur Meridies quam percurrunt Planetæ.

De temperamentis ventorum super est dicamus, quandoquidem, & hoc maximas habet difficultates, & ad rem pręsentem maximé facit. In motu ventorum datur mobile terminus à quo, & terminus ad quem. Mobile est ipsa exhalatio, quæ dicitur ventus, terminus à quo pars terræ unde incipit exufflatio; terminus ad quem est punctũ terræ versus, quod movetur. Quantũ est ex parte mobilis una esset tēperies ventorũ est enim exhalatio fumo similis: Igitur ob aliud quippiam fit, ut non eadem omnium temperies fit, sed Aquilo sit frigidus, & siccus, Auster calidus, & humidus; Eurus, & Zephirus inter illos medij, & inter se quã minimum dissidentes. Illud vero non potest esse aliud, quã termini ad quē & à quo, loca nempè à quibus in quæ ferũtur: ob quę meritò evenit, ut Aquilo, & Auster inter se dissideant plurimũ, Eurus, & Zephirus minimũ, quia Septentrio, & Meridies plurimum dissident, cum alter calidissimus, alter frigidissimus locus sit. Oriens, & Occidens quam minimum dissident, cum ad utranque partē, æque sol accedat, & qui alijs Oriens, alijs Occidens sit. Dissident vero, hi duo ab Austro, & à borea penes terminos à quo, & ad quem. Illi enim feruntur á similibus in similia ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Oriētem, hi vero á contrario in contrarium, puta à Meridie in Septentrionem, & à Septentrione in Meridiem.

Sed urgeamus strictiûs. Diversitas tēperamentorũ ventorũ, nō potest accipi à termino à quo, hoc est à loco, unde incipit exufflatio; siquidē indicatam est boreã non semper venire á Septentrione, neq; Austrum à Meridie, sed undecunque posse incipere effumationem, & exufflationem, ut contigerit huc, aut illuc ferri. Nã Aquilo, & Auster possunt oriri ab eodem loco, & illinc exufflare versus

X di-

diversa, ut si flare incipiat ab Aragonia, & feratur in Galliam sit Auster. Si ex Gallia; & feratur in Aragoniam sit boreas. Quæ igitur erit causa, qua alius frigidus, & siccus alius calidus, & humidus fiant?

RESPONDET Vallesius, ignem elementarem non esse in uno quodam loco, ut reliqua elementa, sed permeare per omnia, sequi vero magna ex parte solis lumen, atque ideo, ubi plus luminis eius, esse etiam plus caloris. Cōsentaneū mox est, ut ad meridiē sit copiosissimus, & inde ad mundi latera se effundat, nimirum, ut ipsum lumen solis. His positis fit, ut ventus, qui contra meridiem fertur ignē à rebus quibus occurrit abigat; illi contrarium motum subiens, qui vero fertur contra Septentrionem ignē adducat, similem illi motū subiens. Qui versus Orientē, aut Occidentē, neque admodū hoc facit, neque illud, quia neque similem, neque contrarium motum subit, sed transversum. Hinc rursus fit, ut qui flat versus meridiē refrigeret fugās ignē, qui versus Septentrionem calfaciat eū adducens. Rursus, qui refrigerat siccat quoque: Idq; duplici de causa, & quia ipse siccus est, ut fumus, & quia refrigeratio densationē facit, & expressionē humidi, ut in refrigeratis herbis, & arboribus cōspicitur. Qui calefacit humectat non per se (siccus cū sit) sed quia calore facit humorē fundi, qua causa, & in hominibus ciet multas fluxiones Auster.

QVI flant ad Orientē, aut Occidentem, nihil horū faciūt insigniter, sed tēperant modicę, ut aër per ventilabrū circa faciem motitatus. Hæc est sententia Vallesij subtilis, & ingeniosa, verum non satisfacit, ut monstrabo.

CONCEDIMVS ignē elementarē non esse in uno quodā loco, sed permeare per omnia, & sequi solis lumen, atq; in meridie esse copiosissimū, quia ubi plus luminis, ibi plus caloris. Negamus tamē, quod ventus, qui contra meridiē fertur ignem à rebus, quibus occurrit abigat, qui vero fertur contra Septētrionem ignem adducat. Vbi est nervus responsionis.

NAM

NAM si ventus, qui contra meridiē fertur ignem abigit exufflatione, & impulsu; qui fertur contra Septentrionē, idem efficiet, cū possit moveri ab eodem loco. Tū etiā, si qui fertur contra Septentrionem ignē adducit, quia venit à meridie, & accipit qualitatem loci per quem transit: qui fertur cōtra meridiem, etiam adducet ignē, quia accipiet calorem loci per quem transit. Sit exemplum. Elevetur effumatio, seu exhalatio in confinio Cæsaraugustæ hodie, & inde exufflet versus Oscā, & Galliam: altera autem die elevetur in eodē confinio Cæsaraugustæ, altera exhalatio, seu ventus, & inde exufflet versus Valentiā, & Aphricam.

PRIMA est Auster calidus: secunda Aquilo frigidus. Sed quæ est causa? Nulla prorsus ex enarratis à Vallesio: nam si qui movetur contra Valentiam, & Aphricam ignē abigit, cur non eodem modo abiget, qui fertur contra Oscā, & Galliam siquidem movetur ex eodem confinio Cæsaraugustæ. Et si qui movetur contra Oscam, & Galliam ignem adducit, cur non adducet, qui fertur contra Valentiā, & Aphricam, siquidem unica est temperies, & unicus est calor confinij Cæsaraugustani? Ex eodem confinio Cæsaraugustano non potest exhalatio unica contrahere vim fugendi ignem, & eundem adducendi, & in eodem principio motus unus est frigidus, alter calidus.

ALITER ergo respondendū iudico. Ventus, qui fertur contra meridiem attenuatur, quia accedit ad partem, ubi est multum luminis, & caloris, & cum ventus sit exhalatio calida quando attenuatur, & ventilatur ammittit calorem, & refrigerascit. Nam calor etiam in tenuiori materia remissius operatur, ut ignis, qui ut inquiunt circa concavum Lunæ non comburit propter tenuitatem, neq; aqua vitæ panno imbuta, etiam si accendatur non urit pānum propter tenuitatem. Et hæc etiam est causa ob quā media æstate solemus carnium ius calidissimum refrigerare exufflatione facta conniventibus labijs.

ECONTRA, quę fertur contra Septentrionē tenuior exhalatio incrassatur, & condensatur: ut quæ accedit ad partem lumine, & calore privatam, & recedit à copia caloris, & luminis. Cumque exhalatio calida sit, occlusa, & condensata redditur calidior; & calor in dēsiori materia fortius operatur, ut patet inferro ignito.

ALTERA causa est. Movetur vētus, seu exhalatio simul cum aęre agitato, idq; subito, & affatim, exemp grat. cōtra meridiē: ne detur vacuum proximior aër versus Septentrionem currit ad illud supplendum, mox viccinior, & tandem fuga vacui succedit multa pars eius, qui pertinet ad Septentrionē, ac proinde cum hic veniat à plaga frigidiori acceperitque terræ qualitates, proinde infrigidat, & dicitur Aquilo, seu Boreas. Eadem est ratio contrarij, nēpè Austri, qui movetur contra Septentrionem, & hac de causa commovet plurimam partem aëris meridionalis, qui ex plaga calidiori, ubi est multum luminis veniens mirum non est, quod afferat calorem.

QVOD vero moto aëre subito, & affatim debeat accurrere viccinus, ne detur vacuū optima est philosophia, cuius necessitatis tā plura extāt exēpla, ut lōgū esset recensere. Tabula existēs super aqua si subito, & affatim elevetur secum ducit aquā non ob aliud, nisi ad vitandū vacuum.

DE alijs ventis philosophandū medio modo, ut illi etiā sunt medij. Nimirum, qui flant ad Orientem, aut Occidētē, nihil horum faciunt insigniter, sed temperant medicé, quatenus participant ab utroque extremo. Alterius problematis causa, qua boreas fertur vehementius, Auster lētius. Eurus, & Zephirus mediocriter optime tradditur á Vallesio. Nimirum, qui contra ignem fertur, fertur à frigidiori ad calidiorem à densiori ad rariorem aërem, quare inde magis expellitur, huc facilius recipitur, ferturque, ut quod in declive; cōtra, quod fertur in frigidiorem, & dēsiorē, quod in acclive: quæ feruntur in similia, ut quæ per

pla-

planum, & mediocriter. Hæc eadem causa est, qua, qui navigãt in meridiem, citius multò illuc pertingant, quã inde huc reement, quod non intelligentes, qui ab Hispania ad nostras Indias feruntur contendunt mare illã in partẽ esse declive iuxta Diogenem, & Anaxagoram.

SED hæc est crassa philosophia. Probabilius est, quod dicunt alij ex impulsu primi mobilis reliquis orbibus impresso, & per continuum elementis, quo omnia feruntur motu rapto ab Oriente in Occidentẽ fieri, ut brevior sit navigatio ad Indias Occidentales ex nostra Hispania: & fortasse etiam accedit quibusdam in locis copia maiorum fluminum, qui confertim irruentes in mare per satis magnum spatium remorantur navigia. Id vero sentitur in quibusdam isthmis, ut in Ponto, & in Occidentalibus Indijs iuxta recentem vocatam Cartaginem. Addamus reliqua eiusdem capitis.

FRVMENTVM dessiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas gubernantis voluntas duxerit, ad omne, quod præcipit illis super faciem orbis terrarum, sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inveniri. Eodem cap.

MAGNITVDINEM potentiæ ostendit Eliud in generatione metheororum, ut rapiat nos in Dei admirationem, nunc miscet cum potentia misericordiam. Dicit enim, quod si frumentum dessiderat nubes, nubes etiam spargunt lumen suum. Nubes spargere lumen suum, ut interpretatur Vallesius nihil est aliud, quã pluere, quod ideo dici videtur, quod dissipatis pluendo nubibus spargitur lumen, quod ab illis intercipiebatur. Sed salva pace Vallesij non est congrua interpretatio, quia impropriè lumen pluviam potest significari. Probatur ex versu subsequenti, ubi addidit Eliud. Nũquid scis, quando præcepit Deus pluvijs, ut ostẽderent lucem nubium? Si enim pluvia est

lumen quomodo præcepit Deus lumini, ut ostenderet lumen? Videtur repugnantia, & impropria locutio. Suspicor ergo textum loqui de Iride. Quasi dicat frumentũ dessiderat nubes tanquam auxilium suæ acretionis, & nubes spargunt lumen suum, hoc est ostendunt arcum iridis: & hic involvitur phrasis mirabilis; nam vix frumentũ dessiderat nubes, quando pluvia iam descendit, & apparet Iris in nubibus quasi misericordia Dei tanta sit, ut dessiderio frumenti respondeat ita pluvia, ut iam supponatur descendisse, & appareat Iris, quæ solet esse pluviæ sequela. Confirmatur, quia in versu antecedenti, & immediato prævenit Eliud Iob dicens. Ausculta hæc Iob: sta, & considera mirabilia Dei. Et statim dicit; nunquid scis quando præcepit Deus pluvijs, ut ostenderent lucem nubium eius. Iridis vero pulchritudo multis in locis sacræ scripturæ commendatur. nam capite 43. Ecclesiastici, ita dicitur. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum valde speciosus est in decore suo: gyravit cęlum in circuitu gloriæ suæ manus excelsi apperuerunt illum. Et cap. 50. in Oniæ laudem dicitur: Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus Vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ.

NEQVE vero solum non sunt factæ nubes temere, sed ne temere quidem moventur, nam lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas gubernantis voluntas duxerit; ubicunque scilicet vellit Deus pluere, sive in una tribu, sive in alia, sive in terra sua, hoc est servorum suorum, sive in aliena inimicorum, sive in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inveniri. Nimirum pluit super iustos, & iniustos, Matth 5.

SIT primũ corollariũ. Totum hoc caput est explicatio versiculorum cap. 37. Iob, ut patet; unde superfluũt corollaria. Pro hoc tamẽ sit versiculus decimus quintus, ubi dicit: Nunquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas

scien-

ſcientias? Hæc enim eſt vera, & perfecta ſcientia viarũ nubium ſcire ſcilicet eas in Dei voluntatem, & providentiã referri. Vel magna, & perfecta ſcientia eſt conſiderare in rebus inanimis, ut in omnibus his metheoris potentiam illam magnam Deo obedientialem.

SECVNDVM corollariũ. Tonabit Deus in voce ſua: hoc eſt tonitruum accidet voci. Aliud enim eſt tonare in voce, & aliud vocẽ eſſe tonitrui. Quando vox eſt tonitrui magis ſignificatur flagellum: ut dicitur Eccleſiaſtici 43. Vox tonitrui eius verberavit terram. At vero tonat in voce, ut perterreat mortales, & ingenti admiratione ſtupefaciat Deus. Verbum mirabiliter, ad ea mirabilia, quæ ſunt coniũcta cum tonitruo refertur, ut ad fulmen, conſumit enim ovũ illeſo putamine, & enſem illeſa vagina. Et in hoc etiam apparet inenarrabilis miſericordia, quod ex fulmine unus ſit percuſſus, & plures perterriti. Atq; ex hoc vana apparet conſideratio dicentiũ aliqua meteora nulli prorſus uſui videri. Quid enim cõmodi eſſe dicũt ex grãdine? quid ex fulguribus? quid ex fulminibus? Confirmat Eliud his verbis: per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus. Quę verba ſignificant uti Deũ his rebus partim ad mortaliũ eſcas partim ad iudicandos populos. Sũt igitur horũ pleraq; ad utrũque utilia, nam pluviæ, & vẽti maximi ſunt uſus ad frugũ proventũ. iudicavit vero per pluvias apertis cęli cataractis mundũ. Nonnulla etiã ſunt, quibus ſolum utitur Deus ad iudicandos populos, ut grando, & fulgura, & multò magis fulmina, quod etiam Dñs ipſe c. 38. huius libri dicit, his verbis. Theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparavi in tempus hoſtis in diem pugnæ, & belli. Eadem eſt ratio peſtis, atque adeo morborũ omniũ mortis, & eorũ, quæ nihil aliud quã venena ſunt, quæ cõplexus eſt Eccleſiaſti. cap. 39. his verbis, ignis, grãdo, fames, & mors omnia hæc ad vindictã dicata ſunt beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes, & rõphea

Plinius hanc generari admiratione;ut ex parte causarum ex parte regularitatis motus, ex numero illius. Ex causis nam illarum non evidens fit demonstratio. Motus deinde fit regulariter in quibusdam maris partibus, & secundum diversas mensuras,in alijs. Numerus motuum, etiã diversus est,& varius,in diversis partibus maris, & quandoque in eisdem.

PLVRIBVS ergo modis mirabiles. Nam quocunque die naturali,qui constat viginti quatuor horis bis crescit, & decrescit mare. Ab exortu solis, usque ad meridiem crescit:inde decrescit,usque ad occasum ; inde rursus augescit,usque ad medium noctis,ex quo,usque ad summũ mane decrescit rursum: Idque in Occeano multò magis, atque evidentius fit,quam in Mediterraneis ; neque hoc exactè,sed cuiusdam horæ partis facta detractione. Porro hi maris æstus per septenos dies insignes habent mutatio nes,septem enim primis à Luna nova,id est in prima quadratura, modici sunt , reliquis septem usque ad plenilunium increscunt manifestè; inde minui incipiunt , tertiò septenio afferẽte,etiam insignem mutationem. In Æquinoctijs etiam ferunt esse maximos æstus præcipuè in Autumnali;in Solstitijs vero minimos præcipuè in Æstivali. Dicitur etiam observatum esse octavo quoque anno reddire ęstus maris ad paria incrementa,quod octo annis cẽtum numerentur Lunæ circuitiones:ego vero crediderim horum,pleraque non tam constare certo quam ita credi communiter. Nec desunt etiam , qui asserant esse , ubi in die septies reciprocet æstus ille,ut in Eubæa. Dantur etiã putei in Bœtica,quorum in Hispali unus , qui augentur etiam quotidie,ac minuuntur contra autem,ac mare. Siquidem eo crescente decrescunt, & crescunt decrescente. In Gadibus alius,qui æstum quidem habet,non tamẽ eisdem temporibus semper , sed aliquando contrarijs. Hæc omnia certè mirabilia sunt; illud vero multò mirabilius

fie-

fieri hæc tam stata, & firma lege, ut ultra solitum nunquã progrediatur mare, sed certo sciant litorales, quotidie quousque mare sit exundaturum, neque transversum pedem errantes.

De causis incrementi, & decrementi maris cõmunis opinio est. Quod ut mare exundet influatque, indeq; refluat non quidem ob maris in quam piam partem fluxũ evenire, sed quia augetur tumefactum, & quasi fervẽs. Quapropter, ut fervens aqua olla exit, non alia causa, quam quod calore rarefacta vase, non capiatur; ita mare tumescens exundat in litora, contra detumescens subsidet, & velut absortam reddit in alveum. Hanc vero esse eius rationem inde constat, quod circa litora magis, quam in altum deprehenduntur hi motus scilicet in alto non decurrit aqua, sed sensim intumescit. Ad litora currit, quia non capitur: fieri vero contra si influeret mare more fluminum; multò enim magis sentiretur motus unde ageretur, quam ubi finitus cessaret. Ex his palam fit maiori proprietate appellari tumorem fluctuum, & elationem maris, quam fluxum, & refluxum re vera enim non fluit, nisi ex accidenti, quia tumescens non capitur loco: æstus vero mihi videtur per analogiam vocari, quia perinde videtur mare pati, ac si æstu caloreque ferveat. Ita Vallesius in sacra philosophia, capite 52.

In qua doctrina aliqua sunt minus vera, ut est, quod mare augeatur tumefactũ, quia ferveat. Et quod hoc sit à rarefactione, ut in fervente olla. Nam tumefactio maris fit propter agitationem impetuosam ventorum, ex vehementia impulsionis, non ob fervorẽ, quia nullus in mari reperitur. Docet hoc Galenus 2. Aphorism. 43. sic scribẽs: Verum homini ea, quæ manifestè videntur consectanti tutius est dicere spumã duabus de causis generari: in mari quidem impetuosis ventis agitato ob impulsionis vehe-

hementiam : In lebetibus autem effervescentibus ob caloris vim. In quibus verbis Galenus spumam maris, non ob fervorem generari affirmat. Constat autem, quod in elationibus maris non solum spuma crescat, sed crescere etiam faciat mare.

DEINDE maris tempestates, & elationes manifestissime generantur à furentibus ventis, & mare commoventibus, & hic inde versantibus; minimè á calore, qui quāvis alias à motu generetur, talis fervor in aquis non reperitur; ac proinde illa, acretio maris non est vera rarefactio á calore procedens penes quam aqua maris fundatur, & colliquetur, & maiorem occupet locum. Sed idem contingit in lotionibus pannorum, quæ sapone fiunt in quibus sine calore, sine fervore, sine ebullitione copiosissima spuma elevatur, ab agitatione, & flatu incluso. Sicuti etiam non est condensatio, quando detumescit, spuma, & aqua.

FVNDAMENTVM quo nititur ruit etiam: Nā quamvis verum sit, quod circa litora magis quam in altum deprehendantur fluxus, & refluxus, hoc ideo est, quia quamvis possit fluere, ut diximus coercetur tamen divina iusione intra suos limites; quando vero illos prætergreditur in incremento fluit de facto. Motus vero maris, multos magis sentitur in alto, ubi fluctus in cœlum extollantur quam in summo litore. Quocirca quemadmodum æstus maris vocatur per analogiam, quia perinde videtur mare pati, ac si æstu caloreq; ferveat: Ita ebullitio, & fervor dicuntur de mari per analogiam, quia perinde videtur mare pati in elatione fluctuum, ac si ferveret, ut olla.

ARISTOTELES, & Heraclitus (referente Plutarco) à sole fieri censet, plerosque enim flatus, sua illum circuitione secum trahere, quibus ingruentibus, & protrudētibus mare Atlanticum ipsum intumescere, & æstum efficere;

sopitis deinde flatibus mare sese colligere, idque esse reciprocationem. Pithias Massilensis maris accessus Lunæ incremento fieri decremento recessus. Plato cuiusdam specus maximi intra terram hiatu sustoli aquas, & latè effluere subindeque eodem refluere. Timeus flumina irrumpẽtia in Atlanticum causam esse dicit. Seleucius flatum dicit irruere in Atlanti, cum vero motu terræ (hanc enim etiam moveri putat) & Lunæ agitari.

HANC opinionum diversitatem difficultas rei peperit. Illa vero videtur probabilissima, quæ ex omnibus colligitur: Nam quia adeo certus constitutusque est ille motus, & numerum quendam horarum, dierum hebdomadarum mẽsium, ac fortasse etiam annorum observet probabiliter refertur in superiores æternas stabilesque causas: inferna enim omnia temere agitantur cum præcipuè respondere videantur aptissimè illius circuitus Solis, Lunæque motibus. Nam diurna per senas horas repetitio diurno Solis, aut Lunæ motui respondet; quæ vero per hebdomadas fit mutatio menstruo Lunæ. Mutatio etiam per Solstitia, & Æquinoctia ad solem refertur. Quia verò multi putei, & fontes, aut simul cum mari, aut contrariis temporibus crescunt, & decrescunt constat motum illum non ad supremam extremitatem aquarum cieri, sed intrinsecus à maximo illo baratro, quod intra terræ viscera est. Vnde copiosus erumpens flatus aquas inflat, ac subsidens iterum facit detumescere. Verisimile est enim quibusdam puteis ampliores esse ductus, usque ad maximas illas terræ cavitates, ipsique mari communes.

CAVSA vero, cur quidam tumescente mari detumescant, & detumescente tumescant, cum alij moveantur, ut ipsum mare, refertur á Vallesio in ipsorum pororum quibus cum mari communicant longitudine figura, & positu amplitudine, aut angustia: Qui enim coniuncti mari secundum breves, & rectos, amplosque, & expeditos poros

sunt;

ſunt; implentur cum ipſo. Qui vero contra ſecundum locos anguſtos, & in contrarium tortuoſe ductos, his aqua abſorbetur ab ipſo intumeſcente mari. Non aliter, ac in noſtri corporis venis accidit, ut magnarum ſciſſione, quæ coniunctæ ſunt tractione repleantur, quæ cõtra poſitæ innaniantur revulſione. Qui mediocriter ad mare habent nonnunquam ſimul cum mari, nonnunquã contra patientur, ut huc, aut illúc flatus ille á baratro cõtingit moveri.

SED hæc explicatio nõn pacat intellectum. Nam etiam ſi meatus ſint anguſti, & in contrarium tortuoſe ducti ſi cum mari communicant neceſſario debent excipere aquam maris tumeſcentis, & ita impleri cum ipſo, cur enim aqua his abſorbetur ab ipſo intumeſcente mari?

VEROSIMILIVS. Putei, qui replentur tumeſcente mari poros, & ductus habent ſuperficiales, & rectos. Qui exinaniuntur tumeſcente mari poros, & ductus habent profundiſſimos, & obliquos. Illi proinde eandem armoniam ſervant cum mari, quia quando intumeſcit fluit per meatus illos rectos, & ſuperficiales. Hi vero diverſimode replentur, & deplentur. Nam cum fervor, ſeu agitatio maris repat ſurſum, etiam replet ſurſum; deorſum vero detrahit. Ex quo fit, quod cum meatus ſint profundiſſimi, & obliqui, nihil recipiunt in tumeſcentia maris. Quod vero agitatio maris ſurſum vergat conſtat cuique, quia in profundo maris, non obſervatur talis agitatio. Confirmant fluctus ipſi, qui extolluntur in cœlum, non enim totum mare elevatur.

ITAQVE proxima movendi maris cauſa eſt flatus intra terræ cavernas concluſus. Prima vero fortaſſe, duo luminaria, quæ generant flatum, & commovent, tamenſi, & in ipſo flatu eſt movendi cauſa, tum quia

eſt

est de genere aëris, & petit sphæram, tum etiam, quia pondere subsidens præmit illum, is præsus erumpit, & violẽter extollit aquas. Eo impetu sedato rursus aquæ subsident, atque ita alternis vicibus agitur utrunque. Regularitas vero inundationum secundum horas, menses, & annos referenda est in astra.

ILLVD restat explicandum: Quando erumpebat quasi de vulva procedens. Vallesius ait, quod erat quodam lutum ex tota terra aquaque commixtis, quod circum stabat moles magna nebulosi aëris Ægypti tenebris simillimi. Mox, ut separari hæc cæperunt subsidens, fęcis more terra expressit aquam, quæ ita ex terra erumpebat velut ex vulva procedens.

SED difficile facit hoc scire, ut alibi iam repetitum est aquam maiorem multò esse terra, & iuxta communem sententiam decies. Atque si hoc est verum, ex terra, & aqua commixtis non poterat resultare lutum, quin redũdans aqua inundaret terram: Sed loquitur scriptura de aqua conclusa intra cavernas terræ, in quibus iussu Dei detinetur, ne erumpat quasi de vulva procedens. Nam si cessaret mirabile portentum carceris maris, & aquę illius inciperent terram inundare mox ad servandam continuitatem aquæ viscerum terræ, sequerentur quasi de vulva procedentes, ut secta vena totus sanguis corporis egreditur.


SIT unicum corollarium. Quamvis fluctus maris fiant á luminaribus, & flatibus, & sint causæ naturales, mirabiles elationes maris, ut inquit psaltes. Quia huiusmodi causæ sunt intumescentiæ maris; cæterum detumescentiæ, non ita possunt censeri causæ. Nam cessatió flatuum est privatio, & non potest esse causa positiva effectus positivi qualis est retrocessus maris, & motus aquarum. Et in his est mirabilis Dominus in litore iubens confringi tumentes fluctus suos. Quid mirabilius, quod semel elapsa,

&

& fluxa aqua maris in incremento, etiam si deficiant flatus, & intumescentia non conservetur in eo loco ad quẽ pervenit, vel ulterius fluat, sed recolligat se intra terminos antiquos? Nonne aqua ascendit exufflatione per fistulam contra propriam naturam, semel autem ascendẽs iugiter continuat ne detur vacuum ad servandã continuitatem; & secta vena exhauritur corpus? Vt missus in carcerem aliquando verbo suo permititur egredi reddit tamen sponte imperio submissus; ita mare.

CAPVT XXXII.

SIMVLACRA Gentium argentum, & aurum opera manuum hominũ. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in guture suo. Psalm. 113.


HIc Enumerat regius Psaltes instrumenta omnium sensuum sine proprijs actionibus, ut rectè colligat, quam vana, & irrisibilia sint idola, & simulacra gentium. Certum nanque est in bona philosophia maximam connexionem esse inter principium vitale, & actiones vitales, adeo, ut neque actiones vitales reperiri possint sine principio vitali, neque principium vitale sine aliqua actione vitali. Atque iuxta hæc principia rectè probat simulacra, & idola gentium falsos, & mortuos esse Deos, quandoquidem nullam actio-

actionem edunt vitalem, quæ maximè solet elucere in sensibus. Explicemus exempla singulatim.

Os habent, & non loquentur. Inter vitales motus vox est, & loquela, ut patet experientia, & ex Galeno de instrumentorum vocalium dissectione. Ex quo etiam 16. de usu part. cap. 3. in fine principalissima dicitur vox animę functionum, quod cogitationum mentis sit nuntia. Vox autem nihil aliud est, nisi sonus respirantis animalis. Sive ictus aëris respiratione attracti, ut loquitur Aristoteles 2. de anima cap. 8. sive ut Galenus inquit 8. de usu part. cap. 6. & de instrumento. vocalium dissect. cap. 2. est aër percussus, sive percussio aëris, qui respiratur. Sola enim respirantia animalia vocem emittunt, ut ex Aristol. habetur loco citato; & ex Gale. loc. cit. aperte colligitur. & fatetur clare 6. de usu par. cap. 9. ubi pisces non respirantes vocē non emittere docet. Loquela autem est vox articulatim distincta, quæ etiam sermo dicitur, seu prolatio.

Ex quibus colligitur, primo vocem fieri per eadem instrumenta per quæ fit respiratio. Et respirationis organa, os nares, fauces, guttur, laringam, asperam arteriam, pulmones, thoracis, musculos, & diaphragma, quibus medijs fit respiratio ad vocalem motum concurrere. Cum enim vox sonus sit, & sonus ex aëris allisione fiat, sive aëris sit allisio, & ictus, necessariò, quę respirationem efficiunt instrumenta, eadem vocem generabunt. Quod confirmatur etiam, quia multum aërem attrahimus, ubi magnam vocem emittere volumus. Inter præcipuas dictas partes principem locum obtinet in voce efformanda aspera arteria cuius caput, quod alij guttur, alij laringam nominant pars ea est, quæ vocē efficit mediante potentissimū epiglotide, seu ligula cui similis est lingua fistulæ, & idcirco cartilaginibus constat insignibus, & musculis, ut, & claudi, & dilatari, & cōstringi, & aërem percutere possit. Qua in re admirandum naturæ artificium, quæ laringā, non

non carneam, ne concideret, neque osseam, ne nimis esset gravis, neve gulam comprimeret, sed cartilagineam effecit, ut motibus varijs vocalibus resisteret. Alia quam plura legenda apud Anatomicos.

ILLVD tamen non prætermittendũ est maximũ ad vocẽ, ac respirationem usum habere collumellam, seu gurgulionem, seu uvulam, ut docet Galen. 11. de usu par. c. 11. ubi habet aërem, qui attrahitur ab uvula frangi aërisque frigiditatem minui. Vnde gurgulione totaliter, usque ab basim amputato frigidiorẽ sensere respirationem, & periere quidam, & deterius perspicué sunt locuti. Hoc apparet in his, quibus ab ulcere gallico corrosus est gurgulio, loquuntur enim depravate, & nostro idiomate *(babbã gangoso.)* Quapropter facit ad vocis elegantiam, & magnitudinem, & respirationem.

SECVNDO. Locutionis, seu articulatæ vocis organum primum, & præcipuum esse linguam, ut patet experientia, & infinitis locis Galeni potissimũ 4. de loc. aff. cap. 6. cuius sane admirandum est artificium. Cum enim eam pro varijs vocibus exprimendis, ad varios situs moveri esset necesse, ut varie aerẽ frangeret non unico musculo, ut putant quidam, apud eundem Galen. 1. de motu musc. cap. 4. conflata est, sed pluribus, ut communiter docent medici etiam Averroes 1. colliget cap. 20. cui prædictam antiquorum opinionem miror tribui ab Andræa Laurentio Anotomiæ lib. 5. q. 6. Quot autem hi sint musculi disceptant iuniores Anatomici, & dissensere, etiam antiqui professores dissectionis, ut refert Galen. de fętuum formatione cap. 6. Sed sanè quæstio hæc est, ut ex eodem habetur 2. de Anatom. administrat. cap. 2. scitu digna non tamen necessaria, quod idem habet 17. de usu part. cap. 2. ubi inquit: Scire quot, & qui sint musculi, qui linguam movent parum habere momenti ad curationem, aut ad prænotionem, aut dignotio-

nem morborum. Legendi igitur sunt Anatomici, eorumque omnium princeps Galenus lib. de dissect. muscu. cap. 14. & 11. de usu partium cap. 10. ubi plura de linguæ cōformatione, & motibus affert.

AD locutionem efformandam instrumenta secundaria sunt palatum dentes primores, labia, gurgulio, narium foramina, ut docet Galenus 4. de lo. aff. cap. 6. Hæc enim omnia sunt in causa, ut lingua possit aërem pro voce exprimenda, & articulanda, ut voluerit confringere, & foras mittere, quod sine illis, nequit præstare. Vnde primorum dentium aliquo amisso, vel labijs mutilatis loquela vitiatur, quia desunt instrumenta, adiuvantia linguam, in modificata aëris percussione. Item naribus obstructis loquela vitiatur. Causam reddunt aliqui, quia non totus, qui expiratur aër necessarius est ad loquelam, sed pars superflua per nares eijcitur, qui id circo, quod foràmina narium sunt obstructa non potest per ea egredi, atque ita nocumento est expresso sermoni, & distincto. Sed hæc non est vera causa. Nam ad magnam vocem copiosus aër requiritur, qui si valide percutiatur, magnam vocem edit. Quapropter saltem magna vox articulata posset formari naribus obstructis, quod non experimur, nisi solam depravationem loquelæ; adeo, ut æmuletur hæc vox, quæ emittitur naribus obstructis loquelam, quam dicemus *(gāgosa)* ut patet in fœminis vetulis, & viris etiam qui conspicilibus utuntur ad videndum, qui etiam quod admodo depravate loquuntur.

CAVSA eventus mea sententia est. Quod naribus obstructis fit reverberatio aëris percussi in naso, quæ debet fieri in ore. Nam cum non possit aër, qui per nares egreditur isdem obstructis libere egredi, fit eius reflexio, & reverberatio in naso. Quod autem debeat fieri in ore patet, quia in ore fit loquela. Confirmatur,

nam

nam ideo senes, quibus deficiunt dentes præsertim primores debilem, & depravatam vocem emittunt, quia nimirum reflexio, & reverberatio, quæ fit in dentibus aëris repercussi in vocis emissione non fit, sed flacide foras egreditur.

TERTIO: ex dictis colligitur vocem, & sermonem ab animali facultate fieri; & consequenter, potius á cerebro, quod animalis virtutis est principium, quam à corde à quo antiqui quidam, quos fuse refert, & impugnat Galenus 2. de decretis Hyppocratis, & Platonis, cap. 4. 5. & 6. voluerunt vocem oriri. Cum enim secundum voluntatis arbitrium vox, & sermo efficiantur, & à musculis tum respiratorijs, tum gutturis, tum linguæ, necessario à facultate motiva musculis inexistente, cuius principium modo supra explicato est cerebrum, influens spiritus animales, quæ etiam subditur voluntatis imperio vox, & sermo perficientur. Accedit ad hoc, quod ligatis nervis, vel dissectis á cerebro orientibus, qui sunt carotidibus arterijs anexi mutum statim redditur animal, non sic arterijs soporarijs, vel iugularibus venis excissis. Quare á cerebro non à corde, ut fuse arguit Galenus, loco citato, cap. 6. ubi etiam, vel mentitos esse, vel deceptos, ait antiquos, qui dixere ex dissectione arteriarum carotidum animal sopore affici, vel obmutescere. Vlterius, quia ut testatur, loco citato, cap. 3. in fine, conspecta est in multis sacrificijs erepto corde ea ratione, quæ ibidem habetur, arisque iam impossita victima tum clamare intense, & respirare, tum vero fugere etiam tantisper, non igitur, in corde vis est, ac origo vocis, & motus animalis.

QVARTO. Vocis materiam esse aërem, ut colligitur ex dictis, & ex Galeno de dissect. instrumento vocal cap. 2. & quidem non semper aër est materia vocis, sed tantum is, qui expiratur, non quidem simplici, & lenta expiratio-

ne, sed multa, & simultanea, quæ efflatio dicitur secundo de motu muscul. cap. 9. ut proinde efflatio dici soleat propria vocis materia, quæ fit ope tum musculorũ inter costalium, ut epigastrij, ut patet 4. de usu part. cap. 9. Et vocem materialiter producit si dum ipsa fit simul etiam agant faucium, & gutturis musculi, & linguæ a quibus vox, & sermo effectivé promanant. Ratio huius est, quia nisi aër vehementer effletur, & nisi agant musculi laringis cartilagines eius tendendo, non fiet aëris percussio omnino necessaria ad sonum generandum; & nisi linguæ agant musculi non poterit articulatus fieri sermo, & loquela, omnia nanque hæc cõcurrunt.

SEQVITVR textus. *Oculos habent, & non videbunt.* Hic non sunt dicenda, quæcunq; dici possunt de structura oculi, & de visione, sed aliqua dumtaxat selectiora. Et quatenus ad explicationem textus pertinet certum est organũ præcipuum videndi esse oculum, cuius tres sunt humores crystallinus, albugineus, & vitreus. Crystallinum princeps esse visionis organum, docet Galenus 2. methodi, lib. de instrumento odoratus octavo, & decimo de usu partium 1. de causis symp. Et hæc inter cætera testantur, quod omniũ sit maximè perlucidus, in medio oculi situs, quod solus spectra, & imagines visilium excipiat, solus á colori bus alteretur, & in eo utriusque luminis interni, & externi concursus fiat: propterea per suffusiones, & opticorum obstructiones, cum utriusque luminis, ad crystallinũ appulsus prohibeatur perit videndi actio, quasi lucerna interstincta.

HVMOR hic pars est corporea animata, & vivẽs, ut docet Galenus 1. metheo. cap. 6. & 1. de symptom. causis. Et suadet ratio, videndi enim actionem edit primario actiones autem partium sunt. Nutritur, & vivit, & cum cæteris partibus in utero generatur, circumscriptionem ha-

habet propriam; denique corpus est toti coherens, cōmuni vita coniunctum, ad illius functionem usumvè comparatum. Verum vero visionem edat crystallinus, quatenus similaris est pars, an quatenus organica, id est, an ratione temperiei an figuræ peculiaris est attentionis. Videtur tamen Galenus cap. 6. libro primi methodi ad temperiem referri, organizatam tamen, crystallinus, inquit,, princeps visionis est organum, quia alteratura coloribus: alteratur autem, quia purum, & pellucidum, purum autem, & pellucidum est á temperamento. Magnitudo, unitas, lenticularis figura, situs in humorum medio; non sunt quidem frustra, sed eundem usum visioni præstant, quem humores reliqui, & membranæ, id est perfectiorem visionem edunt.

SVBSEQVITVR textus. *Aures habent, & non audient.* Per aurem internam intelligitur verum auditus organum in osse petroso situm inter eos processus, qui mamæ ritu protuberant, & eam apophysem, quæ ossis iugalis portionem constituit. Aurem hanc internam, quatuor constituunt meatus. Primus statim foris obvius, tortuosus est obliquus, rotundus, & augustus, qui nō oblique deorsum, sed oblique sursum fertur, ut si quid extraneum ingressum sit facilius elabatur. In huius cavitatis extremo septum ad est primam cavitatem, á secunda discerniculi vice discriminans. Septum hoc osseum non est, quia externi aëris ad internum prohiberetur appulsus, nec utriusque concursus fieret, non carneum, quia nimis rarum foret, sed membranosum. Membranam hāc tympanum vocant, quod tympani modo tendatur. Statim post membranam, conspicuus est meatus secundus quem Aristoteles cochleam vocat, alij pelvim. In hoc aër continetur vernaculus ambienti consocialis, quem immobilem vocat philosophus 2. de anima, & princeps auditus organum, ut visionis crystallinum statuunt medici,

in hoc secundo ductu multa occurrunt veteribus incognita, & à recentioribus descripta. Nam quia internum hunc aërem ab externo primum pulsari, & percuti; deinde percussum soni imaginem ad nervum traijcere decuit, ideo in secunda hac cavitate organa pulsationi dicata constructa fuere. Pulsationi inserviũt tria ossicula chorda, & musculi, delationi fenestellæ duæ. Ossicula à forma potius, quam ab officio, & usu nomina sortiũtur, quorũ primum malleolo, secundum incudi respondet tertium stapedem antiquorum refert.

AVDIENDI modus ita paratur. Tria ad sensum requiri docet Aristoteles 2. de anima, & lib. de sensu, & sensili; obiectum, medium, & instrumentum; obiectum auditus est sonus, ut aspectus color. Sonus autem qualitas est orta ex aëris fractione, quæ fit collisis corporibus duris solidisque: mollia nanque facile cedunt, & vi impellentis non resistunt. Medium auditus est aër externus. De aqua dubitavit Aristoteles, an vox in ea exaudiatur. Pisces tamen optime audire novit, qui mugilum nocturnæ inter fuit piscationi. Instrumentum auditus auris est, non externa, sed interna, quatuor cavitatibus constans multisque particulis veteribus incognitis.

SIC itaque fit auditus. Percussus à duris solidisque corporibus aër externus, & soni qualitate affectus viccinum aërem alterat; hic proximum afficit donec continuatione quadam ad aurem perventum fuerit. Vt enim si in aquã lapillos inieceris circuli enascuntur, quorum alterum alter excitat, & excipit; ita ex aëris percussione velut circuli in aëre generantur, donec successione ad auditus organum sit perventum. Avicena hanc percussi aëris continuationem aptissime undam vocalem appellat. Motus vero huiusmodi momento non fit, sed in tempore unde fit, ut post ictum sonus edistantissimis locis, non subito exaudiatur. Aër soni imbutus qualitate per meatum auditorium

rium foris obvium, semperque patentem primum mēbranæ siccissimæ maximeque sonoræ (quam tympanum vocant) alliditur; meninx pulsata ossicula tria movet, eiusque caracterem soni momento imprimit. Hunc sonum vernaculus aër, & congenitus statim excipit, quem per fenestellas in tortuosos anfractus, & labyrintum mox in cochleam defert; ab hac in nervum auditorum traijcit, & ab eo ad communem sensum tanquam censorem, & iudicē.

TEXTVS deinde. *Nares habent, & non odorabunt*. Hoc maius est argumentum Psalmi antecedentibus. Etenim plus requiritur ad odorandum quam ad videndum audiēdum, & gustandum. Nam oculi, si bene sint temperati, & organicè constructi, & adsit obiectum, nullumque sit impedimentum non possunt non videre. Quod idem philosophari potest in alijs sensibus auditu, & gestu. Sed in odoratu impar currit ratio. Nam etiam si nares sint optime temperatæ pariter, & constructæ secundum leges organorum, & ad sit obiectum, nullumque sit impedimentum nō fiet olfactio, & quamvis flores aromaticos habeas indebita distantia ad nares, si modo cohibeas respirationem non odorabis. Igitur maius argumentum vanitatis idolorum est hoc; nam ad olfactionem requiritur respiratio, quæ magnum est argumentum vitæ in simulacris non repertæ.

Hoc in loco ad honorem textus, ut de more habemus non explicabimus, nisi duo dubia, quæ potiora, & difficiliora sunt. Primum, quæ sit pars in naribus, cui potissimum debeatur actio odorandi, quæque in officio respondeat humori crystallino. Secundum, à quo eliciatur motus cerebri dilatationis, & compressionis sine quo olfactio celebrari non potest.

CIRCA primum. In uno quoque organo sunt partes, quædam principes, quibus primo, & per se debetur actio. Sunt partes, quæ actionem reddunt præstantiorem. Sunt

quæ eam conservant. Nasum odoratus esse organum, nemo negat, sed cum nasum variæ constituant partes, ossa cartilagines, musculi, nervuli, membranæ, & processus mamillares, cui parti tanquam principi debeatur odorandi actio, non convenit inter medicos, & peripateticos. Aristoteles 2. de anima, & lib. de sensu, & sensili, nasum externum in facie conspicuum odoratus præcipuum statuit organum. In quo operculum valvulæ instar fingit, quod nunquam, nisi inspirantibus nobis aperiatur, unde fit, ut non, nisi inspirantes odores persentiamus.

GALENVS libello de odoratus organo tribus, aut quatuor capitibus in Aristotelem invehitur, docetq; nasum externum, ad olfactum conferre quidem, sed præcipuum eius organum intra calvariam locatum esse. Argumentum summit ex singularum, nasi partium enumeratione. Nec osse, nec cartilagines, nec membrana nec nervus per membranam expansus, verum odoratus organum esse possunt, ergo nulla nasi externi pars. Ossibus, & cartilaginibus, non odorandi modo, sed ne tangendi quidem sensus datus est: sunt itaque inepta ad olfaciendum organa. Membrana nares investiens tangendi quidem sensu pollet exquisitissimo, sed crassior est, ut odorum species excipere queat. Quin etiam tunica hæc linguæ palato, & ori communis est, at in illis partibus odores non percipit. Sed, & si membrana hæc verum esset odoratus organum; appulsum odorum persentiret perpetuo; at non nisi inspirantibus nobis odorũ fit perceptio, ut dictum est. Non ergo in osse, cartilagine membrana, & aliqua nasi externi parte, collocandum præcipuum odoratus organum.

GALENVS ergo, & cum eo fere omnes medici statuit princeps odoratus organum, intra calvariam esse collocatum, & portionẽ esse cerebri processus, quippè, & tubercu-

culæ, duo mamarum papillis simillima, quæ summo narium ossi obiecta sunt. Probat Galenus, nam ea pars princeps estimanda est, quæ peculiarem habent substantiam figuram, & compositionem, sed inter omnes nasi partes processus hi peculiarem habent naturam figuram, & cōpositionem, quam alibi nusquam reperias: Ossa autem cartilagines, & membranæ ubique sunt similes, ergo his processibus princeps actionis causa adscribi debet. Accedit, quod nulla in naso pars est, quæ ab odoribus alterari queat; tubercula autem hæc, quia spiritu plena, & vaporosa facile odorum species excipiunt, & quia nervorum naturam reddelent perceptam qualitatem inter nos cunt. Et quamvis Galenus simpliciter in cerebro fieri olfactionem dixerit; recentiores vero in processibus mamillaribus parum dissentiunt, cum processus hi in cerebro constituantur.

SED nobis magis arridet opinio, quæ astruit instrumētum odoratus esse in partibus nasi. Quæ opinio fuit Aristotelis, quāvis ipse operculum assignaverit inspirantibus nobis patens, cessante inspiratione concidens, quod ex Anatome reperiri non credimus. Eam tuetur Vallesius 2. controvers. cap. 26.

PROBATVR primò; nam qua parte fit ex his, quę sensibus obijciuntur voluptas, & dolor inibi fit sensus. Voluptas enim, & dolor, sensus sunt; illa iucundæ; hic tristis rei: sed experientia compertum est ex admotione rei fragantis, odore in ipsius nasi parte interiori voluptate affici, ut contra ex odore iniucundo dolore fit ergo odoratio in ipsius nasi tunica interna.

SECVNDO consonum magis est rationi cum ex halitibus subeuntibus in cerebrum spiritus animales in illius ventriculis anterioribus generentur, naturam ante illos extra calvariam collocasse sensum illorum exploratorem, ut gustum in ore fecit: quam explorato-
rem

rem adeo recondere, ut malus vapor discerni ante non possit, quam cerebrum leserit. Quod cum observatum in vētriculo sentiamus,& gustu; cur non perinde observari in cerebro, & odoratu putemus?

AD rationes supradictas facile est respondere. Membrana interna nasi non est cur excludatur ab odorum iudicio;neque quia est crassa,ob id,nanque necessaria est inspiratio ad olfactionem,nimirum,ut impulsu alteraretur. Neque quia est communis ori,& palato:nam membrana quæ in lingua sapores discernit,etiam est communis palato,& toti ori,& solum in lingua sentit.Vel dicito cur in linguæ tunica sit sensus gustus, & non in naso?Et ego dicam cur odoratus in naso sit,& non in lingua,quanquam sit eadem tunica. Porro etiam si tunica hæc sit organum non est opus,ut in perpetua simus sensatione,quia nisi intercedat impulsus inspirationis, non immutabitur membrana.

DICES ulterius; si naribus solis nervisque in his dilatatis absque processibus mamillaribus tribuenda esset facultas odores percipiendi,quid obstaret, quo minus naribus salvis semper odores perciperentur? Testatur autem experientia obstructis illis processibus, ut in Coriza fieri solet odoratum ledi,aut tolli,& si in naribus, nihil sit vitij. Respondetur tamen membranam internam nasi esse organum,non tamen in naso externo, sed in interno circa os cribrosum,quapropter obstructis,seu gravatis,& madefactis foraminibus,etiam laxatur tunica in ea parte, & tollitur sensus.Hoc etiam suadet,quod in Coriza, etiam si possimus inspirare per nares, & aër pervenire ad processus non fit olfactio, quia membrana illa laxata est.

SED cur non olfacimus,nisi inspirantes? Quia halitus trahuntur introrsum inspiratione; odoratus vero non est in externa superficie, sed in partibus profundioribus, ad quas inspiratione velut suctu trahuntur halitus.

POR-

PORRO processus mamillares non possunt esse organum, quia quidquid intra calvariam existit, ad cerebri substantiam pertinet: ast cerebrum omnis sensus est expers. Neque dici possunt nervi, quia non teguntur dupli-ci membrana. Deinde cum nervi sint delatores sensus, nullum est organum, cui aliquis nervus non deferat sensationem; constat vero ex Anatome, nullum esse, qui inferatur in processibus.

AVERROHIS etiam ratio urget: nam si processus mamillares essent organa, obstructis naribus, eorum, quæ ore conteruntur odor perciperetur, quia ab ore, & palato ad ea tubercula aëri additus patet manifestus, & ciborum, qui in ventriculo continentur odor persentiretur. Neque valet, quod respondet Andræas Laurẽtius, etiam si ab ore ad processus pateat via non fieri olfactionem occlusis naribus, quia offerri primò debent naribus odores ibique præparari. A nemine enim pars ulla assignatur, quæ efficiat in naso talem præparationem; atque ita ficititia videtur.

A quo eliciatur motus cerebri dilatationis, & compressionis, sine quo olfactio celebrari non potest, est secundum dubium enodandum hoc in loco. Pro cuius explicatione.

SIT prima conclusio. Motus cerebri non est motus naturalis. Hæc est contra plures recentiores: contra Petrum Garcia 2. de locis aff. cap. 5. contra Casertam lib. de sympt. motus animalis q 10. art. 2. & contra Sanctacruciũ opusculo de pulsibus. Eam tamen insinuat Galenus 3. de decretis, Hyppoc. & Platonis cap. ultim. ubi inquit; cerebrũ etiam cum vult spiritum ad membrum transmittere accõmodata huic rei agitatione motum facit. Quibus ostẽdit; magis ex arbitrio; quam ex natura cerebri motum pendere.

PROBATVR conclusio primò. Quia cerebri motus fo-

let dici respiratio,& à cerebro respiratio fieri dicitur, ut de instrumento odoratus cap. ultim. quæ respiratio motus est animalis,& voluntarius,& ab animali fit facultate, ergo non movetur cerebrum motu naturali.

SECVNDO probatur. Olfacimus cum volumus, sed olfactio est motus cerebri, ergo magis est arbitrarius, quam naturalis. Maior est per se nota, quia olfactio fit tracto aëre vaporoso,& odorabili ad cerebrum. Minor etiam per se patet, quia in dilatatione cerebri fit olfactus,& cum intense olfacimus intense movetur cerebrum: id etiam experitur in capitis vulneribus dũ fit olfactus. Respondent negando consequentiam, nempè odoratum non esse voluntarium, quia cerebrum voluntariè movetur, & attrahit odores, sed quia respiratio est voluntaria, qua media attrahuntur odores. Non enim negant, cerebri motu medio trahi odores, sed quod id fiat ex voluntatis imperio.

SED profecto urgentissimum est argumentum,& responsio omnino in adequata, illud enim saltem concludit motum cerebri non esse naturalem, quia servat Rythmũ respirationis,& illam comittatur. Ast motus naturales, neque concomittantur respirationem, neque servant Rythmum, ut patet in regularibus expulsionibus cerebri, & in epilepsia, in qua inordinati motus fiunt. Adeo autẽ identificatur cum respiratione motus cerebri, quod nullatenus motione cerebri trahantur odores, nisi in respiratione, quamvis possint pervenire ad cerebrum vi propria, quatenus tenuium sunt partium. Natura autẽ uteretur cognitione, & delectu, si expectaret respirationem ad suum motum, & proinde non esset motus naturalis.

TERTIO probatur conclusio. Nam experienta constat in capitis, vulneribus ex volũtate nostra pẽdere nos cerebri mõtũ maiorem efficere per maiorem factam inspirationem, atq; ita excrementa ex vulnere pellere, ergo cerebri motus non est naturalis. RES-

RESPONDENT negando consequentiam, in his enim (in quiunt) casibus, non fit maior cerebri motus quod cerebrum ex vi in ipso residente in ampliorem spheram se dilatet, sed quia cerebrum ampliorem latitudinem recipit ex copiosiore recepto aëre ex vi magnæ inspirationis, atque ita melius excrementa pelluntur.

HÆC responsio nulla est, & eandem habet impugnationem, ac superior; nam motus naturalis non dependet ex arbitrio respirationis, ac si penderet non esset naturalis.

SECVNDA conclusio. Facultas quæ cerebrum movet, non est animalis. Hæc est contra Mercatum, & alios.

PROBATVR conclusio primò: nam quæcunque pars, quæ voluntariè movetur, per musculum, vel carnē musculosam debet moveri, quia ut constat musculus est unicum instrumentum, & organum motus volūtarij, sed cerebri substantia non habet musculos, à quibus moveri possit, nullus enim est intra calvariam, ergo cerebrum nō movetur motu voluntario.

SECVNDO probatur. Corpora, & membra, quæ moventur animali facultate, iuxta voluntatis arbituum, celerius tardiusque moventur, quod non accidit cerebro, ut patet experientia; neque enim ex voluntate, & appetitu habet, ut celerius, & tardius se moveat, vel motum inhibeat; non igitur animalis facultas movet cerebrum.

TERTIA cōclusio. Motus dilatationis cerebri causatur, ab aëre attracto per inspirationem cerebrū distendente. Probatur hæc nostra conclusio, secunda conclusionis secundæ probatione. Nunquam enim distenditur cerebrū, nisi in inspiratione. Si acceleratur non fit hęc quousq; illa servante utroq; cerebro, & thorace eundem rythmū; ergo signum est, quod aër inspiratus per medium cerebrū missus illud distendi facit.

SE-

SECVNDO probatur conclusio: Tibiarum utriculariũ exemplo, nam si per fistulam existentem in corpore utriculi exufflaveris, & impleveris utriculum, eo ipso, quod distendatur corpus utriculi, & utriculi caput distendetur, eo, quod unica, & eadem est cavitas. Ad eundem modum per inspirationem, magna copia aëris attrahitur per os, & nares ad thoracem, distēto thorace, eo ipso portio aëris delata per palatum, & os cuneale, per nares, & os cribrosum ad cerebrum distendit ipsum, non ob aliam rationem, nisi quia unica, & eadem continuata est thoracis cavitas, & ea per quam aër defertur ad cerebrum. Itaque thoracis distensio contingit fuga vacui, dilatato diaphragmate à facultate animali. Cerebri vero distensio est ab aëre delato ad cerebrum, impellente, & dilatante substantiam medullarem: Sicuti in exemplo proposito, utriculi corpus potest fuga vacui distendi, simul tamen aliquę partes distenduntur ab aere irruenter intromisso. Nec mirum nam substantia cerebri levis facta est à natura ad facilem dilatationem.

QVARTO probatur, nam expulsio, quæ fit medio sternutamento perfici non potest à cerebro, nisi adiuvetur, ab expiratione thoracis, ut constat experientia; ergo motus respirationis, & motus cerebri sunt simultanei, & fiunt modo dicto: nam quemadmodum ab aëre inspirato iuvatur cerebrũ, ad sui dilatationem, ita ab aëre expirato iuvatur ad contractionem in sternutamento.

OBIICIES, si cerebrum non movetur motu naturali, nec voluntario, ergo motu violento, quod videtur absurdum, quia nullum violentum est perpetuum ex Aristotele. Respondetur, quod spectata propria natura violentus est, ut omni motus, qui fit propter bonum universi, & fuga vacui. Spectata tamen natura universi violentus non est. Sic infrigidatio secundæ regionis aëris spectata natura propria violenta est, quia aër natura calidus, spe-

ctata

ctata vero natura universi est naturalis, quia sic opportuit aërem alterari ad universi conservationem. Idem dicendum de aqua quę ascendit ad vitandum vacuum. De huiusmodi violento, non est intelligendum axioma Aristo. quia secundum quid dumtaxat dicitur violentum, sed de violento simpliciter.

Ex quibus infertur, quam simillimus sit motus cerebri motui pulmonis: nam sicut pulmo distenditur secundum partem convexam ad vitandum vacuum, inter ipsum, & thoracem distentum. Secundum autem partem concavā extenditur lege vacui, & ab aëre impellente per inspirationem attracto. Similiter cerebrum, ab eodem aëre in eadem inspiratione attracto extenditur. At vero neque motus pulmonis, neque cerebri est violentus spectata natura corporis, ad cuius bonum moventur.

PROSEQVITVR textus. *Manus habent, & non palpabūt.* Designat textus actum tangendi, qui est proprius peculiaris sensus externi, qui dicitur tactus, & insinuat hanc actionem exerceri in manu tanquam in proprio organo. Verumtamen hæc est providentia naturæ, hæc ad pericula prospicienda sagacitas: quod ad obiecta reliquorū sensuum internoscenda ipsa illorum sensoria sunt satis; at vero cum sensibile vehemens, & corrumpens accidit, tactus patrocinium certamenque suscipit, & continuo appetitum ad fugam concitat. Ergo tactum ideo cūm alijs sensibus natura conglutinavit, ut ipsi quasi à Fisci præfecto excitati res noxias probe, citoque sentirent, salutique fuga consulere possent.

SED non levis est difficultas, utrum sola cutis sit organum tactus. Medici ita sentiunt. Quoniam cutis partium omnium temperatissima est, mediumque obtinent extremorum, velut canon, & regula, perfectius itaque detactilibus qualitatibus iudicabit. Debet ex Aristotelis doctrina omnis iudex, omnis qualitatis alienæ esse expers, sic cry-

stal-

ſtallinus humor viſibilium imagines excipiens coloratus non eſt.

VERVM enimvero, ut dictum eſt, iã alibi, & ſæpè nulla eſt pars noſtri corporis, quæ plus minus ſenſus tactus nõ ſit prædita, nam ſenſus abſolutè neceſſarij ſunt tactus, & guſtus. Tactus animalitatis, ut inquit philoſophus, fundamentum eſt maximè neceſſarium ad fugienda noxia, & proſequenda utilia. Guſtus nutritionis ſine qua conſervari non poteſt animal gratia eſt comparatus. Viſus auditus odoratus vitam beatiorem reddunt. Diffuſus ergo eſt ſenſus tactus per univerſum corpus; imo reliqui ſenſus, neque afficiuntur voluptate, neque dolore per ſe primò, niſi quatenus habent tactum intrinſecus incorporatum. In hoc ſenſu Galenus libro de inſtrumento odoratus ventriculum tangendi organum vocat, quia nimirũ accerrimo ſenſu præditum eſt, ob inſignes nervos, quos accipit à ſexta coniugatione ratione famis, & ſitis quam ſolus ventriculus ſentit. Vt, & Genitalia, quæ ad procreationem incredibili libidinis æſtro percita ſunt.

QVAMVIS vero ſenſus tactus, non habeat ſeparatum organum, ſed omnibus partibus aſſiſtat: tamen ad maiorem perfectionem animalis proviſum eſt, ut in aliqua parte eſſet vividior. Equidem in homine vola manus dicitur maximè temperata ad tactum, & ob hanc cauſam in manu magis eluceſcit. Ad quod alludit Regius Cantor in noſtro textu, cum inquit: *Manus habent, & non palpabunt,* ſimulacra.

SED eſt peculiaris, & curioſa difficultoſa. Vtrum ſicut in alijs ſenſorijs datur pars potiſſima eliciens actionem, & pars, quæ præſtat uſum, eodem modo ſit philoſophandum in tactu. Sanctacruzius 4. de ſymptomatum cauſis affirmativam partem tenet. Et in primis docet ſubſtantiam nervi ratione ſuæ medullæ præcipuè edere actionẽ, ledi autem hanc partem à varijs cauſis. Leditur præterea

in-

inquit, defectu cutis, defectu carnis, defectu alicujus tunicæ, duas quippè tunicas habere debet substantia nervi. Omnes istæ partes præstant usum, ut eliciatur actio.

VERUM enimvero in sensu tactus non datur pars potissima eliciens actionem cum distinctione à partibus usum præbentibus: neque licet philosophari, sicut in sensu visus, & auditus, sed minutissima particula nostri corporis quælibet elicit sensationem tactus. Ratio à priori est, quia sensus tactus non sentit per species, sicut visus in quo species debet modificari, vel disponi à partibus usum præbentibus, ut pars potissima eliciat actionem, sed supra quamlibet partem ponatur res noxia, vel utilis fiet sensatio, & fuga, aut prosecutio.

SIT primum corollarium. Dubito circa textum medicé, quoniam medicè elicietur responsio. Quæ sit causa ob quam cum sumpserit regius psaltes ad negandam vitalitatem simulacrorum argumentum ex sensibus, visu, auditu, odoratu, & tactu, cur omisserit argumentum dessumptum ex gustu, qui sensus est etiam inferens vitalitatem. Suspicor, quod operatio sensus gustus est indigna etiam simulacrorum gentium. Et ob id forsam, quando Rex Babilonis dixit ad Danielem cap. 14. non videtur tibi esse Bel vivens Deus; an non vides quanta comedat, & bibat quotidie? Risit Daniel ignorantiam Regis dicens; ne erres Rex, &c. Alij sensus possent exerceri in beneficium hominum, ut visus ad prospiciendam hominum indigentiam; auditus ad audiendas preces illorum; olfactus ad odoranda sacrificia tactus ad leniter tangendum, & amplectendum. Verum gustus, ut diximus, solius nutritionis sine qua gustans conservari non potest gratia est factus. Et ob id duplicem arguit imperfectionem, necessitatem alimenti, & verti non posse in commodum hominum, quæ duo

indigna sunt etiam simulacrorum gentium.


SECVNDVM corollarium. Dignum etiam est dubitatione, cur cantor regius probet nullam vitalitatem simulacrorum ex operatione futura sensuum, & non ex præsenti. Poterat enim dicere. *Os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt, nares habent, & non odorant, manus habent, & non palpant, pedes habent, & non ambulant non clamant in guture suo.* Non sic textus scribit, sed omnes operationes ponit de futuro, etiam si fortius argumentum sumatur ex præsenti operatione, quam ex futura, & nullam præsentem exercent simulacra. Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut inquit D. Paulus. Ponit David omnes operationes de futuro, ut doceamur omnia tempus requirere, nec semper esse loquendum, audiendum, &c. Nam, ut inquit Ecclesiastes, omnia tempus habent tempus nascendi, & tempus moriendi, templus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus, tempus tacendi, & tempus loquendi. Proinde dicit: *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt*, hoc est cum oporteat loqui, aut videre.

VLTIMVM corollarium. Diximus in superioribus, ad vocem efformandam potissimum concurrere gutur, quia vox est sonus, & sonus ex aëris allissione fit præsertim in guture, quod instrumentum est respirationis. Itque potissimum simplex loquela celebratur in ore, & partibus eius; vox vero, & clamor in guture, quia debet fieri ad vocem, & clamorem magna efflatio aëris, & allissio eius in guture, & proinde dicit textus: *Os habent, & non loquentur; non clamabunt in guture suo.* Quapropter rectè dicunt aliqui auctores, quod vox, & clamor emissus à Christo Domino propè mortem fuit miraculosus, quia magna efflatio, &

& aëris allisio non poterat fieri debili existente virtute præsertim repetita, ut ait Div. Matthæus, *Iesus autem iterum clamans.* Colligitur ex Evangelio D. Marci, ubi dicitur: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset*, ait. *Vere hic homo filius Dei erat.*

CAPVT XXXIII.

Q*VANDO æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.* Proverbiorum 8. *capite.*



ÆTER Ab Anaxagora accipitur pro elemento ignis. Arist. vero de mundo hoc nomine signi ficari, ait, cęli syderumque substãtiam, hoc est, totam syderum, & cęli, & stellarum compaginem, non quod ignita flagret, sed quod semper motu suo circũductili currat, & cursibus rapidissimis rotetur. In hoc etiam sensu accipitur Iob 35. ubi legitur; suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te sit. Vnde nunc quoque philosophi duas præcipuè mundi partes constituunt, mundum elementarem, & æthereum, elementorum nomine, terram, aquam, aerem, & ignem intelligentes, Ætheris autem nomine complectentes, quidquid est supra elementum ignis. Hic nomine fontium non oportet intelligere fontes, qui stricto nomine tales dicuntur; illi scilicet, qui erumpunt ex terra, sed ingens illud barathrum, & immensitatem aquarum, quæ est intra terram. Nomen enim fontis latissimè patet: significat enim saltem in sacra pagina, etiam aquas puteales. Nam cap. 24. Genesis legitur de

ſervo Abraham ; quod cum perveniſſet in Meſopotamiam, fecit accumbere Camelos iuxta puteum aquæ; & ſtatim dicit. Ecce ego ſto propé fontem aquæ, intelligit, ergo per fontem puteum. Capite ſecundo Geneſis habetur, quod tempore diluvij rupti ſunt fontes abyſi, hoc eſt, immenſitas aquarum, quæ erat ſub terra erupit, & inundavit terram. Nam fontes ſponte erumpentes, iam præexiſtebant.

SED dubium eſt utrum fontes erupti, ex ingenti illo baratrho, & aquæ immenſitate, quæ intra terrã eſt regurgitent. Et eadem quæſtio erit devoluta ad flumina, nam hæç à fontibus incipiunt, & acceſſione fontium, & rivulorum augeſcunt. Hæc quæſtio ab antiquiſſimis, etiam philoſophis eſt agitata, nam Ariſtoteles 2. capite ſecundi metheororum antiquam hæſitatibnem vocavit cur mare nõ redundet, neque ſentiatur augeri tametſi multitudo ingens tantæ magnitudinis fluviorum in ipſum continenter influat.

PLATO in Phædone differens de magno illo baratrho, inquit. In hoc itaque receptaculum omnia confluunt flumina, atque inde rurſus effluunt. Ariſtoteli videtur, fieri non poſſe, ut fontanæ fluvialeſque aquæ effluant ex mari ac perinde ex barathro cum in illud influant.

RATIONES Ariſtotelis ſunt. Nam cũ aqua moveri nullo modo poſſit, niſi ab editiori in humiliorem locum fieri non poteſt, ut in eundẽ locum influat, á quo effluxit, quia erit idẽ locus ſeipſo eminentior, & humilior. Quæ cauſa eſt, ut non poſſint arte fieri ulli fontes perpetui præcipuè non accedente vacui neceſsitate, quæ certè in terræ cavitatibus non accederet, quia poſſent facile repleri aëre.

HANC eandem rationem confirmat Ariſtoteles, dicẽs, hac de cauſa ad radices montium oriri ſemper fontes, neque in media planitie humilium vallium, neque in

ſum-

summis montium cacuminibus, quod ex sublimium partium cavitatibus ad humiles guttatim destillet aqua, atque stillarum concursu colligatur.

DEINDE tam insignis est aquarum fontanarũ à marina differentia, ut una alterius scaturigo esse non possit, si enim ex mari, ut ex comuni alveo omnes fluerent, viderentur, & sui, & maris futuræ similes, nunc autẽ, & à seipsis diffident multum, & à mari quam plurimum cũ paucę salsæ sint. Cum igitur talis fontium genesis his argumentis videatur impugnari; concludit Aristoteles, ex vaporibus, & aëre densatis, intra terræ cavernas generari denuo aquam; quæ per quosdam meatus exiens fons dicatur, ac deinde aliarum accessione increscens etiam fluvius.

PLATONIS sententia censetur Vallesio lib. de sacra philosophia c. 63. probabilior. Probat primò; Nam si fontanę aquæ perinde generarẽtur in terræ cavernis, ut pluviales in nubiũ regione, eveniret certè in illis quod & in his, scilicet, neq; essent perennes, neque eisdem in locis semper fierẽt. Sed, ut pluviæ in certis fierent temporibus, & locis.

SECVNDVM argumentũ. Nubes fiunt ex aëre, & vaporibus loci frigiditate crassescentibus, cavernæ vero terræ non semper frigidæ sunt, sed in æstate solum, quare in hieme cum sunt calididitsimæ, ut & animalium ventres non manarent fontes. Sed solum in æstate; evenit vero contra omnino per hyemẽ enim fluunt abũdantius, per ęstatẽ extenuantur omnes, & arescunt plurimi. Quod si dicas non gigni eam aquam cressescente aëre à frigore, sed cõgestione vaporũ à calore resolutorũ, ut in operculis ollarum ex aqua fervente; eveniret contra, ut per ęstatem nulli fontes fluerent, cum totus calor sit extra terram, at vero fluunt plurimi, hique frigidissimi, ac nonnuli etiam sunt, qui obturati per hyemem fluũt æstate solum. Quod si dicas æstate fieri refrigeratione, hyeme congestione resolutæ calore aquæ, præter quam quod videtur figmen-

to simile non eandem esse toto anno fontis perennis generationem evenire; ut vere, & autumno minus, tenuiusque fluerent quam hieme, & æstate, cum scilicet, neque frigus esset tantum, ut crassitiem inferret, neque tantus calor, ut solveret aquam in vapores; itaque haberent fontes, quotannis duo incrementa, & totidem decrementa. Tamen non ita evenit; sed universim cum ignis abundat decrescit tota aquæ moles, cum extenuatur ignis abũdat aqua. Quapropter cũ fontes, ac flumina ex tota aquæ molle, & ingenti illo barathro (quod nihil aliud est, quam recondita maris pars) decidantur, tabescunt cum prævalet calor, & siccitas, abundant cum contrariæ virtutes, hoc est frigus & humor præcellunt.

His tamen non obstantibus, neutra inquam Platonis & Aristotelis sententia est despicienda, sed utraque est verissima, ut monstrabimus.

Et primo Platonis sententia probatur ex sacra pagina capite primo Ecclesiastæ; ubi ita habetur: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum unde exeunt flumina revertuntur; ut iterum fluant, capite 7. Genesis legitur: ruptique sunt omnes fontes abysi, hoc est omnes fontes, qui ex ingenti aquæ abyso (quod Poëte barathrum vocant, seu tartarum) procedunt ruptis venis eruperunt, & ita effusa aqua abysi inundavit terram, ut si quis ruptis, ubique venis exhauriat sanguinem hepatis.

Si dicas, ut probabiliter possis, hoc dictum fuisse de tẽpore diluvij, quo Deus, ut omnipotentiam suam ostenderet aquas extraxit ex terræ visceribus, miraculo; nunc vero loquimur de origine naturali fontium. Habetur cap. 8. Deuteron. locus elegans, qui sententiam dictam insinuat his verbis: Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarũque, & fontium in cuius campis, & montibus erumpunt fluviorum aby-

abyſi. Mirum ergo non eſt, quod aqua fluminum ſit ex abyſo. Et hæc eſt cauſa cur dixerit Eccleſiaſtes, quod mare non redundet. Nam cum fontes ex immenſo illo barathro, & aquæ immenſitate, quæ intra terram eſt regurgitent partim per patentes, quoſdam poros velut per quoſdam cuniculos, partim per ſolidam ipſam terram excolatos mare non redundat, quia quantum alia parte accipit, tantundem alia demittit.

SED obijcies contra hanc ſententiam pro Ariſtotele: nam videtur fieri non poſſe, ut fontanæ fluvialeſq; aquæ effluant ex mari, cum in illud influant, quia cum aqua nullo modo moveri poſſit, niſi ab editiori in humiliorem locum fieri non poteſt, ut in eundem locum influat á quo effluxerit, quia erit idem locus ſeipſo eminentior, & humilior. Quæ cauſa eſt, ut non poſſint arte fieri ulli fontes perpetui præcipuè non accedente vacui neceſſitate, quæ certè in terræ cavitatibus non accederet, quia poſſent facile repleri aëre.

RESPONDETUR, quod mare cum vaſtiſſimum ſit ſecūdum aliam recipere influentes aquas, ſecundum aliā demittere effluentes, ut vero demittat in partes ſublimes montium cauſa eſt fervor, & agitatio maxima, quibus tumeſcit, nam ut inquit David. Mirabiles elationes maris; nam aliquando per tempeſtates diſſolutas, uſque ad nubes elevatur, quem motum vix dubitare quiſpiam poſſit, ad concuſſos intra aquam, & terram flatus referri. Agitatur ergo interius aqua à flatu, & à barathro per terræ cuniculos in partes mari etiam ſublimiores efferri. Quod vero aqua poſsit hoc modo aſcendere ſignificat ſacra pagina Geneſis cap. 2. ubi legitur: non enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram, ſed fons aſcendebat de terra irrigans omnem ſuperficiem terræ: aſcendere eſt in ſublimiorem locum ex humiliori ferri. Neque vero non erunt hoc modo fontes pe-

rennes; nam agitationes subterraneæ tam repetunt crebro aqua nunquam manente, sed semper agitata, ut antequam ventres illi exhauriãtur anticipent repleri. Et semel elata in sublimitatem montium aqua, deinceps perenniter fluit ne detur vacuum, ut contingit in fistula, quando per eam vi suggitur aqua. Hanc dispensationem aquarum, sibi tribuit Sapientia cap. 24. dicens, ego sapientia effudi flumina.

SECVNDVM argumentũ pro Aristotele facile solvitur; nam quod aquarum sit magna differẽtia facit percolatio. Nã Aristoteles ipse dicit demissis in mare vasis cereis extrahi dulcem aquam: sic etiam percolatur per terrã, quod dulce, & potulentum est salsis partibus, & terreis non potentibus penetrare. Dantur etiã vasa, quæ dicuntur mortaria per quæ excolata aqua redditur melior. Quid ergo prohibet hoc idem fieri excolanda per terram aqua?

ET quia sententia Aristotelis, etiam est probabilis, & non est inconueniens, quod, & ipsa pariter sustineatur, & quod in terræ cavitatibus generetur aqua, aëris, & vaporum, qui illic sunt copiosi congestione, ibique multarum gutularum continenti cõcursu rivulos gigni, qui per meatus aliquos erũpentes fontes dicantur. Respondere oportet rationibus contra ipsum formatis.

AD primum dicimus, quod fontes nõ sequuntur cõditiones pluviarum, & sunt magis perennes Quoniam pluviæ fiunt ex vaporibus, qui in aëre, aut solis calore, aut alia quacunque causa facile dissipantur; aut in alium locum feruntur, atque ita pluvia exturbatur. At vero intra cavernas terræ non ita contingit, sed facilius vapores congeruntur, & condensantur in aquam, quia non dissipantur in aërem. Patet in olla ferventi discooperta, cuius vapores etiam diffunduntur in aërem, qui si fuerit olla cooperta in operculo condensantur.

AD secundum argumentum iam supra formatũ respõde-

detur: non bene inferri sistendos esse fontes tempore hyemis, quia cavernæ terræ sunt calidissimæ: nam eo ipso fluunt abũdantius in hyeme quia cavernæ terræ assimilari possunt alēbico, & superficies operculo, & quemadmodum à calore alembici elevãtur vapores, qui metallicũ, & frigidũ contingentes operculum condensantur in aquam; sic à calore solis, & cavernarum copiosiores elevantur, & dum perveniunt ad superficiem externã terræ, quæ frigida est in hyeme densantur in aquam. Neque oportet distinguere crassefactionem á frigore, à congestione vaperũ resolutorum á calore, ut in operculis ollarum ex aqua fervente quam distinctionem facit Vallesius. Nam etiam in operculis concrescunt gutulæ à frigore, quia vapores aquei in operculo, quoniam ibi minus est caloris per resultantiam, & emanationem se reducunt ad pristinam frigiditatem, ut aqua calida semota ab igne.

SIT primum corollariũ. Alludit textus ad 1. cap. Genesis, ubi dicitur fiat firmamentum in medio aquarum, & devidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erãt super firmamentum. Nam paulo ante nostrũ textũ sapiẽtia allegat possessionem ante quam Dominus quidquã faceret à principio: & statim dicit, *nondum erant abysi, & ego iam concepta erã, nec dũ fontes aquarum eruperant*; & in his etiã verbis, insinuatur fontiũ processus ex abyso; nã primò nominat abysum, deinde, quod *nondum eruperant fontes*; hoc est ex abyso, servat enim ordinem operũ Dñi. Igitur firmavit in firmamento aquas illius, & quæ erant sub illo locabantur in abyso; hoc est enim librare quasi æquare.


SECVNDVM corollarium. In hoc etiã sapientia libravit aquas, quod quemadmodum flumina, ut diximus fiunt ex fontibus; ita fontes ex fluminibus. Nam flumina decurrentia iterum per meatus internos ramificantur ex quibus erũpũt fontes, Cæsaraugustæ observamus, quod cres-

cen-

cente libero fluvio putei tumescunt, & decrescente detumescunt, & arescunt quandoque. Huiusmodi aquarum alternatio est æquatio mirabilis sapientiæ divinæ.

CAPVT XXXIV.

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. lib. Prov. 10. *c.*


T Parabola intelligatur non inutiliter, consulitur Medicina, & Philosophia. Acetum fit ex vino per putrefactionem, quod omnes concedunt. Sed obijcitur, quia omnia, quæ putrescunt redduntur calidiora, ut mille exempla demonstrant, quod in aceto verificari non potest cum ex natura sua frigidum sit, ut patet ex Galeno, & omnium Medicorum consensu. Communiter respondent Doctores, & præcipuè Aristotelis interpretes admittendo id, quod in argumento ponitur, & exhibent rationem dicentes per putredinem corrumpi calidum innatum, & ita si nimis intendatur putredo omnino deficit calidum innatum, & ita remanet subiectum frigidum. Sed frivola responsio; nã bene potest minui calor nativus, ut defacto minuitur, imo extinguitur seu interit, nam ex Aristotele 4. meteororum sic definitur putredo: est interitus caloris nativi in unoquoque humido. Verumtamen intenditur putredinosus, de quo est quæstio. Verum neque hic in aceto maior observatur, imo remissior, ut constat. Alij recentiores dicunt; semper, quæ concoquuntur, & putrescunt calidiora, reddi quamdiu res, quæ putrescit, aut coquitur perseverat sine substantiali transmutatione; si enim substantialiter corrumpitur, bene potest acquirere formam cui debeatur frigus secundum naturam, & sic contingit

in

in exemplo proposito aceti; nam vinum transit in acetum per transmutationem substantialem, forma enim vini, & aceti differunt. Sic P. Garcia de lo. aff. disp. 4 cap. 1.

SED neque hæc responsio verificatur; nam in putrefactione completa quam sordidam vocant multi cum Galeno amittitur forma substantialis, & alia succedit, & tamē semper dum res putrescit intenditur calor putredinosus, quod mille experimentis comprobari potest. In Febribus putridis humor, qui putrescit, modo completè, & integrè putrescat, ut plerunque solet, amittit formam humoris, & semper calor putredinosus viget intensior. Patet nam humor ille per coctionem iterum redire non potest ad priorem formam, & proinde expurgatur à medico, ut omnino inutilis ad nutritionem; & aliquando ex tali putredine vermes, & lumbrici generari solent; ne dum prior forma corrumpitur. Palea cum putrescit substantialiter transmutatur in fimum, & sterquiliniū, interim tamen dum putrescit calorem habet maiorem. Mulus recens mortuus calore suscitat refrigeratos sub forma tamen iam cadaveris.

ET hoc currit iuxta bonam philosophiam, nam in putredine dissolvitur mixtum, & ut ait Hyppocrates, calidū revertitur ad mundi calidum, & frigidum ad mundi frigidum. Itaque cum calor non attemperetur frigido, neq; humido hebetetur maior persentitur.


QVID ergo respondebimus argumēto de aceto, quod frigidum est? Vinum interim dum putrescit, & degenerat in aceti formam, & etiam postquam iam introducta est incalescit ex putredine, verum tandem exhalat calor, & succedit frigiditas, quamvis maneant ex putredine in aceto partes calidæ, quæ plurimæ sunt in illo. Palea cum putrescit proculdubio maiorem acquirit calorem, quemadmodum sensu percipitur: verumtamen tandem tandē exhalat ille calor, quia cōvertitur in terram frigidā.

Mu-

cente libero fluvio putei tumescunt,& decrescente detumescunt,& arescunt quandoque. Huiusmodi aquarum alternatio est æquatio mirabilis sapientiæ divinæ.

CAPVT XXXIV.

S*Icut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui misserunt eum*. lib. Prov. 10. *c*.


T Parabola intelligatur non inutiliter consulitur Medicina,& Philosophia. Acetum fit ex vino per putrefactionem, quod omnes concedunt. Sed obijcitur, quia omnia, quæ putrescunt redduntur calidiora, ut mille exempla demonstrant, quod in aceto verificari non potest cum ex natura sua frigidum sit, ut patet ex Galeno,& omnium Medicorum consensu. Communiter respondent Doctores, & præcipuè Aristotelis interpretes admittendo id, quod in argumento ponitur, & exhibent rationem dicentes per putredinem corrumpi calidum innatum, & ita si nimis intendatur putredo omnino deficit calidum innatum, & ita remanet subiectum frigidum. Sed frivola responsio; nã benè potest minui calor nativus, ut defacto minuitur, imo extinguitur seu interit, nam ex Aristotele 4. meteo rorum sic definitur putredo: est interitus caloris nativi in unoquoque humido. Verumtamen intenditur putredinosus, de quo est quæstio. Verum neque hic in aceto maior observatur, imo remissior, ut constat. Alij recentiores dicunt; semper, quæ concoquuntur, & putrescunt calidiora, reddi quamdiu res, quæ putrescit, aut coquitur perseverat sine substantiali transmutatione; si enim substantialiter corrumpitur, benè potest acquirere formam cui debeatur frigus secundum naturam, & sic contingit

in

in exemplo proposito aceti; nam vinum transit in acetum per transmutationem substantialem, forma enim vini, & aceti differunt. Sic P. Garcia de lo. aff. disp. 4 cap. 1.

SED neque hæc responsio verificatur; nam in putrefactione completa quam sordidam vocant multi cum Galeno amittitur forma substantialis, & alia succedit, & tamē semper dum res putrescit intenditur calor putredinosus, quod mille experimentis comprobari potest. In Febribus pudridis humor, qui putrescit, modo complete, & integrè putrescat, ut plerunque solet, amittit formam humoris, & semper calor putredinosus viget intensior. Patet nam humor ille per coctionem iterum redire non potest ad priorem formam & proinde expurgatur à medico, ut omnino inutilis ad nutritionem; & aliquando ex tali putredine vermes, & lumbrici generari solent; ne dum prior forma corrumpitur. Palea cum putrescit substantialiter transmutatur in fimum, & sterquiliniū, interim tamen dum putrescit calorem habet maiorem. Mulus recens mortuus calore suscitat refrigeratos sub forma tamen iam cadaveris.

ET hoc currit iuxta bonam philosophiam, nam in putredine dissolvitur mixtum, & ut ait Hyppocrates, calidū revertitur ad mundi calidum, & frigidum ad mundi frigidum. Itaque cum calor non attemperetur frigido, neq; humido hebetetur maior persentitur.

QVID ergo respondebimus argumēto de aceto, quod frigidum est? Vinum interim dum putrescit, & degenerat in aceti formam, & etiam postquam iam introducta est incalescit ex putredine, verum tandem exhalat calor, & succedit frigiditas, quamvis maneant ex putredine in aceto partes calidæ, quæ plurimæ sunt in illo. Palea cum putrescit proculdubio maiorem acquirit calorem, quemadmodum sensu percipitur: verumtamen tandem tandē exhalat ille calor, quia cōvertitur in terram frigidā.

Mu-

Mulus recens mortuus calorem habet excedentem, deinde tamen frigescit. Et in febribus putridis humores putrescentes generant calorem putredinosum, qui tamen, quamvis non redeant ad priorem formam illum amittũt quoniam exhalat.

VINVM quando putrescit in acetum calorem acquirit verum statim exhalat tanto citius, quanto est magis vaporosum, quam plures aliæ res putrescentes. Et quod hoc procedat ex natura vini vaporosa manifestè patet. Nam vinum existens in phiala non cooperta, etiam si sit generosum, & calidius breuiter flacescit, & debilitatur; ergo in putrefactione multo magis: mirum igitur non est, quod acetum, etiam si factum sit per putredinem, in frigidiorẽ abeat naturam.

SED quomodo se habeat acetum respectu dentium videndum ut textus explicetur. Ferè omnes interpretes ad expositionem supponunt, quod dentes ex aceto stupefiunt. Verum ex medicina non habemus, quod acetum dentibus inferat stuporem. Nam stupor est sensus imminutus propter impeditam facultatem á cerebro; hoc autem non efficit acetum, quia non habet crassitiem quæ possit obstruere, sed nimiam partium subtilitatem, quæ possit reserare. Stupor verò dentium fit à rebus acerbis, & austeris, quæ habeant nimiam adstrinctionem, & partium crassitiem, quæ in aceto non reperiuntur; nam adstrictio leuior est quam in acerbis, & austeris, & crassities nulla, sed contra partium subtilitas; & acetum non est acerbum, nec austerum, sed accidum.

SED meritò inquirimus an quemadmodum fumus censetur oculis noxius, ita dentibus acetum. Et videtur quod; non; quia conservatio fit per similia acetum autem frigidum est sicut dentes. Verum enim, verò in statu secundum naturam noxium est acetum dentibus, ut asserit Hyppocrates 5. lib. apho. 18. ubi dicit frigidum inimicum

cum dentibus ossibus, &c. Acetum autem frigidum est cum magna partium subtilitate. Nam quamvis conservatio fiat per similia, viventia à prædominio caloris vivunt, atque ita partes exangues, & spermaticæ indigent calore influenti.

SED notandum quod ut inquit Avicena septima tertij tractatu 1. capite 2. multo plus nocet frigidum dentibus quando sunt calidi, quia caloris vehiculo intimius penetrat frigidum. Eodem in loco dicit, etiam nocere calida quando sunt frigidi, quia repercussione frigiditas, quæ existit in dentibus pellitur ad interiora, & nimius etiam calor resolvit exiguum quem habent dentes.

CÆTERVM non solum dentes ledit acetum, quatenus frigidum sola refrigeratione, sed quia nimia penetratione robur exolvit dentium, & illos præternaturā emollit, nam & ovi putamen in aceto infusum, ita emollitur, ut per os phialæ possit intromitti; quia eundem effectū efficit in osse, quod molle reddit, ut ait Marsilius. Quāmvis Hugoni Senensi prima primi doctrina 4. quæstion. 22. hoc non placeat; sed inquit, quod quia acetum habet maiorem siccitatem carnibus eas indurat, & exiccat; & quia virtus eius exiccativa, minor est ossis siccitate ob id ossa emollit. Vt cumque sit expertum est illud habere vim emolliendi ossa, & res duras, ita, ut saxa durissima rumpat, & emolliat. Ita Plinius libro 21. cap. 1. Sic est in usu rupes inaccessibiles, & saxa durissima aceto disponere, quo arbitrio usus fuit Iulius Cæsar, ut posset exercitus pertransire. Et iniectum acetum in corpora sicca, & saxosa, solet elevare spumam, & ebullire videtur, ut inquit Galenus 2. prorrecti. Et causa est nam partes subtiles aceti convertunt in vapores subtiles partes lapidis, vel saxi, ubi inicitur, qui ascendentes sursum sonitum illū, & ebullitionem causant, & cōmixti cum partibus

bus

bus crassioribus aceti, quæ non penetrarunt spumam efficiunt. Sic explicant problema Gentilis in prima primi doctrina 4. & Hugo in eodem loco. Et plurimi sunt, qui affirment aceto aliquantulum diluto aqua, adeo emolliri ebur, ut possit tanquam massa subigi, & elaborari.

ET in praxi medica observamus, quod non solum acetum, sed etiam omnia accida comminuunt durissimos lapides in renibus generatos, in quem usum summimus accidum citri felici successu.

OB hasce, ergo omnes causas nocet dentibus acetum nam si ossa emollit, etiam dentes, quæ inter ossa recensentur emolliet, quod maxima est noxa, nam dentes debēt habere naturalem duritiem ad sua officia exercenda, nempè ad comminuendos cibos, quocirca si fuerint molliores quam par est, non habent commodam structuram, quam debent habere, ut partes organicæ. Quin etiam si aliqualem contraxerint mollitiem facilius putredinem, aut cariem concipient; nam si duri resistere non possunt defluxionibus salsis, quomodo resistent molles?

INTER ossa solus dens dolore corripitur, quamvis Haliabas asserat, quod dolor non est in ipso dente, sed in nervo, qui inseritur in dentem. Quam plures recentiores ad argumentum probans, dolorem non fieri à soluta continuitate, sed ab intemperie, quandoquidem dentes seccantur sine dolore, intemperies vero acerbissimos producit; hoc idem respondent: Verum responsio frivola; nam nervi solum sunt facti à natura ad delationem facultatis, & sensus; ergo si nervi inseruntur in dentes sensum deserunt ipsis dentibus.

DEINDE in hemodia, quæ sensatio est diminuta, sensus datur, quasi dentis prolongati, ex quo sequitur sensationem esse in dente, non in nervo. Tandem notandū, quod ait Aristoteles 22. particula problemate ultimo, quod ficus nocent dentibus, quia gingivæ fiūt viscosæ, & suo acu-

to

to calore illas facile corrumpunt; & accini dentes intermittuntur aquibus leduntur.

IAM quomodo se habeat fumus respectu oculorum oportet explicare. Et videtur, quod omnino fumus non sit oculis noxius, quia si nocet maximè acrimonia, & illacrimatione quam facit, sed in herba fumaria dicta, seu fumo terræ reperitur acrimonia, & illacrimationem facit, & tamen claritatem affert oculis, ut ait Dioscorides cap. proprio, & prodest illis, ergo idem dicendum de fumo.

HIS non obstantibus, fumus noxius est oculis, quia sua acrimonia illos exasperat, & inflammat. Communiter dicitur, quod tria pellunt ex domo hominem, ingratus aspectus mulieris, pluviæ de fluxus, qui dicitur gotera, & fumus. Pro rebus oculis noxijs, hi sunt versus.

Balnea, vina, venus, ventus piper, allia fumus,
Porri cum cæpis faba, lens flet usque sinapi,
Sol coitusque ignis, labor ictus acumina pulvis,
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

SIT primum corollarium. Septuaginta interpretes sic legunt. Sicut uva acerba dentibus noxia, & fumus oculis sit iniquitas his, qui utuntur ea. Et iuxta hanc lectionem clarior est sensus, nam uva acerba dẽtibus est noxia, quia stuporem inducit, nã ut diximus, sapores austeri, & acerbi stupefaciunt dẽtes: stupor autem, & torpor idem sunt; iniquitas autem reddit torpidos iniquos. Et quadrat cum alia lectione, nam piger habet proculdubio torporem.

SECVNDVM corollarium. Multifariam vertunt interpretes. Alij enim dicunt. Quod quemadmodum acetum dẽtibus stuporem affert, sic piger his; qui illum ad aliquid per agendum emisserunt dolorem affert. Et quemadmodum fumus ex igne evanescit fuga, sic piger non redit. Ait proverbium; *la ida del humo.* Sed minus consona est expositio medicinæ, quæ necessario videtur consulenda. Nam acetum dentibus stuporem non affert, unica enim cau-

causa stuporis est, ut inquit Galenus 1. de symptom. causis obstructio, aut impeditus transitus facultatis animalis: acetum vero non solum non obstruit, sed reserat, & deobstruit. Sapores acerbi, & austeri, quia habent partes terrestres, & crassas cum maiori adstrictione possunt transitum nervorum condensare, & stuporem adducere; verũ acetum, quod habet partes subtiles, & minorem adstrictionem non potest condensare, aut obstruere. Neque dolorem dentium generat, imò solvit si calidum colluatur, ut refert Dioscorides cap. proprio.


ALII ferè in eandem venium explicationem. Dicunt enim, quod sicuti aceto stupefiunt dentes, & sicut oculi fumo obtunduntur, & illacrimantur: sic qui aliquid ocyus scire desiderat, dum servus cunctatur, nec cibum summit, nec aliquid leti videt; sed stupor iam manet exclusus, & impugnatus. Et in summa omnes expositiones supponunt stuporem.

VLTIMVM corollarium. Ex dictis infertur, quod quemadmodum acetum multis de causis noxium est dẽtibus, & fumus oculis; ita piger his, qui misserunt eum. Nã acetum dissolvit robur dentium, tum refrigerando, tũ emolliendo, ita piger debilitat, eum, qui missit illum, quia frustrat eius confidentiam: & sicut fumus exasperat oculos, & irritat, ita piger exasperat mittẽtem, & irritat, quia breviter mandatum non exequitur. Libro Proverbiorum 25. dicitur, sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui missit eum. Igitur sicuti potio frigida in die messis utilis est, & recreat lassum, & ardentem; sic legatus utilis est mittenti, & recreat illum cum fidelis est. Contra piger noxius est, & inutilis ei, qui missit eum.

CA-

CAPVT XXXV.

C*Or gaudens exhilarat: faciē in mœrore animi deijcitur spiritus*. Proverbior. 15. *cap.*



SENTENTIA est Salomonis in Proverbijs, ubi significatur, quid in animi pathematibus contingat, ubi radicentur, ubi germinent. De gaudio & mœrore loquitur textus. Hinc etiā aliquid discimus in his, quæ ad physicā spectāt, ut retractentur, qui omnia quæ occurrunt in sacris libris ad naturā pertinentia, sic censent accipienda, quasi sanctissimus Dei spiritus, nihil ad naturam pertinens nobis voluerit interpretari. D. enim Hieroni. in Epist. ad Paulin. Presbyter. de omnibus divinæ historiæ lib. sic scribit, loquens de libro Proverbior. Salomon pacificus, & amabilis Domini mores corrigit, naturam docet. Gaudium collocare videtur in corde, & inde tanquam ex domicilio propagari ad faciem, & eā exhilarare. In mœrore ait animi deijcitur spiritus, hoc est prosternitur contra innatam inclinationem levitandi.

MVLTA possemus disputare circa textū. Sed non sunt omnia dicenda omni in loco. Sed in gratiam grandis periodi selecta solum, & grandia eligenda sunt in disputationem: maxima est illa controversia, quę versatur circa motum sanguinis, & spiritus in animi pathematibus á quo fiat quocirca eam assumemus: & aliquid dicemus de temperamento spirituum.

PASSIM observamus in animi passionibus varijs motibus agitari sanguinē, & spiritū, iā à centro ad circūferentiā, iā econtra à circumferentia ad centrū. In timore movetur á circumferētia ad cor; in gaudio á corde ad habitū corporis.

Et pro veritate notandũ omne, quod movetur, vel moveri à se, vel ab alio. Si à se, vel movetur ab aliqua virtute naturali, quæ est principiũ transmutandi, ut in gravibus, & levibus. Vel movetur ab alia virtute libera, & arbitraria, ut in motu arbitrario animaliũ. Si vero movetur ab alio necessario movetur per virtutem communicatã, ut in instrumentis separatis, & his, quæ per impulsum movẽtur contingit. Vno ergo ex his modis moventur spiritus, & sanguis, cum transmutentur in animi pathematis.

Deinde notandũ spiritus non moveri à se in passionibus animi, quia sunt entia naturalia non viuẽtia. Dixi in passionibus animi; quoniam quatenus ignei sunt, & leves sursum moventur naturaliter: motus vero in pathemate varius est, & non semper sursum.

In hac quæstione alij asserunt in animi pathematis motum istum fieri ab aliqua facultate, quæ movet animal ad prosequutionem, vel fugam obiecti; itaque asserunt motum istum sequi ad actionem appetitus sensitivi.

Sed obstat, quia actio appetitus est actio immanẽs; ergo neque ratione sui, neque ratione termini poterit in externam materiam producere actionem transeuntem. Ad hoc autem respondent appetitum habere duos actus unum immanentem, quo appetit bonum sibi conveniẽs, alterum vero transeuntem, quo movet corpus secundũ locum. Hanc tenet opinionem Caietanus 3. de anim. c. 6.

Sed probabilior est sententia asserentium appetitum esse potentiã imperativam motus; aliam tamen esse executivam motus, ut in musculis respectu motus voluntarij. Ratio est, quia imperiũ appetitus sensitivi cõmune est tã motibus voluntarijs, quam naturalibus; igitur cum appetitus sensitivus sit unus, & motus voluntarius, & naturalis differant, diversæ sunt potentiæ executivæ. Antecedens probatur, quia eo ipso, quo intellectus practicus in homine, & æstimativa in brutis proponũt alimẽtũ tanquã bonum

num animali statim appetitus sensitivus prosequẽs illud per imperiũ movet facultates naturales ad famẽ naturalẽ, & suctionem alimenti, & tractionem illius per motum naturalem. Deinde in motu voluntario, etiã per repræsentationẽ potẽtiæ superioris movet per imperiũ appetitus facultatem residẽtẽ in musculis. Igitur imperiũ appetitus cõmune est motibus voluntarijs, & naturalibus unũ existens. At motus naturalis, & animalis maximè diversificãtur; ergo actio appetitus non est motiva, sed imperativa.

SED interrogabis qua ratione appetitus moveat cęteras potentias. Respondetur, quod movet per subordinationẽ, nam ut inquit Hypp. confluxus unus, conspiratio una consentientia omnia. Itaq; operante appetitu aliæ potentiæ, quasi imperatæ suos actus eliciunt sine eo, quod voluntas, & appetitus concurrant ad actus potentiarũ, quæ illi subordinantur. Hanc sententiam tenent P. Suarez 1. to. metaph. disp. 18. sect. 8. Rubius 3. de anima q. 1. Petrus Garcia in fen. 1. Avicen. disp. 29. cap. 4. Matamoros 2. de febrib. disp. 7. tract. 1.

OSTENDITUR, nã ut fiat motus animalis solũ requiritur, ut appetitui proponatur obiectũ, ad quod prosequẽdũ animal moveatur per facultatẽ motus executivã sine eo, quod appetitus sensitivus efficienter concurrat ad talem motum, nisi solum imperando: Sed in passionibus animi obiectum proponitur appetitui prosequendũ, vel fugiendum; ergo pariter virtus motiva, seu executiva motus circa tale obiectum per se movebitur sine actione appetitus concomitante, nisi solum antecedente.

TUM à cerebro descendit facultas motiva, vel influxus quo constituitur in actum facultas ad operandum, sed appetitus sensitivus in plurium sententia residet in corde; ergo facultas executiva à cerebro descendit, & imperativa à corde; igitur distinguuntur.

SED adhuc dubitabis, quæ nam sit potentia immedia-

ET pro veritate notandũ omne, quod movetur, vel moveri à se, vel ab alio. Si à se, vel movetur ab aliqua virtute naturali, quæ est principiũ transmutandi, ut in gravibus, & levibus. Vel movetur ab alia virtute libera, & arbitraria, ut in motu arbitrario animaliũ. Si vero movetur ab alio necessario movetur per virtutem communicatã, ut in instrumentis separatis, & his, quæ per impulsum movẽtur contingit. Vno ergo ex his modis moventur spiritus, & sanguis, cum transmutentur in animi pathematis.

DEINDE notandũ spiritus non moveri à se in passionibus animi, quia sunt entia naturalia non vivẽtia. Dixi in passionibus animi; quoniam quatenus ignei sunt, & leves sursum moventur naturaliter; motus vero in pathemate varius est, & non semper sursum.

IN hac quæstione alij asserunt in animi pathematis motum istum fieri ab aliqua facultate, quæ movet animal ad prosequutionem, vel fugam obiecti; itaque asserunt motum istum sequi ad actionem appetitus sensitivi.

SED obstat; quia actio appetitus est actio immanẽs; ergo neque ratione sui, neque ratione termini poterit in externam materiam producere actionem transeuntem. Ad hoc autem respondent appetitum habere duos actus unum immanentem, quo appetit bonum sibi conveniẽs, alterum vero transeuntem, quo movet corpus secundũ locum. Hanc tenet opinionem Caietanus 3. de anim. c. 6.

SED probabilior est sententia asserentium appetitum esse potentiã imperativam motus; aliam tamen esse executivam motus, ut in musculis respectu motus voluntarij. Ratio est; quia imperiũ appetitus sensitivi cõmune est tã motibus voluntarijs, quam naturalibus; igitur cum appetitus sensitivus sit unus, & motus voluntarius, & naturalis differant, diversæ sunt potentiæ executivæ. Antecedens probatur, quia eo ipso, quo intellectus practicus in homine, & æstimativa in brutis proponũt alimẽtũ tanquã bonum

num animali statim appetitus sensitivus prosequēs illud per imperiū movet facultates naturales ad famē naturalē, & suctionem alimenti, & tractionem illius per motum naturalem. Deinde in motu voluntario etiā per repræsentationē potētiæ superioris movet per imperiū appetitus facultatem residētē in musculis. Igitur imperiū appetitus cōmune est motibus voluntarijs, & naturalibus unū existens. At motus naturalis, & animalis maximè diversificātur; ergo actio appetitus non est motiva, sed imperativa.

SED interrogabis qua ratione appetitus moveat cęteras potentias. Respondetur, quod movet per subordinationē, nam ut inquit Hypp. confluxus unus, conspiratio una consentientia omnia. Itaq; operante appetitu aliæ potentiæ, quasi imperatæ suos actus eliciunt sine eo, quod volūtas, & appetitus concurrant ad actus potentiarū, quæ illi subordinantur. Hanc sententiam tenent P. Suarez 1. to. metaph. disp. 18. sect. 8. Rubius 3. de anima q. 1. Petrus Garcia in fen. 1. Avicen. disp. 29. cap. 4. Matamoros 2. de febrib. disp. 7. tract. 1.

OSTENDITVR, nā ut fiat motus animalis solū requiritur, ut appetitui proponatur obiectū, ad quod prosequēdū animal moveatur per facultatē motus executivā sine eo, quod appetitus sensitivus efficienter concurrat ad talem motum, nisi solum imperando: Sed in passionibus animi obiectum proponitur appetitui prosequendū, vel fugiendum; ergo pariter virtus motiva, seu executiva motus circa tale obiectum per se movebitur sine actione appetitus concomitante, nisi solum antecedente.

TVM à cerebro descendit facultas motiva, vel influxus quo constituitur in actum facultas ad operandum, sed appetitus sensitivus in plurium sententia residet in corde; ergo facultas executiva à cerebro descendit, & imperativa à corde; igitur distinguuntur.

SED adhuc dubitabis, quænam sit potentia immedia-

ta quæ movet sanguinem, & spiritus in animi passionibus. Et omissa Averrois opinione, quæ asserit, hunc, & alios similes motus fieri à facultate quadam regitiva diversa ab alijs omnibus.

MARSIA lib. de febribus existimat hanc facultatem esse vitalem, quæ dilatatione, & compressione utitur ad attractionem, & expulsionem spirituum, & sanguinis Sed hæc sententia vera non est. Primò, quia motus, & agitatio spirituum, & sanguinis in passionibus animi varius est, & irregularis; in instanti diffunduntur spiritus, & sanguis ad exteriora, & aliquando vix habitum corporis occuparũt cum in instanti revocantur ad cor; aliquando vero maiorem morã faciunt. Sed dilatatio, & compressio pulsus maximè regularis est dumtaxat mensuratur cum exigentia causarum continentium. Ergo maximè distinguũtur motus pulsificus, & motus spirituum in pathematis.

SECVNDO probatur. Quam primũ representatur malum fugiendum in timore statim in eodem instãti movet facultas sanguinem, & spiritũ ad interiora cordis; sed potest in eo instanti incipere compressio cordis: igitur non movet spiritum, & sanguinẽ media facultate pulsifica. Maior propositio verissima est, & experimento confirmata, quia eodem instanti quo malum apprehẽditur fit fuga, & retrahitur spiritus. Minor etiam est certa: quid enim obest, quod concurrat principium compressionis cum eo instanti revocationis spirituum? potest enim obiectum timẽdum sine dubio representari post quietem externam, quãdo incipit compressio. Consequentia etiam est certa quoniam media compressione non attrahit cor sanguinem, & spiritum, sed potius expellit ad exteriora.

TERTIO, quia verbi gr. in ira varius est motus, & agitatio sanguinis, & spiritus foris intro, & intus foras, iam enim retrocedunt ad cor, ubi fervent; iam in appetitu vindictæ, quatenus est bonum, quod prosequitur ap-

pe-

petitus sparguntur ad exteriora. Sed semper in ira datur pulsus altus sine variatione; igitur pulsus non sequitur agitationem, nec eam causat. Confirmatur, quia in gaudio semper spargitur spiritus ad exteriora. Sed non semper expellit illum media compressione, quia etiam dilatationem exercet, ego non efficit tales transmutationes locales cor media facultate pulsifica, quæ semper uniformis est, & regularis in suis motibus, & non mutatur, nisi intercedat mutatio alicuius causæ continentis, quas non immutant statim passiones animi.

PRÆTER id quod falsum est facultatem dilatativam, & compressivam cordis esse atractricem, & expultricem. Primò, quia non attrahit arteria aërem, sed fuga vacui succedit. Secundò, quia omne trahens trahit per impulsum impressum trahendo, sed hoc non verificatur in aëre, qui subingreditur in arteriam; ergo non trahitur. Maior est nota; minor probatur; quia id quod vacui fuga succedit à nullo recipit impulsum, sed suopte impetu currit ad supplendum vacuum nam aqua quæ ascendit per fistulam, v gr. exufflato aëre non recipit impulsum, sed cōtra propriā naturam ascendit ad vitandum vacuum, legem universi complens. Et hoc, quod in exēplo monstratur patet in omni casu in quo vitatur vacuum.

PROBATVR secundò, quia arteria prius dilatatur à facultate quā ingrediatur aër, ergo facultas dilatativa non est tractiva: antecedens probatur, quia arteriæ ideo implētur, quia dilatantur, non econtra ideo dilatantur, quia implentur. Verbum, quia, est dictio causalis, denotatque dilatationē causare repletionē; quocirca tanquam causa debet prius intelligi dilatatio quam repletio ab aëre. Igitur præcisè facultas dilatativa nō est tractiva. Aliter se res habet in utriculis, qui dilatantur, quia implentur, ita, ut causalitas dilatationis sit repletio.

VERVM est tamen, quod postquam arteriā ingreditur

aër lege vacui attrahitur ad interiora à facultate attractrice arteriarum; nam, & in arterijs, & in corde talis facultas reperitur habent, enim omnia genera febrarum, & medijs febris rectis attrahunt.

OBIICIT Maroja Hyppocratem, lib. de ossium natura in fine, sed tamen non favet suæ opinioni: ita enim scribit; colorum quoque mutationes corde adstringente venas, ac laxante fiunt: laxante quidem igitur rubicundi colores fiunt, & benè colorati, ac pellucidi, constringente vero virides cum pallore, & lividi. Hactenus Hyppocrates, qui non meminit pulsificæ facultatis.

RECTIVS sentit Matamoros 2. de febribus tractat. 1. disp. 7. qui asserit, quod cor movet spiritus ad intra, vel ad extra propria facultate naturali tractricè, & expultricè, quibus solet uti ad id præstandum, in alijs quibusvis occasionibus non secus, ac reliquæ omnes partes nostri corporis habent virtutem trahendi proficuum, & expellendi nocivum.

PROBAT à simili, nam eo modo revocatur sanguis, & spiritus in animi passionibus, quo in vigilia, & somno, sed in vigilia, & somno retrahuntur à facultate cerebri tractricé, & sparguntur ab expultricè, ut bené probat P. Garcia lib. de lo. aff. disp. 4. cap. 5. ergo, & in pathematis. Habet ergo cor citra motum constrictionis, & dilatationis pellentem, & trahentem virtutem, qua hoc trahit illud vero pellit, prout expedit non aliter quam aliæ nostri corporis partes.

SED dubitat meritò Matamoros, num virtus hæc naturalis residens in corde habeat spheram activitatis per universum corpus protractam, ita, ut sanguinem, & spiritus à corde ad extrema pellat, & ab his ad illud trudat. Quæ difficultas maxima est, & nisi benè expendatur corruunt dicta.

IPSE problematicè asserit, quod scilicet cor pellat sangui-

guinem, usque ad extrema, ut in verecundia; & ab illis revocet, ut timore. Et quod etiam possit defendi cor non trahere ex tam longinquis; sed trahere ex proximis, & succedere spiritus ex extimis ad replendum vacuum. Et similiter pellere, usque ad certam distantiam proximam, spiritus tamen & sanguinem à corde pulsos, usque ad illam distantiam, impetu delationis movere spiritus & sanguinem contiguos ratione physica generali, ne scilicet fiat corporum penetratio.

Hæc tamen omnia improbabilia apparent. Etenim cor, non potest expellere, usque ad distantissimas, & extimas partes, non enim indigeret arterijs peculiari tractricè, & expultricè præditis, si ipse trahere, & pellere ab extimis, & ad extimas posset. Minus constare potest secundum nimirum pellere, usque ad certam distantiam proximam, spiritus tamen, & sanguinem pulsos usque ad illã distantiam impetu delationis movere contiguos, ne fiat corporum penetratio. Nam si spiritus impulsu demandato à corde possent impellere cõtiguos melius illi possent pervenire, usque ad extimas.

Vt hanc difficultatem dissolvamus repetere, opportet ea, quæ á nobis dicuntur super cap. 6. Tobiæ, ibi enim diffusé agimus de sede, & órgano appetitus sensitivi, super vacaneum enim foret, eadem bis repetere. Ibi ostendimus appetitum sensitivum reperiri in singulis partibus nostri corporis tam internis, quam externis. Quæcunq; enim pars minima sentit id, quod sibi molestum est excrementum, & conatur expellere illud, atque refugit, & appetit cibum per famem naturalem, quæ appetitus est, & hæc est sententia Aristotelis 2. de anima tex. 20. & 27. quo loco ait; ubi est tactus ibi dolor, & lætitia, ubi autem hæc ibi appetitus: atque cũ nulla pars sit orbata sensu tactus, neque appetitu destituitur.

Cum ergo omnes partes habeant appetitum, qui resi-

det in cord: movet facultates cordis expultricē, verb. gra in gaudio, quæ spargit sanguinem, & spiritum quantū potest; deinde, qui residet in alijs partibus, etiā movet illarū expultricē, & hac successione pervenit, usq; ad cutim. Pariter in timore, v. g. appetitus residens in partibus circa cutim movet tractricem, & trahit sanguinem, & spiritum, & qui in intimioribus residet idem efficit, & hac successione pervenit, usque dum cor attingit suavi tractrice.

DICES si appetitus non solū residet in corde, sed in singulis partibus: cur in passionibus animi movetur ad cor potius quā ad alias partes. Respondetur, quod retrahitur ad interiora, ubi cū fuerit in sphera facultatū cordis, trahitur spiritus ad cor potius quam ad alias partes ob familiaritatem maiorem. Et quod retrahatur ad interiora primū patet, nam Aristoteles 4. de partibus animal. cap. 5. & 27. particula problem. asserit calorem, & humores ad interiora partium inferiorum retrahi, & ob hanc causam mingit qui timore corripitur. Et Arnald. de Villanova, loquendo de accidentibus animi ait, quod in timore retrahitur ad intestina, & ob hanc causam timidus alvo deijcit, ut patet experientia.

IN altera parte textus legimus, in mærore animi deijcitur spiritus. Hic de spiritu, qui agitatur in animi passionibus loquitur textus, ut ostendemus in corollarijs. Pro explicatione selectiorem disputationem, ut de more habemus assumimus reliquas omittentes, quatenus hæc magis conducit ad explicationem textus: utrum spiritus vitales sint corde calidiores.

FERE omnes recentiores tenent partem affirmativam Gentilis de Fulgineo fen. 1. lib. doct. 3. cap. 2. Iacobus Forliviensis quæst. 20. Averroes 2. collect. cap. 2. Veiga lib. artis medicinalis cap. 28. Peramatus de temper. cap. 6. P. Garcia fen 1. lib. 2. disput. 12. cap. 1. Sanctacruz in Avicen. opuscul. de temperament. cap. 20. Maroja lib. de fe-

febri. q. 2. qui omnes probant spiritus vitales naturaliter & absolutè esse corde calidiores.

RESPONDEMUS quæstioni quibusdam conclusionibus. Prima est. Aliquando potest esse spiritus calidior corde. Probatur supponendo hypotesim, quæ negari nō potest. Sit cor frigidius quā par est, ut de facto potest esse, ut probat Gale. in arte medicinali, & hepar calidius in iuvene comedente alimenta calidiora, ut mel. Quid potest negari in hypotesi? In hoc casu proculdubiò cor generabit spiritus calidiores se, quia cū hepar sit calidius generabit sanguinem calidiorem, & ex esu alimentorum calidiorū, multò magis calidum, & cum spiritus generentur ex sanguine, & parte illius tenuiori necessarium est, ut generentur calidiores corde, quia cor supponitur frigidius. Cōfirmatur, quia in ebrijs actiones sunt ferociores, quæ arguunt caliditatem spirituum vitalium. Ergo ex materia calidiori calidiores generantur spiritus, quo tempore potest esse generans cor frigidius. Idem observatur in phreniticis, qui ob caliditatem magnam spirituum magis ferinas habent actiones.

DEINDE, quia pars aliqua in alimento medicamentoso calido potest non actuari benè in ventriculo, neq; in hepate, & ultimate in corde actuari potest, & reduci de potētia in actū, quæ si fuerit calidissima, ex ea non possunt generari in corde spiritus frigidiores, sed calidissimi. Cōfirmatur, quia hepar magnam copiam generat bilis si assumantur alimenta calidiora in iuvētute, ut mel; & quid obstat, quod talis bilis sit calidior ipso hepate generante? ergo eodem modo potest contingere in corde, quod spiritus pro caliditate materiæ calidiores generentur, etiam ipso corde.

SECUNDA conclusio. Regulariter loquendo, nisi in his casibus quantum ex parte cordis, non generat spiritus calidiores se. Hanc conclusionem tenent Vega Merca-

tus.

tus. Probatur conclusio primò. Spiritus vitales producuntur à corde tanquam à causa æquivoca, ego debet esse præstantior suo effectu, nam si non habet tantum calorem quantum spiritus vitales non poterit illis impertiri, nemo enim dat, quod non habet.

SECVNDO, propter quod unumquodque est tale, & illud magis, sed spiritus sunt calidi propter calorem cordis, ergo ipsum cor erit ipsis spiritibus calidius. Maior est axioma commune philosophorum.

TERTIO, qui dat formam dat consequentia ad formã, sed cor dat spiritibus vitalibus formam; ergo dat illis calorem consequutum ad illam, ac perconsequens est illis calidius.

COMMVNIS responsio ad ferè omnia, hæc argumenta est; quod à forma emanat intensior ille calor spirituum, quia debetur talis formæ meritò, & tandem emanabit; & idem dicunt contingere, quando tertium elementum generatur, à duobus dysimbolis, quæ non habent alterã qualitatem, ita intensam. Ex igne enim, & aqua potest fieri aër, sed illa humiditas summa aëris à nullo potest dari, nisi á forma ipsius aëris; præcedentem vero humiditatem dedit aqua: ita, & cor.

SED certè, qui ita respondent ad sacram anchoram cõfugiunt. Et ridiculum videtur, quod à forma, quæ generatur generetur forma, seu perfectio illius, quod esset effectus fieri sine causa. Vel enim intensior ille calor emanat à forma spiritus, postquam iam est generatus, & perfectus; vel ante generationem illius. Si dicas primum; ergo fuit impefectè generatus, quandoquidem non habebat eã perfectionem caloris quam exigebat natura spiritus; & saltem fuit generatus in statu violento, quod maximè dedecet naturam quam calumniamus Si dicas secundum ergo producitur effectus sine causa. Vtroque modo calumniatur natura; primò, quia res imperfectæ generatur á

suis

ctis causis, nam qui dat formam dat consequentia ad formam: Secundò, quia effectus generarentur sine causis, & qui dispositionem antecedentem produceret generaret sine eo, quod ultimam introduceret.

POSTQVAM creata est aqua, verbi gratia. Si detur aliquod agens extrinsecum corrumpens aliquos gradus frigiditatis aquæ, ut contingit quando calfit ab igne, si se moveatur ignis, á forma aquæ emanant gradus frigiditatis deficientes, & meritò, quia aqua fuit creata cum illa perfectione accidentali frigidatis, ad quam, eo ipso habebat ius. Verum, quod quando ex igne, & aqua generatur aër, illa humiditas summa aëris emanet à forma aëris adhuc introducenda, ut ait Sanctacruz, dissonat bonæ philosophiæ: quia ultima dispositio ad introductionem formę aëris est summa humiditas sine qua, nec poterat introduci, nec ab ipsa adhuc non introducta procedere.

VLTIMO probatur conclusio. Quia si spiritus essent corde calidiores brevi tempore febricitaret cor febri hectica, hoc non est dicendum; ergo, &c. Maior probatur. Ponamus, quod uno gradu excedat caliditate spiritus. Tũ sic ergo introducunt spiritus talem gradum in corde, nullum enim est impedimentum, ergo iam cor, quod ponamus fuisse calidum in tertio gradu est iam calidũ in quarto. Procedamus ulterius: Cor calidum in quartò proculdubio generabit calidiores spiritus quam antea generabat, aut si mavis ne pugnemus calidos, ut quatuor. A forma spirituum manat quintus gradus statim, ac emanatus fuerit potest introduci in corde, iam est calidum in quinto gradu. Producit spiritus calidos, ut quinque: à forma spirituum emanat sextus gradus. Et sic de reliquis. Hoc modo excandescet breviter cor. Nihil enim est, quod nõ possit probari in hypothesi si forsam negetur.

ARGVMENTA vero, quæ cogunt hos auctores ad suam sententiam amplectendam non urgent multum. Primò di-

dicunt, quod cor calfit ab spiritibus manifestè, nisi enim foveretur ab illis in calore refrigeraretur, & ineptum maneret ad munera vitæ, imò, & ad generandos ipsos spiritus. Non solum autem cor, sed omnes partes defectu spirituum refrigerantur, etiam si á sanguine arteriali illustrentur.

RESPONDETUR ex toto argumento, non inferri spiritus calidiores esse corde, sed solum calidos esse. Quid ergo à remissiori calore calfit cor? remissum non agit in intensius cum victoria, neque simile in simile. Notandum pro solutione, quod spiritus habent magnum calorem illumque halituosum, benignum, vaporosum. Calfaciunt autem cor etiam si non sit intensior multifariam. Primò pugnando contra contraria, & inclementias externas prohibent nanque quo minus cor refrigeretur à frigore externo. Maximum foret inconveniens, quod cor lederetur ab iniurijs externis, quia pars est vivens. Spiritus circumdantes cor pugnantes contra illas etiam si dissipentur non sunt partes viventes, & possunt regenerari. Secundo modo calfaciunt cor tanquam tegumentum, undiquaque enim ambiunt cor: & quemadmodum vestis, etiam si minus sit calida quam nos dicitur calfacere nostrum corpus, ita spiritus. Calfaciunt etiam cor suo calore halituoso, & vaporoso, nam suo corpulento calore vaporoso impediunt penetrationem ambientis, & calfaciunt partes circũ circa viscus. Nã calor halituosus magis penetrat, & maior apparet. Ob id in hecticis calor à cibo maior apparet, quia est magis halituosus ab alimento; nulla enim est alia causa ob quam magis vigeat calor in hectico post cibum. Sit, verb. grat. lamina ferrea ignita fere tanges illam, & non calfiet manus; si autem irroretur aqua eminus, & ad istantiori loco calfiet manus. Quæ est causa? quod calor vaporosus magis calfacit quam squalidus laminæ. Per flãmam ignis per transit manus frigida sine eo, quod vratur,

imo

imo aliquando vix calfit, & per aquam serventem non pertrāsibit manus absque eo, quod comburatur. Hæ sunt causæ ob quas spiritus calfaciunt cor etiam si non sint calidiores & mentiuntur maiorem calorem gradualem quā habent de facto.

SIT primum corollarium. Cor gaudens exhilarat faciē, quia sanguis, & spiritus expellitur à corde eo modo, quo diximus ad extimas partes, & præsertim ad faciem, nam, ut diximus super tertium caput 2. Machabæorum, facies est platea, ubi representantur corporis tragediæ, & comediæ; & cap. 3. huius operis diximus, quod in risu movetur sanguis, & spiritus à corde ad musculos buccarum, & cum gaudium facile coniungatur cum risu idem contingit. Sed quomodo exhilarat faciem cor gaudens si aliquando tristatur facies, quādo adest fletus præ gaudio, ut Tob. 11. seniores flere ceperunt præ gaudio? Certè lacrymæ cōmunes solent esse gaudio, & tristitiæ, diverso tamen modo funduntur in gaudio, & tristitia. In gaudio distillant oculis dilatatis, quia spiritus, & sanguis illas pellūt quatenus spiritus moventur ad exteriora. In mæstitia vero exprimuntur cum quadam contractione oculorum, quia spiritus retrocedunt ad cor.


SECVNDVM corollariū. In mærore animi deijcitur spiritus. Hæc secūda pars est cōtra positio primæ partis versus. Nā cor gaudens exhilarat faciē; tū quia in facie repræsentantur affectus animi, ut dictū est, quoniam gaudium solet cōiungi cū risu in quo à corde movetur spiritus, & sanguis ad musculos buccarum, ubi organū residet risus: tum etiam, quia sanguis, & spiritus habent tenuitatem, atque ita feruntur in superiora ad faciem levitate nativa. Ob eandem propensionē contingit, quod in peripneumonia, & inflāmatione pulmonorum rubore suffundantur maxilæ, & talis harum partium color est signum huius affectus. Igitur si cor gaudens exhilarat faciem, quia feruntur

tur

tur spiritus, & sanguis ad extimas, & superiores partes: in mærore animi, seu cõtrario affectu deijcitur spiritus hoc est deorsum fertur; idem est deijcere, ac deorsum iacere. Mæror est vehemens tristitia, & maior quam dolor, ut ait Cicero Att. 12. mœrorem minui dolorem nõ potui. Et Deuter. 28. inter summas illas maledictiones transgressorum legis habet sacra pagina, hæc verba. Dabit enim tibi Dominus, ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptã mœrore. Igitur in mœrore deijcitur spiritus, seu gravitat contra inclinationem; nam in magna tristitia spiritus generati ex sanguine melancolico, & crasso sunt magis ponderosi. Et hoc est, quod tristitiam auget, nam spiritus huiusmodi caliginosi, & crassi impediũt quo minus se convertat cogitatio ad alia obiecta iucundiora, quæ tristitiam possint sublevare: ideo solemus dicere tristes Hispano sermone *No se me levanta el espiritu para cosa*. Hoc est omnino deijcitur spiritus.

CAPVT XXXVI.

QVi autem fortiter premit ubera ad eliciẽdum lac exprimit butyrum, & qui vehementer emungit elicit sanguinem, & qui provocat iras producit discordias. Proverb. *cap. 30.*


HAnc Sententiam diversimode legunt interpretet. Beda, Hugo, Lyra, ita: Qui fortiter exprimit ubera elicit butyrum; & qui vehemẽtius comprimit prolicit sanguinem. Huiusmodi lectio consonat bonæ philosophiæ, & experiẽtiæ. Nam si mulierem lactantem, extenuatam tamen, & in convalescentia cogas elicere lac cum vehementi uberũ

com-

compressione tandem tandem, postquam extraxeris lac, & butyrum elicies sanguinem. Et non mirum, quia lac fit immediatè ex sanguine concocto, & elaborato in mamis, qui ex forti uberum compressione, & repetita, sufficienter non detinetur, ut possit concoqui, & transmutari, atque ita purus elicitur. Hoc idem contingit in immoderata venere. Etenim plures visi sunt, qui ex multo, & repetito coitu sanguinem profuderunt exhausto iam semine in vasis generato, nam quemadmodum lac ita semen ex sanguine immediatè generatur.

SED insignis elegantissimaque est controversia quomodo ex sanguine possit generari lac. Nam si generatur maximè per veram coctionem, sed hæc non datur, ergo &c. Maior admittitur ab omnibus. Minor probatur. Nã resque cõcoquitur redditur calidior; sed lac frigidius est sanguine ex quo generatur. Maiorem docet Aristo. 4. meteororum cap. 2. dicens; Necesse est cocta crassiora, & calidiora esse: & lib. de generat. animal. cap. 6. & 2. eiusdem operis cap. 1. & sect. 3 1. problematum quæst. 24 idem docet Galenus 4. symp. cap. 9.

IGITVR in hac controversia; utrùm quæ concoquuntur reddantur calidiora argumentum de lacte est primum, & præcipuum.

SECVNDVM est, nam spiritus animalis fit ex vitali media coctione in cerebro generata, quod nullus negabit. Sed spiritus animalis frigidior est vitali; ergo cocta nõ redduntur semper calidiora. Maior propositio manifesta est: minor etiam est certa, nam Avicena sic disponit calida, quæ reperiuntur in nostro corpore. Primò loco, possuit spiritum cordis, secundo loco cor; tertio sanguinẽ, quarto hepar.

TERTIVM quia medulla fit concoctione ex sanguine, sed medulla ossium est frigidior ipso sanguine, nam proportionatum fit alimentũ ossis, quod frigidũ est, ergo nõ ex coctione maior caliditas. QVAR-

QVARTVM, quia ex Aristotele coctio fit à calore nativo rei, quæ concoquitur, sed ex philosophia constat calorem non posse proprium subiectum calfacere; ergo neque id, quod coquitur redditur calidior.

QVINTVM sumitur magnum argumentum ex pluribus fructibus, qui amari sunt tempore cruditatis, coctione tamen dulcescunt; sed amaritudo arguit intensiorem calorem quam dulcedo, ergo non semper coctio producit intensiorem calorem.

SEXTVM; quæ concoquuntur redduntur calidiora maximè, quia coctio fit á calore tanquam à causa efficienti, sed hoc est falsum, ergo, & illud. Minorem probo, quia si alimentum, quod trahitur à parte ad sui nutritionem est calidius illa, tunc necesse est coqui à frigore, cum ad suscipiendum calorem, non sit in potentia. Confirmatur, nã ossa frigidiora sunt medulla, at medulla est nutrimentum ossis.

RESPONDENT recentiores, tunc temporis frigore, & alijs qualitatibus alterari donec reducatur, ad id temperamentum, quod accõmodatum est ad productionẽ termini coctionis hunc tamen produci à calore, qui in alimento præsupponitur cum enim alimentum habeat hanc qualitatem symbolam non est necessaria nova. Sed bené videtur quam frivola sit huiusmodi responsio, quia fatentur id, quod negaverant, nempè coctionem non fieri à solo calore. Deinde, quoniam aliud, & aliud est totum temperamentum disponere, & concoquere, & aliud frigore alterari alimentum. In toto temperamento certum est, quod adest frigus, cum sit una ex quatuor qualitatibus, veruntamen hoc non agit ad præsentiam agentis potentioris, qualis est calor, qui coctionem efficit; nam cum vivẽs vivat à prædominio caloris, & vivente homine nondetur actualis frigiditas cum undique regnet calor, hic est; qui actiones efficit quamvis frigore temperatus. Igitur si calor

lor viget, non apparet á quo alimentum calidius refrigeretur, debet autem refrigerari, siquidem totus sanguis calidior osse toto; disponitur, ut induat naturam ossis frigidi, & hæc dispositio est per coctionem; ergo sanguis ex vi coctionis ossificæ potius redditur frigidior quã calidior.

VERUM enimvero sententia Aristotel. 4. metheor. ut iacet est ampletenda. Res omnes coctione crassescere, & calidiores fieri Galenus etiam dicto loco 4. simpli. cap. 9. ex hoc fundamento probat fructus per maturationẽ dulcescere dulcedinemque in calore consistere. Et hæc est sententia communis inter Philosophos, & Medicos. Suadet definitio Aristotelis: est enim perfectio à calore ex oppossitis patibilibus: itaque in coctione calor superstat oppossita patibilia ex quo vegetior evadit, absumpta humiditate exsuperante, quæ illum, vel suffocare, vel hebetare potuerat. Deinde perfectio illa concoctionis, calorem intensiorem cõnotat necessario, imperfectio enim quam importat cruditas est defectus caloris, qui frigiditatem dicit.

PRÆTEREA contrariorum eadẽ est ratio; putredo definitur est interitus caloris nativi in uno quoque humido ex quo interitu necessario subsequitur frigiditas, quia quantum detrahitur de una qualitate reponitur de contraria, ut ex utraque tota latitudo maneat completa, igitur putrefactio consistit in frigiditate, & consequenter concoctio, quæ illi est contraria consistit in calore, & proinde, quæ concoquuntur, non possunt non reddi calidiora.

VERBA Aristotel. 2. de part. animal. cap. 3. hæc sunt, sed cum omne, quod augetur capiat alimentũ necesse sit alimentum autem omnibus ex humido, & sicco suppeditetur, quorum concoctio, & mutatio non, nisi per caloris vim agitur. Et lib. 3. de generatione animalium cap. 2.

perficitur autem in ovo celerius animal diebus tepidis te pore enim iuvatur, nam concoctio est calor quidam.

SED in quo magis elucescit veritas, & consumitur doctrina est in solutione argumentorum. Vallesius 1. cōtroversiar. cap. 10. docet, quod quando ex sanguine generatur lac, aut ex ipso medulla, hæc actio nō tā fit temperamēto quā substātiæ modo partis; idē dicit de pinguedine quando ex sanguine generatur per verā nutritionē. Vnde non est mirum hæc omnia frigidiora progigni siquidē neq; calore, neque temperamento actio fit. Hæc respōsio vera nō est, quia modus substantiæ, aut est secunda qualitas in aliquorū sententia, quæ nullū producit effectū realē; aut saltem modus substantiæ nō potest efficere coctionē; nunquā enim deficit modus substantiæ in mixto, aut homine, & tamē aliquando datur concoctio deficiens, aut abolitā, ut patet. Secundò, nam transmutatio illa, sive fiat à temperamento, sive à calore est vera concoctio in omnium sententia; ergo cum evadat lac frigidius per illam transmutationem coctio non fiet à calore. Tertio, quia inexplicata relinquit ea, quæ ex Aristotele adducebantur ad probandum res coctione reddi calidiores.

ALTERAM affert solutionē Vallesf. in fine libelli de alimento. Asserit enim, quod quando dicit Aristotel. coctione rē fieri calidiorē, debet intelligi de re, quæ tantum coquitur vera conctione non vero si habeat adiunctam aliā actionem. Cum autem lac, & medulla fiant in nostro corpore per elixationem quandam, nihil mirū, si nōnulla reddantur frigidiora. Hæc responsio displicet multis de titulis. Primò, quia generatio lactis nō est elixatio, quæ ab eisdem auctoribus censetur imperfecta concoctio, seu analogia, sic dicta. Nam elixatio ex Aristotele est coctio in humido; at vero sanguis, qui concoquitur in mamis non coquitur in alio humido, sed totus sanguis mutatur in lac. Secundò, quia elixatio ex Aristotele, etiā fit á calore, non

est

est ergo cur media ipsa res, quæ cõcoquitur reddatur frigidior, nõ enim ratione efficientis, neq; liquoris, in quo elixatur, hic enim quãvis sit natura frigidus, qualis est aqua tamẽ calfit ab externo calfaciente, dum elixatio celebratur. Tertiò, quia ex illa sententia sequeretur universaliter omnia, quæ de novo fiunt in nostro corpore per trãsmutationem frigidiora reddi, nulla enim est maior ratio unius quam alterius; consequens autẽ omnino falsum est, nã quando ex chylo generatur sanguis calidior redditur chylo. Tandem semper concoctio precedit aliam actionẽ, seu generationẽ, atque ita hoc modo semper coctio habet adiunctam aliã actionem; nam ad generationem chyli semper præcedit coctio cibi tanquam dispositio; ad generationem sanguinis præcedit coctio chyli ab hepate facta. ad generationem partis præcedit tertia illa cõcoctio, quæ celebratur in eisdem partibus, penes quam sanguis ultimo disponitur, ad hoc ut induat naturam partis. Et in externis, etiam ad generationem vegetabilium, ut pomi in arbore semper præcedit coctio, quæ fit in arbore; & in omnibus his casibus res per coctionem evadit calidior.

ALII recentiores inter quos Matamoros lib. de febrib. lib. 4. tractatu 1. disput. 10. respondent ad argumentum communem opinionem, ita esse intelligendam, ut quãdo dixere Aristoteles, & Galenus, quæ concoquuntur reddi calidiora intelligantur de his, quæ coquuntur perseverante simili substantia, ut contingit in maturatione fructus; at vero si formæ transmutatio fiat, benè potest acquiri forma, quæ petat temperamentum frigidũ, ut patet exẽplis positis in argumento. Nec inconvenit in hac transmutatione subiectũ disponi coctione, nam potest calore excedenti, aliquid saltem partialiter disponi, & id quod producitur frigidius secundum se evadere, ut dicitur de transmutatione vini in acetum; & ita quamvis ex sanguine generetur lac per coctionem potest lac reddi frigi-

dius. Quo fundamento utitur Garcia fen. 1. 1. disputat. 25. cap. 3. ad probandum pituitam temperamento frigidam per coctionem posse á calore factam produci, & disputat. 40. sequent. cap. 4. f. 1211. eadem doctrina utitur ad probandum per nutritionem, & coctionem calore factam produci membra frigida nostri corporis.

SED hæc responsio falsa est multiplici de capite. Nam etiam si diversa substantia generetur, disponitur usque ad introductionem formæ per coctioné, ergo debet evadere calidior; nam dispositiones, quæ antecedunt subsequuntur, quando non datur causa illas corrumpens: sic ex sanguine calidiori generatur pulmo calidior, & calidius hepar, ex frigidiori cerebrum frigidius, & membranæ etiam frigidiores. Cum vero coctio agatur calore non apparet causa illum corrumpens, & introducens frigiditatem. Calor, & aliæ dispositiones embrionis, non corrumpuntur etiam si non perseveret eadem forma, & introducatur forma hominis; ergo falsum est, quod quæ coquuntur solum reddantur calidiora perseverante simili substantia. Confirmatur, quia etiam in statu febrium putridarum quando humor sordida putrefactione putrescit, in qua omnino corrumpitur forma substantialis humoris, datur ex tali putredine calor, ingens, qui iam erat ante corrumptionem; igitur non ex eo, quod non perseveret similis substantia introducitur frigiditas; unaquæque enim qualitas, sive calor, sive frigus cum sint effectus possitivi requirunt necessario causam possitivam; stante vero coctione, quæ agitur calore non apparet causa corrumpens calorem, & introducens frigiditatem in lacte.

DEINDE falsum est, quod in maturatione fructuū semper perseveret similis substantia? nam semen quando trāsit in fructum media coctione fit transmutatio, tunc autem

tem non perseverat similis substantia, quia semen, & fructus differunt substantialiter. Quamvis verum sit, quod postea media coctione perficiatur fructus sine nova trãsmutatione. Neque refugium, quod afferunt de aceto tutum est. Nam omnia, quæ putrescũt calore extraneo redduntur calidiora, & putredo inter causas caloris ponitur à Galeno, atq; cum acetum fiat per putredinem ex vino, in ipsa etiam putrefactione, maior datur calor in vino extraneus. Cæterum exhalat statim, quia vinum est vaporosum, ut omnia etiam, quæ putrescunt frigescunt tãdem, quædam citius, quædam tardius, prout magis, vel minus exhalabilem habent naturam. Palea, verbi gratia dum recens putrida est calet insigniter, postea vero fere convertitur in terram, & frigescit. Mulus recẽs mortuus suscitat refrigeratos, qui se in ventrem immittunt, tandem vero frigescit. Idem accidit vino, quod resoluto calore in putredine breviter frigescit acetũ. Hæc est causa ob quam magis noxium est vinum, quod actu putrescit, quod Hispanicè dicimus, *tiene una punta de agrio*, quam acetum iam putrefactum, ob calorem illum nimirum inæqualem.

SOLVTIO argumenti hunc habet defectum, quod respondeat cum conclusione. Dicit enim, quod si formæ transmutatio fiat benè potest acquiri forma, quæ petas temperamentum frigidum, ut patet in exemplis possitit in argumento. Et hoc in Logica receptum non est.

PETRI Garciæ doctrina nõ est ad rẽ, nec benè deducit: nam pituita per coctionem à calore factam producitur tẽperamento frigida ob æterogeneitatem materiæ, cuius una pars apta est ad talem humorem, alia ad bilem; & quia iecur causa est æquivoca humorum. Cæterum totũ lac frigidum est, & non est effectus æquivocus suæ causæ, nam glandosa corpora mamarum, assimilant sibi lac in colore, & qualitatibus primis, & in modo substantiæ

Horatius Augenius 2. tomo Episto. honestissimè effugit difficultatis vim, & non multum discrepat á supradictis Doctoribus. Inquit enim concoctum calidius reddi non concocto, intelligendum tamen esse imprimis de una, & eadem re cruda in comparatione ad seipsam coctam; nō autem de mutatione unius rei in aliam, quæ mutatio ad substantiam pertinet; & cum gignitur ex sanguine lac, generatio lactis est: concoctio vero quando lac imperfectū existens perficitur in illis. Sic non dicitur concoctio, quādo chylus mutat naturam in sanguinem, sed generatio sanguinis.

SED præter id, quod absurda hæc opinio, ut in his ultimis verbis; in primis se contradicit: nam quilibet sanguis quum primum mammas ingreditur, & commutari incipit crudum est lac; ergo si concoctum reddi calidius intelligendum est, de una, & eadem re cruda in comparatione ad seipsam coctam, lac illud crudum, cum perfectè cōcoctum fuerit, evadet calidius seipso crudo; id autem est, quod controvertitur, quia falsum apparet; igitur nihil respondet veri. Lac aquosum crudum frigidum, ut ille inquit; concoctum vero, & consistens calidum. Sed qua ratione lac crudum sit frigidius sanguine ex quo fuit genitum, cum aliqualis præcedat coctio; lac vero coctum, & consistens quamvis frigidius, etiam sit sanguine illo, ex quo fuit generatum? Hoc opus hic labor est.

PRO declaratione nostræ sententiæ est advertendum, lactis generationem præcedere veram coctionem, quamvis aliquibus hæc imperfecta censeatur, nam albedo, & levitas perfectam coctionem ostendunt, sicuti dulcedo; nam hæc soboles est concoctionis, omnes enim fructus, quo magis coquuntur dulciores evadūt, aut exquisita, aut spuria dulcedine.

HIS suppositis in lactis elaboratione, seu præparatione ad coctionem, fit expurgatio, seu separatio bilis à reli-

quis

quis humoribus opera corporum, glandosorum, fellantium, & suggentium humorem biliosum: atque ita reliqua massa trium humorum, quæ superest, subiectum est immediatum coctionis, quod per illam calidius evadit.

HÆC conclusio, quoniam paradoxa optimè debet fulciri. Et quod segregetur bilis; aliqua suadent. Si enim maneret cum reliquis humoribus nullatenus posset lac resultare dulce, nam tota massa sanguinaria amaricat ex mistione bilis; ut si lacti permisceas tantillum absinthij proculdubio amarescit. Dices hanc esse virtutem coctionis, ut eius beneficio acquiratur dulcedo. Sed contra, quia pituita insipida, quia humor est citra sanguinem benè potest per coctionem dulcescere; at vero bilis, qui ultra sanguinem existit, non potest retrocedere, potius enim caloris concoquentis beneficio, fiet amarior, & aduretur, ut patet in inedia, in qua multo magis amaricat os, & pituita insipida convertitur in sanguinem.

SECVNDO, quia serum sanguinis propter tantillam bilem, quam habet commixtam amarum gustatur, ut apparet in urina serum vero lactis, ut constat experientia nullam, præsefert amaritudinem, qualem proculdubio repræsentat urina gustata, cum bilis portio mixta cum ea exigua admodum sit. Nisi enim corrumpatur bilis, non amittit amaritudinem; in coctione vero nullatenus corrumpitur.

ACCEDIT, quod bilis in massa sanguinaria, non est in tan exigua quantitate, quæ non possit suo sapore inficere sanguinem ipsum, & lac generatum. Nam, & contingit, quod quando redundat maxime in massa, ita, ut tota non possit suggi à glandosis corporibus mamarum evadat lac amarum, & biliosum, ut advertit de lacte caprino æstivo, Laguna in Dioscoridem cap. proprio. Ob substantiæ analogiam, si bilis aliqua esse in lacte cum sero permisceretur, at serũ omnis amaroris expers persentitur ad gustũ.

TERTIO suadet morborum sors, quæ ut plurimũ solet corripere mammas, obnoxiæ enim maximé sunt magnis inflammationibus, quæ à mulieribus dicuntur Hispano sermone, *Pelo*, frequentissimè tumoribus cancrosis, & ulceribus corrodentibus. Ex sua vero natura corpora glandosa exanguia sunt, & frigida, atque adeo morbis calidissimis corripi non possent, nisi bilis calida ab illis reciperetur.

DICES usum corporum glãdosorum esse sanguinis dealbationem. Verum enimvero non negamus hunc usum, cæterum etiam negandum non est glandium suctu bilem expurgari, posteaque per venas deponi in uteri sentinã: cui operi mira venarũ, uteri, & mãmarũ societas prçstat locũ. Docet Hyp. lib. de glandulis, qui & mammarum glã dulas excrementa recipere dicit.

IGITUR separata bile, massa quæ restat ex sanguine pituita, & succo melancolico frigida est, quia duo humores sunt frigidi, & sanguis temperatus, qui ab illis frigescit non nihil; atque ita totum hoc subiectum immediatũ coctionis redditur calidius.

Ex his sufficienter manet responsum ad argumentum primum de lacte, quod erat difficillimum.

AD secundum dicimus. Spiritus animales non constat frigidiores esse vitalibus. Quomodocunque autem sit existimamus ex vi coctionis, qua ex vitalibus animales fiunt proculdubio augeri calorem. Cõsulto, quia actiones animæ velociores sunt. Ex accidenti vero, temperari calorem ratione aëris per nares attracti, quæ necessaria est spiritus materia. Cum enim frigidum attrahatur, & non attẽperetur, ut contingit aëri præparato in pulmonibus, ut spiritus vitalis sit materia: spiritus calorẽ quodadmodo temperare potest, quemadmodum excedens potus, aliquando frigiditatis chyli causa existit, quamvis alias à coctione calor augeatur, tam enim aqua potabilis, quã aër at-

attractus per nares coctionem subire non possunt, quia elementa sunt.

QVIN etiam materia illa, quæ incipit copui in spiritũ animalem media coctionẽ fit calidior; quoniam materia proxima spiritus animalis attemperata aëre narium in plexu choroide cerebri, ita præmitur ratione angustiæ vasorum, ut parum ventilari possit, ex quo augetur calor. Vide quam mira fuit natura in formandis plexibus.

SCIO iuniorem existimasse ob hanc causam spiritus nullatenus fieri coctione, maior enim pars alimenti illam respuit, siquidem spiritus vitalis fit ex sanguinis vapore, & aëre inspirato, & animalis ex vitali, & aëre. Sed cum aqua pota alimenti coctionem non impediat, etiam si, & ipsa incoctilis sit, ita aër mixtus cum vapore.

IN summa ergo quamvis spiritus vitalis, sit calidior animali absolutè & simpliciter: Refrigeratus tamen aëre attracto per nares, non est calidior, sed frigidior. Massa igitur illa, quæ componitur ex aëre, & spiritu vitali, est materia proxima animalis, seu subiectum coctionis, quod in plexu choroide dum concoquitur redditur calidior.

AD tertium negamus maiorem propositionem, nimirum, quod medulla fiat concoctione ex sanguine, nam illa concoctio est tertia corporis in qua ex sanguine nutriuntur partes. Benè verum est, quod sanguis antequam actu nutriat subit mutationes, & transit per varias humiditates. Atque ita ex nutrimento ossis immediato, allecta, seu attracta parte melancolica frigida, & sicca, quæ commodum est ossis alimentum, id, quod super est pinguis est medulla, nam segregata parte terrestri residuum aqueum est, & aëreum.

AD quartum negatur totum id, quod supponitur, quia calor per coctionem perficitur, & proprium subiectum calfacit, quoniam calfaciendo modificat opposita patibilia.

AD

AD quintum, aliqui respondent fructus maturescentes in principio amittere saporem amarum, non quia talis præcedat in ipsorum substantia, sed in ea, quæ intra ipsam continetur. Sed absolutè negatur maior propositio, nempè fructus tempore cruditatis amaros esse, semper enim fructus tempore cruditatis sunt, aut accidi, aut acerbi, aut austeri, ita ut sint terminus à quo coctionis; sicut dulcedo terminus ad quem. Si vero aliquando reperiatur amaritudo hæc reperitur in parte excrementitia, quæ solet expurgari. Sic in peponibus reperitur amaritudo cum tamen in illis excedat frigitas, quia pars amara est excrementosa, sic pinguedo animalium quamvis frigida sit, & alba, tractu temporis rubescit, & acrimoniam acquirit, ex partibus excrementosis, quæ expurgantur

AD sextum, & ultimum respondetur Etiam si alimẽtum calidius sit parte; attrahit pars, quæ in illo magis fuerint secundum naturam propriam. Exempli gratia, licet totus sanguis calidior sit toto osse, attrahunt ossa ad sui nutritionem partem frigidiorem, nimirum sanguinẽ melancolicum, qui frigidior est, & talis pars media coctione potest, quod admodo reddi calidior.

SIT primum corollarium Septuaginta interpretes legunt. Mulge lac, & erit butyrum. Si autem expresseris nares exibit sanguis, si autem extraxeris sermones exibunt lites, & rixæ. Quæ lectio literalis est, quia mulgere pertinet ad ubera. Virgilius 3. Elog.

Hic alienus oves custos bis mulget in hora.

Emungere vero pertinet ad nares. Emunctæ naris homo apud Erasmum, dicitur, qui acri exactoque est iudicio. Certum est autem, quod si lac extrahatur erit butyrum, nam lac constat tribus substantijs serosa, butyrosa, & caseosa, & inter illas præcipua est butyrosa quia est aerea, & tẽperata, & magis conformis nostræ naturæ. Deinde si emungas nares naturaliter exibit, qui dicitur mucus;

cus; verum si vehementer emungas elicies sanguinem; nā deficiente muco facile sanguis extrahitur.

SECVNDVM corollarium. Beda, Hugo, & Lyra, ita vertunt. Qui fortiter exprimit ubera elicit butyrum, & qui vehementius comprimit prolicit sanguinem. Quod etiam consonat experientiæ, qui fortiter exprimit ubera elicit butyrum, nam si sponte non fluat lac forti expressione elicietur & cum eo butyrum. Si vero vehementius comprimas, prolicies sanguinem, quia non solū extrahes lac repertum, & generatum in mamis, sed etiam, quod incipit generari; atque cum lac generetur ex sanguine, exibit sanguis adhuc non trasmutatus.

TERTIVM corollarium. Lyra differt á Beda, & Hugone, qui acutissimè butyri nomine intelligit non lactis butyrum, seu substantiam illam, quæ cum alijs lac componit, sed ipsorum uberum innatum adipem. Quod quidē est conforme bonæ medicinæ; nam constat experientia anatomica, multo adipe refertas esse mamas ex propria structura, qui in forti expressione proculdubio extrahitur. Docet Hyppocrates lib. de glandulis in principio, ubi hæc verba habet: Et si multa vi ipsas digitis compresseris glandula humorem oleosum remittit, qui, & ipse cōteritur, ut plurimum, & disperit. Igitur eruditè Lyra, butyri nomine intelligit innatum adipem. Et probat contextus; nam si butyri nomine intelligas partem lactis, nō diceret textus: qui fortiter exprimit ubera, non enim est necessaria fortis expressio, ut extrahatur butyrum lactis, nam quod fluit sponte sine expressione habet butyrum.

CA-

perficitur autem in ovo celerius animal diebus tepidis te pore enim iuvatur, nam concoctio est calor quidam.

SED in quo magis elucescit veritas, & consumitur doctrina est in solutione argumentorum. Vallesius 1. cōtroversiar. cap. 10. docet, quod quando ex sanguine generatur lac, aut ex ipso medulla, hæc actio nō tā fit temperamēto quā substātiæ modo partis; idē dicit de pinguedine quando ex sanguine generatur per verā nutritionē. Vnde non est mirum hæc omnia frigidiora progigni siquidē neq; calore, neque temperamento actio fit. Hæc respōsio vera nō est, quia modus substantiæ, aut est secunda qualitas in aliquorū sententia, quæ nullū producit effectū reale; aut saltem modus substantiæ nō potest efficere coctionē; nunquā enim deficit modus substantiæ in mixto, aut homine, & tamē aliquando datur concoctio deficiens, aut abolita, ut patet. Secundò, nam transmutatio illa, sive fiat à temperamento, sive à calore est vera concoctio in omnium sententia; ergo cum evadat lac frigidius per illam transmutationem coctio non fiet à calore. Tertio, quia inexplicata relinquit ea, quæ ex Aristotele adducebantur ad probandum res coctione reddi calidiores.

ALTERAM affert solutionē Vallesf. in fine libelli de alimento. Asserit enim, quod quando dicit Aristotel. coctione rē fieri calidiorē, debet intelligi de re, quæ tantum coquitur vera conctione non vero si habeat adiunctam aliā actionem. Cum autem lac, & medulla fiant in nostro corpore per elixationem quandam, nihil mirū, si nōnulla reddantur frigidiora. Hæc responsio displicet multis de titulis. Primò, quia generatio lactis nō est elixatio, quæ ab eisdem auctoribus censetur imperfecta concoctio, seu analogia, sic dicta. Nam elixatio ex Aristotele est coctio in humido; at vero sanguis, qui concoquitur in mamis non coquitur in alio humido, sed totus sanguis mutatur in lac. Secundò, quia elixatio ex Aristotele, etiā fit à calore, non

est

est ergo cur media ipsa res, quæ cõcoquitur reddatur frigidior, nõ enim ratione efficientis, neq; liquoris, in quo elixatur, hic enim quãvis sit natura frigidus, qualis est aqua tamẽ calfit ab externo calfaciente, dum elixatio celebratur. Tertiò, quia ex illa sententia sequeretur universaliter omnia, quæ de novo fiunt in nostro corpore per trãsmutationem frigidiora reddi, nulla enim est maior ratio unius quam alterius; consequens autẽ omnino falsum est, nã quando ex chylo generatur sanguis calidior redditur chylo. Tandem semper concoctio precedit aliam actionẽ, seu generationẽ, atque ita hoc modo semper coctio habet adiunctam aliã actionem; nam ad generationem chyli semper præcedit coctio cibi tanquam dispositio; ad generationem sanguinis præcedit coctio chyli ab hepate facta. ad generationem partis præcedit tertia illa cõcoctio, quæ celebratur in eisdem partibus, penes quam sanguis ultimo disponitur, ad hoc ut induat naturam partis. Et in externis, etiam ad generationem vegetabilium, ut pomi in arbore semper præcedit coctio, quæ fit in arbore; & in omnibus his casibus res per coctionem evadit calidior.

Alii recentiores inter quos Matamoros lib. de febrib. lib. 4. tractatu 1. disput. 10. respondent ad argumentum communem opinionem, ita esse intelligendam, ut quãdo dixere Aristoteles, & Galenus, quæ concoquuntur reddi calidiora intelligantur de his, quæ coquuntur perseverante simili substantia, ut contingit in maturatione fructus; at vero si formæ transmutatio fiat, benè potest acquiri forma, quæ petat temperamentum frigidũ, ut patet exẽplis positis in argumento. Nec inconvenit in hac transmutatione subiectũ disponi coctione, nam potest calore excedenti, aliquid saltem partialiter disponi, & id quod producitur frigidius secundum se evadere, ut dicitur de transmutatione vini in acetum; & ita quamvis ex sanguine generetur lac per coctionem potest lac reddi frigidius.

dius. Quo fundamento utitur Garcia sen. 1. 1. disputat. 25. cap. 3. ad probandum pituitam temperamento frigidam per coctionem posse á calore factam produci, & disputat. 40. sequent. cap. 4. f. 1211. eadem doctrina utitur ad probandum per nutritionem, & coctionem calore factam produci membra frigida nostri corporis.

SED hæc responsio falsa est multiplici de capite. Nam etiam si diversa substantia generetur, disponitur usque ad introductionem formæ per coctioné, ergo debet evadere calidior; nam dispositiones, quæ antecedunt subsequuntur, quando non datur causa illas corrumpens: sic ex sanguine calidiori generatur pulmo calidior, & calidius hepar, ex frigidiori cerebrum frigidius, & membranæ etiam frigidiores. Cum vero coctio agatur calore non apparet causa illum corrumpens, & introducens frigiditatem. Calor, & aliæ dispositiones embrionis, non corrumpuntur etiam si non perseveret eadem forma, & introducatur forma hominis; ergo falsum est, quod quæ coquuntur solum reddantur calidiora perseverante simili substantia. Confirmatur, quia etiam in statu febrium putridarum quando humor sordida putrefactione putrescit, in qua omnino corrumpitur forma substantialis humoris, datur ex tali putredine calor ingens, qui iam erat ante corruptionem; igitur non ex eo, quod non perseveret similis substantia introducitur frigiditas; unaquæque enim qualitas, sive calor, sive frigus cum sint effectus possitivi requirunt necessario causam possitivam; stante vero coctione, quæ agitur calore non apparet causa corrumpens calorem, & introducens frigiditatem in lacte.

DEINDE falsum est, quod in maturatione fructuũ semper perseveret similis substantia? nam semen quando trãsit in fructum media coctione fit transmutatio, tunc autem

tem non perseverat similis substantia, quia semen, & fructus differunt substantialiter. Quamvis verum sit, quod postea media coctione perficiatur fructus sine nova trāsmutatione. Neque refugium, quod afferunt de aceto tutum est. Nam omnia, quæ putrescūt calore extraneo redduntur calidiora, & putredo inter causas caloris ponitur à Galeno, atq; cum acetum fiat per putredinem ex vino, in ipsa etiam putrefactione, maior datur calor in vino extraneus. Cæterum exhalat statim, quia vinum est vaporosum, ut omnia etiam, quæ putrescunt frigescunt tādem, quædam citius, quædam tardius, prout magis, vel minus exhalabilem habent naturam. Palea, verbi gratia dum recens putrida est calet insigniter, postea vero fere convertitur in terram, & frigescit. Mulus recēs mortuus suscitat refrigeratos, qui se in ventrem immittunt, tandem vero frigescit. Idem accidit vino, quod resoluto calore in putredine breviter frigescit acetū. Hæc est causa ob quam magis noxium est vinum, quod actu putrescit, quod Hispanicè dicimus, *tiene una punta de agrio*, quam acetum iam putrefactum, ob calorem illum nimirum inæqualem.

SOLVTIO argumenti hunc habet defectum, quod respondeat cum conclusione. Dicit enim, quod si formæ transmutatio fiat benè potest acquiri forma, quæ petas temperamentum frigidum, ut patet in exemplis possitis in argumento. Et hoc in Logica receptum non est.

PETRI Garciæ doctrina nō est ad rē, nec benè deducit: nam pituita per coctionem à calore factam producitur tēperamento frigida ob æterogeneitatem materiæ, cuius una pars apta est ad talem humorem, alia ad bilem; & quia Iecur causa est æquivoca humorum. Cæterum totū lac frigidum est, & non est effectus æquivocus suæ causæ, nam glandosa corpora mamarum, assimilant sibi lac in colore, & qualitatibus primis, & in modo substantiæ

Horatius Augenius 2. tomo Episto. honestissimè effugit difficultatis vim, & non multum discrepat á supradictis Doctoribus. Inquit enim concoctum calidius reddi non concocto, intelligendum tamen esse imprimis de una, & eadem re cruda in comparatione ad seipsam coctam; nō autem de mutatione unius rei in aliam, quæ mutatio ad substantiam pertinet;& cum gignitur ex sanguine lac, generatio lactis est: concoctio vero quando lac imperfectū existens perficitur in illis. Sic non dicitur concoctio, quādo chylus mutat naturam in sanguinem, sed generatio sanguinis.

SED præter id, quod absurda hæc opinio, ut in his ultimis verbis; in primis se contradicit: nam quilibet sanguis quum primum mammas ingreditur, & commutari incipit crudum est lac;ergo si concoctum reddi calidius intelligendum est, de una, & eadem re cruda in comparatione ad seipsam coctam, lac illud crudum, cum perfectè cōcoctum fuerit, evadet calidius seipso crudo; id autem est, quod controvertitur, quia falsum apparet; igitur nihil respondet veri. Lac aquosum crudum frigidum, ut ille inquit; concoctum vero, & consistens calidum. Sed qua ratione lac crudum sit frigidius sanguine ex quo fuit genitum, cum aliqualis præcedat coctio; lac vero coctum, & consistens quamvis frigidius, etiam sit sanguine illo, ex quo fuit generatum? Hoc opus hic labor est.

PRO declaratione nostræ sententiæ est advertendum, lactis generationem præcedere veram coctionem, quamvis aliquibus hæc imperfecta censeatur; nam albedo, & levitas perfectam coctionem ostendunt; sicuti dulcedo; nam hæc soboles est concoctionis, omnes enim fructus, quo magis coquuntur dulciores evadūt, aut exquisita, aut spuria dulcedine.

HIS suppositis: in lactis elaboratione, seu præparatione ad coctionem, fit expurgatio, seu separatio bilis à reli-

quis

quis humoribus opera corporum, glandosorum, fellantium, & suggentium humorem biliosum: atque ita reliqua massa trium humorum, quæ superest, subiectum est immediatum coctionis, quod per illam calidius evadit.

Hæc conclusio, quoniam paradoxa optimè debet fulciri. Et quod segregetur bilis; aliqua suadent. Si enim maneret cum reliquis humoribus nullatenus posset lac resultare dulce, nam tota massa sanguinaria amaricat ex mistione bilis; ut si lacti permisceas tantillum absinthij proculdubio amarescit. Dices hanc esse virtutem coctionis, ut eius beneficio acquiratur dulcedo. Sed contra, quia pituita insipida, quia humor est citra sanguinem benè potest per coctionem dulcescere; at vero bilis, qui ultra sanguinem existit, non potest retrocedere, potius enim caloris concoquentis beneficio, fiet amarior, & aduretur, ut patet in inedia, in qua multo magis amaricat os, & pituita insipida convertitur in sanguinem.

Secundo, quia serum sanguinis propter tantillam bilem, quam habet commixtam amarum gustatur, ut apparet in urina serum vero lactis, ut constat experientia nullam, præsefert amaritudinem, qualem proculdubio representat urina gustata, cum bilis portio mixta cum ea exigua admodum sit. Nisi enim corrumpatur bilis, non amittit amaritudinem; in coctione vero nullatenus corrumpitur.

Accedit, quod bilis in massa sanguinaria, non est in tan exigua quantitate, quæ non possit suo sapore inficere sanguinem ipsum, & lac generatum. Nam, & contingit, quod quando redundat maxime in massa, ita, ut tota non possit suggi à glandosis corporibus mamarum evadat lac amarum, & biliosum, ut advertit de lacte caprino æstivo, Laguna in Dioscoridem cap. proprio. Ob substantiæ analogiam, si bilis aliqua esse in lacte cum sero permisceretur, at serũ omnis amaroris expers persentitur ad gustũ.

TERTIO suadet morborum sors, quæ ut plurimũ solet corripere mammas, obnoxiæ enim maximé sunt magnis inflammationibus, quæ à mulieribus dicuntur Hispano sermone, *Pelo*, frequentissimè tumoribus cancrosis, & ulceribus corrodentibus. Ex sua vero natura corpora glandosa exanguia sunt, & frigida, atque adeo morbis calidissimis corripi non possent, nisi bilis calida ab illis reciperetur.

DICES usum corporum glãdosorum esse sanguinis dealbationem. Verum enimvero non negamus hunc usum, cæterum etiam negandum non est glandium suctu bilem expurgari, posteaque per venas deponi in uteri sentinã: cui operi mira venarũ, uteri, & mãmarũ societas pręstat locũ. Docet Hyp. lib. de glandulis, qui & mammarum glãdulas excrementa recipere dicit.

IGITVR separata bile, massa quæ restat ex sanguine pituita, & succo melancolico frigida est, quia duo humores sunt frigidi, & sanguis temperatus, qui ab illis frigescit non nihil; atque ita totum hoc subiectum immediatũ coctionis redditur calidius.

Ex his sufficienter manet responsum ad argumentum primum de lacte, quod erat difficillimum.

AD secundum dicimus. Spiritus animales non constat frigidiores esse vitalibus. Quomodocunque autem sit existimamus ex vi coctionis, qua ex vitalibus animales fiũnt proculdubio augeri calorem. Cõsulto, quia actiones animæ velociores sunt. Ex accidenti vero, temperari calorem ratione aëris per nares attracti, quæ necessaria est spiritus materia. Cum enim frigidum attrahatur, & non attẽperetur, ut contingit aëri præparato in pulmonibus, ut spiritus vitalis sit materia: spiritus calorẽ quodadmodo temperare potest, quemadmodum excedens potus, aliquando frigiditatis chyli causa existit, quamvis alias à coctione calor augeatur, tam enim aqua potabilis, quã aër

at-

attractus per nares coctionem subire non possunt, quia elementa sunt.

QVIN etiam materia illa, quæ incipit copui in spiritũ animalem media coctioñe fit calidior; quoniam materia proxima spiritus animalis attemperata aëre narium in plexu choroide cerebri, ita præmitur ratione angustiæ vasorum, ut parum ventilari possit, ex quo augetur calor. Vide quam mira fuit natura in formandis plexibus.

SCIO iuniorem existimasse ob hanc causam spiritus nullatenus fieri coctione, maior enim pars alimenti illam respuit, siquidem spiritus vitalis fit ex sanguinis vapore, & aëre inspirato, & animalis ex vitali, & aëre. Sed cum aqua pota alimenti coctionem non impediat, etiam si, & ipsa incoctilis sit, ita aër mixtus cum vapore.

IN summa ergo quamvis spiritus vitalis, sit calidior animali absolutè & simpliciter: Refrigeratus tamen aëre attracto per nares, non est calidior, sed frigidior. Massa igitur illa, quæ componitur ex aëre, & spiritu vitali, est materia proxima animalis, seu subiectum coctionis, quod in plexu choroide dum concoquitur redditur calidior.

AD tertium negamus maiorem propositionem, nimirum, quod medulla fiat concoctione ex sanguine, nam illa concoctio est tertia corporis in qua ex sanguine nutriuntur partes. Benè verum est, quod sanguis antequam actu nutriat subit mutationes, & transit per varias humiditates. Atque ita ex nutrimento ossis immediato, allecta, seu attracta parte melancolica frigida, & sicca, quæ commodum est ossis alimentum, id, quod super est pinguis est medulla, nam segregata parte terrestri residuum aqueum est, & aëreum.

AD quartum negatur totum id, quod supponitur, quia calor per coctionem perficitur, & proprium subiectum calfacit, quoniam calfaciendo modificat opposita patibilia.

AD

AD quintum, aliqui respondent fructus maturescentes in principio amittere saporem amarum, non quia talis præcedat in ipsorum substantia, sed in ea, quæ intra ipsam continetur. Sed absolutè negatur maior propositio, nempè fructus tempore cruditatis amaros esse, semper enim fructus tempore cruditatis sunt, aut accidi, aut acerbi, aut austeri, ita ut sint terminus à quo coctionis; sicut dulcedo terminus ad quem. Si vero aliquando reperiatur amaritudo hæc reperitur in parte excrementitia, quæ solet expurgari. Sic in peponibus reperitur amaritudo cum tamen in illis excedat frigitas, quia pars amara est excrementosa, sic pinguedo animalium quamvis frigida sit, & alba, tractu temporis rubescit, & acrimoniam acquirit, ex partibus excrementosis, quæ expurgantur

AD sextum, & ultimum respondetur Etiam si alimẽtum calidius sit parte; attrahit pars, quæ in illo magis fuerint secundum naturam propriam. Exempli gratia, licet totus sanguis calidior sit toto osse, attrahunt ossa ad sui nutritionem partem frigidiorem, nimirum sanguinẽ melancolicum, qui frigidior est, & talis pars media coctione potest, quod admodo reddi calidior.

SIT primum corollarium Septuaginta interpretes legunt. Mulge lac, & erit butyrum. Si autem expresseris nares exibit sanguis, si autem extraxeris sermones exibunt lites, & rixæ. Quæ lectio literalis est, quia mulgere pertinet ad ubera. Virgilius 3. Elog.

Hic alienus oves custos bis mulget in hora.

Emungere vero pertinet ad nares. Emunctæ naris homo apud Erasmum, dicitur, qui acri exactoque est iudicio. Certum est autem, quod si lac extrahatur erit butyrum, nam lac constat tribus substantijs serosa, butyrosa, & caseosa, & inter illas præcipua est butyrosa quia est aërea, & tẽperata, & magis conformis nostræ naturæ. Deinde si emungas nares naturaliter exibit, qui dicitur mucus;

cus;verum si vehementer emungas elicies sanguinem;nã deficiente muco facile sanguis extrahitur.

SECVNDVM corollarium. Beda, Hugo, & Lyra, ita vertunt. Qui fortiter exprimit ubera elicit butyrum, & qui vehementius comprimit prolicit sanguinem. Quod etiam consonat experientiæ, qui fortiter exprimit, ubera elicit butyrum, nam si sponte non fluat lac forti expressione elicietur & cum eo butyrum. Si vero vehementius comprimas, prolicies sanguinem, quia non solũ extrahes lac repertum, & generatum in mamis, sed etiam, quod incipit generari; atque cum lac generetur ex sanguine, exibit sanguis adhuc non trasmutatus.

TERTIVM corollarium. Lyra differt á Beda, & Hugone, qui acutissimè butyri nomine intelligit non lactis butyrum, seu substantiam illam, quæ cum alijs lac componit, sed ipsorum uberum innatum adipem. Quod quidẽ est conforme bonæ medicinæ; nam constat experientia anatomica, multo adipe refertas esse mamas ex propria structura, qui in forti expressione proculdubio extrahitur. Docet Hyppocrates lib. de glandulis in principio, ubi hæc verba habet: Et si multa vi ipsas digitis compresseris glandula humorem oleosum remittit, qui, & ipse cõteritur, ut plurimum, & disperit. Igitur eruditè Lyra, butyri nomine intelligit innatum adipem. Et probat con textus; nam si butyri nomine intelligas partem lactis, nõ diceret textus: qui fortiter exprimit ubera, non enim est necessaria fortis expressio, ut extrahatur butyrum lactis, nam quod fluit sponte sine expressione habet butyrum.

CA-

perficitur autem in ovo celerius animal diebus tepidis te pore enim iuvatur, nam concoctio est calor quidam.

SED in quo magis elucescit veritas, & consumitur doctrina est in solutione argumentorum. Vallesius 1. cõtroversiar. cap. 10. docet, quod quando ex sanguine generatur lac, aut ex ipso medulla, hæc actio nõ tã fit tempera-mẽto quã substãtiæ modo partis; idẽ dicit de pinguedine quando ex sanguine generatur per verã nutritionẽ. Vnde non est mirum hæc omnia frigidiora progigni siquidẽ neq; calore, neque temperamento actio fit. Hæc respõsio vera nõ est, quia modus substantiæ, aut est secunda qualitas in aliquorũ sententia, quæ nullũ producit effectũ realẽ; aut saltem modus substantiæ nõ potest efficere coctionẽ; nunquã enim deficit modus substantiæ in mixto, aut homine, & tamẽ aliquando datur concoctio deficiens, aut abolita, ut patet. Secundò, nam transmutatio illa, sive fiat à temperamento, sive à calore est vera concoctio in omnium sententia; ergo cum evadat lac frigidius per illam transmutationem coctio non fiet à calore. Tertio, quia inexplicata relinquit ea, quæ ex Aristotele adducebantur ad probandum res coctione reddi calidiores.

ALTERAM affert solutionẽ Vallesʃ. in fine libelli de alimento. Asserit enim, quod quando dicit Aristotel. coctione rẽ fieri calidiorẽ, debet intelligi de re, quæ tantum coquitur vera conctione non vero si habeat adiunctam aliã actionem. Cum autem lac, & medulla fiant in nostro corpore per elixationem quandam, nihil mirũ, si nõnulla reddantur frigidiora. Hæc responsio displicet multis de titulis. Primò, quia generatio lactis nõ est elixatio, quæ ab eisdem auctoribus censetur imperfecta concoctio, seu analogia, sic dicta. Nam elixatio ex Aristotele est coctio in humido; at vero sanguis, qui concoquitur in mamis non coquitur in alio humido, sed totus sanguis mutatur in lac. Secundò, quia elixatio ex Aristotele, etiã fit á calore, non
est

est ergo cur media ipsa res, quæ cōcoquitur reddatur frigidior, nō enim ratione efficientis, neq; liquoris, in quo elixatur, hic enim quāvis sit natura frigidus, qualis est aqua tamē calfit ab externo calfaciente, dum elixatio celebratur. Tertiò, quia ex illa sententia sequeretur universaliter omnia, quæ de novo fiunt in nostro corpore per trāsmutationem frigidiora reddi, nulla enim est maior ratio unius quam alterius; consequens autē omnino falsum est, nā quando ex chylo generatur sanguis calidior redditur chylo. Tandem semper concoctio præcedit aliam actionē, seu generationē, atque ita hoc modo semper coctio habet adiunctam aliā actionem; nam ad generationem chyli semper præcedit coctio cibi tanquam dispositio; ad generationem sanguinis præcedit coctio chyli ab hepate facta, ad generationem partis præcedit tertia illa cōcoctio, quæ celebratur in eisdem partibus, penes quam sanguis ultimo disponitur, ad hoc ut induat naturam partis. Et in externis, etiam ad generationem vegetabilium, ut pomi in arbore semper præcedit coctio, quæ fit in arbore; & in omnibus his casibus res per coctionem evadit calidior.

ALII recentiores inter quos Matamoros lib. de febrib. lib. 4. tractatu 1. disput. 10. respondent ad argumentum communem opinionem, ita esse intelligendam, ut quādo dixere Aristoteles, & Galenus, quæ concoquuntur reddi calidiora intelligantur de his, quæ coquuntur perseverante simili substantia, ut contingit in maturatione fructus; at vero si formæ transmutatio fiat, benè potest acquiri forma, quæ petat temperamentum frigidū, ut patet exēplis positis in argumento. Nec inconvenit in hac transmutatione subiectū disponi coctione, nam potest calore excedenti, aliquid saltem partialiter disponi, & id quod producitur frigidius secundum se evadere, ut dicitur de transmutatione vini in acetum; & ita quamvis ex sanguine generetur lac per coctionem potest lac reddi frigidius.

dius. Quo fundamento utitur Garcia fen. 1. 1. disputat. 25. cap. 3. ad probandum pituitam temperamento frigidam per coctionem posse á calore factam produci, & disputat. 40. sequent. cap. 4. f. 1211. eadem doctrina utitur ad probandum per nutritionem, & coctionem calore factam produci membra frigida nostri corporis.

SED hæc responsio falsa est multiplici de capite. Nam etiam si diversa substantia generetur, disponitur usque ad introductionem formæ per coctioné, ergo debet evadere calidior; nam dispositiones, quæ antecedunt subsequuntur, quando non datur causa illas corrumpens: sic ex sanguine calidiori generatur pulmo calidior, & calidius hepar, ex frigidiori cerebrum frigidius, & membranæ etiam frigidiores. Cum vero coctio agatur calore non apparet causa illum corrumpens, & introducens frigiditatem. Calor, & aliæ dispositiones embrionis, non corrumpuntur etiam si non perseveret eadem forma, & introducatur forma hominis; ergo falsum est, quod quæ coquuntur solum reddantur calidiora perseverante simili substantia. Confirmatur, quia etiam in statu febrium putridarum quando humor sordida putrefactione putrescit, in qua omnino corrumpitur forma substantialis humoris, datur ex tali putredine calor ingens, qui iam erat ante corrumptionem; igitur non ex eo, quod non perseveret similis substantia introducitur frigiditas; unaquæque enim qualitas, sive calor, sive frigus cum sint effectus possitivi requirunt necessario causam possitivam; stante vero coctione, quæ agitur calore non apparet causa corrumpens calorem, & introducens frigiditatem in lacte.

DEINDE falsum est, quod in maturatione fructuũ semper perseveret similis substantia? nam semen quando trã sit in fructum media coctione fit transmutatio, tunc au-

tem

tem non perseverat similis substantia, quia semen, & fructus differunt substantialiter. Quamvis verum sit, quód postea media coctione perficiatur fructus sine nova trãsmutatione. Neque refugium, quod afferunt de aceto tutum est. Nam omnia, quæ putrescũt calore extraneo redduntur calidiora, & putredo inter causas caloris ponitur à Galeno, atq; cum acetum fiat per putredinem ex vino, in ipsa etiam putrefactione, maior datur calor in vino extraneus. Cæterum exhalat statim, quia vinum est vaporosum, ut omnia etiam, quæ putrescunt frigescunt tãdem, quædam citius, quædam tardius, prout magis, vel minus exhalabilem habent naturam. Palea, verbi gratia dum recens putrida est calet insigniter, postea vero fere convertitur in terram, & frigescit. Mulus recẽs mortuus suscitat refrigeratos, qui se in ventrem immittunt, tandem vero frigescit. Idem accidit vino, quod resoluto calore in putredine breviter frigescit acetũ. Hæc est causa ob quam magis noxium est vinum, quod actu putrescit, quod Hispanicè dicimus, *tiene una punta de agrio*, quam acetum iam putrefactum, ob calorem illum nimirum inæqualem.

SOLVTIO argumenti hunc habet defectum, quod respondeat cum conclusione. Dicit enim, quod si formæ transmutatio fiat benè potest acquiri forma, quæ petas temperamentum frigidum, ut patet in exemplis possitit in argumento. Et hoc in Logica receptum non est.

PETRI Garciæ doctrina nõ est ad rẽ, nec benè deducit: nam pituita per coctionem à calore factam producitur tẽperamento frigida ob æterogeneitatem materiæ, cuius una pars apta est ad talem humorem, alia ad bilem; & quia Iecur causa est æquivoca humorum. Cæterum totũ lac frigidum est, & non est effectus æquivocus suæ causæ, nam glandosa corpora mamarum, assimilant sibi lac in colore, & qualitatibus primis, & in modo substantiæ

Horatius Augenius 2. tomo Episto. honestissimè effugit difficultatis vim, & non multum discrepat á supradictis Doctoribus. Inquit enim concoctum calidius reddi non concocto, intelligendum tamen esse imprimis de una, & eadem re cruda in comparatione ad seipsam coctam; nō autem de mutatione unius rei in aliam, quæ mutatio ad substantiam pertinet;& cum gignitur ex sanguine lac, generatio lactis est: concoctio vero quando lac imperfectū existens perficitur in illis. Sic non dicitur concoctio, quādo chylus mutat naturam in sanguinem, sed generatio sanguinis.

SED præter id, quod absurda hæc opinio, ut in his ultimis verbis; in primis se contradicit: nam quilibet sanguis quum primum mammas ingreditur, & commutari incipit crudum est lac; ergo si concoctum reddi calidius intelligendum est, de una, & eadem re cruda in comparatione ad seipsam coctam, lac illud crudum, cum perfectè cōcoctum fuerit, evadet calidius seipso crudo; id autem est, quod controvertitur, quia falsum apparet; igitur nihil respondet veri. Lac aquosum crudum frigidum, ut ille inquit, concoctum vero, & consistens calidum. Sed qua ratione lac crudum sit frigidius sanguine ex quo fuit genitum, cum aliqualis præcedat coctio; lac vero coctum, & consistens quamvis frigidius, etiam sit sanguine illo, ex quo fuit generatum? Hoc opus hic labor est.

PRO declaratione nostræ sententiæ est advertendum, lactis generationem præcedere veram coctionem, quamvis aliquibus hæc imperfecta censeatur, nam albedo, & levitas perfectam coctionem ostendunt, sicuti dulcedo, nam hæc soboles est concoctionis, omnes enim fructus, quo magis coquuntur dulciores evadūt, aut exquisita, aut spuria dulcedine.

HIS suppositis: in lactis elaboratione, seu præparatione ad coctionem, fit expurgatio, seu separatio bilis à reli-

quis

quis humoribus opera corporum, glandosorum, fellantium, & suggentium humorem biliosum: atque ita reliqua massa trium humorum, quæ superest, subiectum est immediatum coctionis, quod per illam calidius evadit.

Hæc conclusio, quoniam paradoxa optimè debet fulciri. Et quod segregetur bilis; aliqua suadent. Si enim maneret cum reliquis humoribus nullatenus posset lac resultare dulce, nam tota massa sanguinaria amaricat ex mistione bilis; ut si lacti permisceas tantillum absinthij proculdubio amarescit. Dices hanc esse virtutem coctionis, ut eius beneficio acquiratur dulcedo. Sed contra, quia pituita insipida, quia humor est citra sanguinem bené potest per coctionem dulcescere; at vero bilis, qui ultra sanguinem existit, non potest retrocedere, potius enim caloris coneoquentis beneficio, fiet amarior, & aduretur, ut patet in inedia, in qua multo magis amaricat os, & pituita insipida convertitur in sanguinem.

Secundo, quia serum sanguinis propter tantillam bilem, quam habet commixtam amarum gustatur, ut apparet in urina serum vero lactis, ut constat experientia nullam, præsefert amaritudinem, qualem proculdubio representat urina gustata, cum bilis portio mixta cum ea exigua admodum sit. Nisi enim corrumpatur bilis, non amittit amaritudinem; in coctione vero nullatenus corrumpitur.

Accedit, quod bilis in massa sanguinaria, non est in tan exigua quantitate, quæ non possit suo sapore inficere sanguinem ipsum, & lac generatum. Nam, & contingit, quod quando redundat maxime in massa, ita, ut tota non possit suggi à glandosis corporibus mamarum evadat lac amarum, & biliosum, ut advertit de lacte caprino æstivo, Laguna in Dioscoridem cap. proprio. Ob substantiæ analogiam, si bilis aliqua esse in lacte cum sero permisceretur, at serũ omnis amaroris expers persentitur ad gustũ.

TERTIO suadet morborum sors, quæ ut plurimũ solet corripere mammas, obnoxiæ enim maximé sunt magnis inflammationibus, quæ à mulieribus dicuntur Hispano sermone, *Pelo*, frequentissimè tumoribus cancrosis, & ulceribus corrodentibus. Ex sua vero natura corpora glandosa exanguia sunt, & frigida, atque adeo morbis calidissimis corripi non possent, nisi bilis calida ab illis reciperetur.

DICES usum corporum glãdosorum esse sanguinis dealbationem. Verum enimvero non negamus hunc usum, cæterum etiam negandum non est glandium suctu bilem expurgari, posteaque per venas deponi in uteri sentinã: cui operi mira venarũ, uteri, & mãmarũ societas pręstat locũ. Docet Hyp. lib. de glandulis, qui & mammarum glãdulas excrementa recipere dicit.

IGITUR separata bile, massa quæ restat ex sanguine pituita, & succo melancolico frigida est, quia duo humores sunt frigidi, & sanguis temperatus, qui ab illis frigescit non nihil; atque ita totum hoc subiectum immediatũ coctionis redditur calidius.

Ex his sufficienter manet responsum ad argumentum primum de lacte, quod erat difficillimum.

AD secundum dicimus. Spiritus animales non constat frigidiores esse vitalibus. Quomodocunque autem sit existimamus ex vi coctionis, qua ex vitalibus animales fiũnt proculdubio augeri calorem. Cõsulto, quia actiones animæ velociores sunt. Ex accidenti vero, temperari calorem ratione aëris per nares attracti, quæ necessaria est spiritus materia. Cum enim frigidum attrahatur, & non attẽperetur, ut contingit aëri præparato in pulmonibus, ut spiritus vitalis fit materia: spiritus calorẽ quodadmodo temperare potest, quemadmodum excedens potus, aliquando frigiditatis chyli causa existit, quamvis alias à coctione calor augeatur, tam enim aqua potabilis, quã aër

attractus per nares coctionem subire non possunt, quia elementa sunt.

QVIN etiam materia illa, quæ incipit copui in spiritũ animalem media coctione fit calidior; quoniam materia proxima spiritus animalis attemperata aëre narium in plexu choroide cerebri, ita præmitur ratione angustiæ vasorum, ut parum ventilari possit, ex quo augetur calor. Vide quam mira fuit natura in formandis plexibus.

SCIO iuniorem existimasse ob hanc causam spiritus nullatenus fieri coctione, maior enim pars alimenti illam respuit, siquidem spiritus vitalis fit ex sanguinis vapore, & aëre inspirato, & animalis ex vitali, & aëre. Sed cum aqua pota alimenti coctionem non impediat, etiam si, & ipsa incoctilis sit, ita aër mixtus cum vapore.

IN summa ergo quamvis spiritus vitalis, sit calidior animali absolutè & simpliciter: Refrigeratus tamen aëre attracto per nares, non est calidior, sed frigidior. Massa igitur illa, quæ componitur ex aëre, & spiritu vitali, est materia proxima animalis, seu subiectum coctionis, quod in plexu choroide dum concoquitur redditur calidior.

AD tertium negamus maiorem propositionem, nimirum, quod medulla fiat concoctione ex sanguine, nam illa concoctio est tertia corporis in qua ex sanguine nutriuntur partes. Benè verum est, quod sanguis antequam actu nutriat subit mutationes, & transit per varias humiditates. Atque ita ex nutrimento ossis immediato, allecta, seu attracta parte melancolica frigida, & sicca, quæ commodum est ossis alimentum, id, quod super est pinguis est medulla, nam segregata parte terrestri residuum aqueum est, & aëreum.

AD quartum negatur totum id, quod supponitur, quia calor per coctionem perficitur, & proprium subiectum calfacit, quoniam calfaciendo modificat oppossita patibilia.

AD

cus;verum si vehementer emungas elicies sanguinem;nã deficiente muco facilè sanguis extrahitur.

SECVNDVM corollarium. Beda, Hugo, & Lyra, ita vertunt. Qui fortiter exprimit ubera elicit butyrum, & qui vehementius comprimit prolicit sanguinem. Quod etiam consonat experientiæ, qui fortiter exprimit, ubera elicit butyrum, nam si sponte non fluat lac forti expressione elicietur & cum eo butyrum. Si vero vehementius comprimas, prolicies sanguinem, quia non solũ extrahes lac repertum, & generatum in mamis, sed etiam, quod incipit generari; atque cum lac generetur ex sanguine, exibit sanguis adhuc non trasmutatus.

TERTIVM corollarium. Lyra differt á Beda, & Hugone, qui acutissimè butyri nomine intelligit non lactis butyrum, seu substantiam illam, quæ cum alijs lac componit, sed ipsorum uberum innatum adipem. Quod quidẽ est conforme bonæ medicinæ; nam constat experientia anatomica, multo adipe refertas esse mamas ex propria structura, qui in forti expressione proculdubio extrahitur. Docet Hyppocrates lib. de glandulis in principio, ubi hæc verba habet: Et si multa vi ipsas digitis compresseris glandula humorem oleosum remittit, qui, & ipse cõteritur, ut plurimum, & disperit. Igitur eruditè Lyra, butyri nomine intelligit innatum adipem. Et probat contextus; nam si butyri nomine intelligas partem lactis, nõ diceret textus: qui fortiter exprimit ubera, non enim est necessaria fortis expressio, ut extrahatur butyrum lactis, nam quod fluit sponte sine expressione habet butyrum.

CAPVT XXXVII.

VÆ tibi terra cuius Rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius Rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiedum, & non ad luxuriam. Ecclesiastes *cap.* 10.



NTERIECTIO est execrativa dictio illa væ: execratur ergo terram cuius Rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Inquiramus ergo utrum illa comestio, quæ fit mane quantum ad physicam attinet consideratio nem sit execranda, ut insalubris.

COMESTIO illa matutina ientaculum dicitur Hispano sermone *almuergo*, ait enim Sueto. In Vitel. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat, in ientacula, & prandia, & cęnas, comessationesque. Et noster Martialis in dysstichis.

Surgite iam vendit pueri ientacula pistor
cristatæque sonant undique lucis aves.

Et videtur, quod ientaculum sit salubre, & ex usu medico, experientia enim ostendit plures esse, qui si aliquid mane non comederint, aut degustaverint prandia agredi nõ possunt, estque illis ientaculum quasi confectio fermenti ad massam prandij subigendam. Deinde plures sunt qui coguntur summo mane aliquid cibi degustare, quia si id non fecerint dolorem sentiunt in ventriculo, aut cardialgiam, erosionem, aut morsum orificij, sive talis erosio morsus, aut cardialgia contingat ex defectu alimenti po-

stu-

ſtulati ratione conſuetudinis, ut multoties contingit; ſive ex vermium præſentia, qui alimentum præcedens abſumpſerunt.

TERTIO, nam inter cęnam, & prandium futurum magnū intercedit ſpatium aliquādo quindecim, aut ſexdecim horarum, quod tranſigere non poteſt homo innoxiè ſine cibo; alias enim ex tali inedia corpus male habet, nā ſtercus aduritur palpitant tempora, os amaricat urina redditur bilioſa. Vtile ergo fuerit cibum diſpenſare mane, ne talia ſymptomata contingant, quia debite erit diſpenſatus ſiquidem cibus præcedens eo tempore iam eſt concoctus præſertim cum præceſſerit ſomnus in quo coctiones omnes perfectius abſolvuntur.

PRO parte vero contraria, quod nimirum uſus ientaculi non ſit prorſus laudabilis in bono regimine aliqua ſuadent. Primo textus noſter; nam ſi litera textus attendatur id videtur ſignificare, nam comeſtio illa quæ fit mane ientaculum eſt, & damnatur, non ſolum in utentibus, ſed & ipſa terra taxatur cuius principes talem habent conſuetudinem. Non dubito, quod alij ſint ſenſus verborum ſacræ paginæ; verumtamen cum ſenſus literalis conformis eſt probabilitati phyſicæ, aut medicæ, etiā hæc deducitur probabiliter ex ſenſu literali.

CONFIRMATVR, quia ſecūda pars noſtri textus eſt correlativa primæ partis, nā adinvicem ſe reſpiciunt. Quemadmodum enim taxat terram cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt; ita in ſecunda parte laudat terram cuius rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo. Ex quibus verbis deducitur, quod cibus, qui mane ſumitur intempeſtivè ſumitur. Nam qui ſumitur meridie in tempore ſuo uſurpatur, ut colligitur ex verbis textus, nā hora meridiana eſt magis naturalis iuxta conſuetudinem omnium gentium. Non loquor de exquiſitè meridiana, nam hora prandij non eſt

in-

indivisibilis, sed habet latitudinem, & variat secundum consuetudinem, & anni tempus, ut dicemus. Loquimur ergo de prandio, quod celebratur propé meridiem plus minusve. De quo debet intelligi textus, & de cęna quando dicit: *Beata terra cuius Rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo*, quandoquidem damnat eos, qui mane comedunt.

PROBATVR prætereà ex verbis Martialis supra allatis, ubi scribit.

Surgite iam vendit pueri ientacula pistor.

Pueri vocat ientacula, quasi pueri dumtaxat, qui intempestive cibos assumunt, quatenus voracissimi sunt, & sæpissimè comedunt ientaculis utantur. Ex quibus colligitur, quod adulti, benè morigerati, & regulari homines iẽtaculis non comisceantur. Consonant facri eloquij verbis verba Poëtæ; nam illinc dicitur. *Væ terra cuius Rex puer est, & cuius principes mane comedunt*, quasi principes imitentur, ut solent regem puerum, qui mane comedit. Poëta etiam iẽtacula vocat pueri, quasi propria sint huius ætatis.

ET ne adhuc recedamus à sacra pagina; istud væ nostri textus, consonans est illius væ, Esaiæ cap. 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Ibi reperitur væ, sicut, & hic. Ibi reperitur mane sicut, & hic. Nomine ebrietatis certum est, quod intelligitur comestio, & potatio. Præter id, quod qui vinum plurimum potat mane ientaculũ facit; quia vinum nutrit, & non solum est potus, sed cibus.

TOTVM confirmat, quod legitur in Actibus Apostolorum cap. 2. Nam cum audissent Iudæi Apostolos loquentes varijs linguis dicebant, quia musto pleni sunt isti. Petrus autem levavit vocem suam, & locutus est eis. Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem universi hoc vobis notũ sit, & auribus percipite verba mea, non enim sicut vos æsti-

æstimatis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. Itaque Petrus probabat Apostolos non esse ebrios, quia esset hora diei tertia, nam foret indignũ hora tertia vacasse ebrietati. Hæc vero hora est propria ientaculi. Consentaneũ etiã est, quod probaret Petrus ex communi consuetudine, & non ex peculiari abstinentia, & ieiunio Apostolorum cũ in talia ieiunia non crederent Iudæi.

PROBATVR deinde ratione, quia tempus matutinum potius est ad exercitia facienda quam ad ientacula. Nam ut ait Galenus 3. tegni canone illo in Gimnasijs sanitatẽ conservare volẽti ante comestionem moveri necesse est. Motus ante comestionem factus sanitatis est conservativus, sicut motus post comestionem ægritudinis invenitur generativus. Igitur tempus matutinum potius est cõsumendum in exercitio faciendo quam in ientaculis. Nã exercitium factum in hoc tempore disponit optime corpus ad recipiendum cibum prandij. Si dicas, quod benè potest cibum ientaculi præcedere exercitium, sicut etiam postea cibum prandij. Sed non possunt non se confundi ad invicem cibus & exercitium, & vel non potest præcedere ientaculum exercitium, vel si præcedit prandium intempestive subsequitur ientaculum, quod utrunque maximũ est inconveniens; quia multa parit mala exercitium post cibum, sicut cibus sine præcedente exercitio. Ideo dicebat Hyppocrates lib. de dieta tex: 134. Deambulationibus, quoque multis mane utẽdum, à cęna satis est exurgere.

PRÆTEREA tempore matutino, ut plurimum coacervatæ sunt in ventriculo cruditates, vel quia vẽtriculus eas avide attraxit, tan longo illo tempore, quod intercedit inter cęnam, & prandium subsequendum: vel quia ex noctis cruditatibus nonnullæ distiliant à cerebro in ventriculũ, quæ matutino tempore exoptant concoqui potius quam obrui novo superveniente cibo, nam, ut ait communis Aphorismus; crudum super indigestum generat morbũ.

Quod

Quod autem in inedia attrahantur humores ad ventriculum non indiget probatione. Quindecim autem, aut sexdecim horarum aliquando intercluditur spatium inter cœnam,& prādium sequens. Certum est etiam, quod ex nocte agregantur cruditates,& phlegmata, sive per destillationem sive alio modo. Nam constat experientia, plurimi enim sunt, qui matutino tempore, vel expuitione, vel excreatione, vel vomitu, vel usu tabaci expellunt magnam copiam pituitæ, quæ indiget coctione.

EPVLÆ quadrifariam partiuntur, in ientacula,& prandia cęnas,& comessationes. In sacra pagina honorata fit mentio pluribus in locis prandij sine reprobatione. Luc. 11. dicitur; Rogavit eum quidam Pharisæus, ut pranderet secum,& Ioannis 21. dixit Iesus venite prādete. Thobiæ 2.& factum est prandium bonum in domo Thobiæ. Cœnæ similiter non fit reprobatio, sed honorifica mentio. Lucæ 14. legitur, cum facis prandium, aut cœnam noli vocare amicos tuos. Eodem in capite homo quidam fecit cœnam magnā. Et pluribus alijs in locis. Reliquæ epulæ damnari videntur in sacra pagina, nam de ientaculo sufficienter dictum est, quod taxetur. Comessationes etiā reprobari videntur. Deuteronomij 21. de filio pravo dicitur; Comessationibus vacat, & luxuriæ. Proverbiorum 23. noli esse in convivijs potatorum, nec in comessationibus,& ebrietatibus. Epist. 1. Petri 4. his qui ambulaverūt in luxuria in comessationibus.

AD obiecta in principio facile respondetur. Aliquorū consuetudo, vel non optima facit, ut ientaculum ab illis relinqui non possit, & ob eam malum non est. Aliquando prava qualitas humoris impacti in orificio ventriculi, quæ appetitum prosternit diluitur, & abstergitur bucella cibi accepta pro ientaculo ex quo benè se habent postea ad prandendum; ex quibus tamen non sequitur, quod hæc sit bona consuetudo,& quod non possit mutari sensim, &

pau-

paulatim. Interim tamen condonandum est aliquid consuetudini sive bonæ, sive malæ, ut ait Hyppocrates. Si vero erosio contingat á vermibus cibus pro ientaculo nullam impedit; verumtamen corpus, iam non est in statu secundum naturam, & salubri de quo loquimur.

AD tertium, quod arguit ex magna distantia, quæ reperitur inter cœnam, & prandium sequentis diei. Respondetur, quod non ob hanc causam est necessarium ientaculũ quia, vel ex distillatione, vel congestione, vel fluxione humoris crudi colliguntur in ventriculo, qui debent concoqui, non obrui novo cibo.

QVID ergo nunquam aliquid cibi sumendum pro ientaculo? Neque inviolabilis consuetudo servanda de sumendo, neque de non sumendo, quamvis laudabilior sit hæc. Non est vinculandus homo uni cõsuetudini, quia id, nec tutum est, nec facile, nec civile, nec hominis omnino, ut ait Plutarchus lib. de tuenda valetudine. Sed ut inquit Hyppocrates, oportet aliquando ad insueta trãsire.

PRIMVM corollariũ. Væ terræ cuius rex puer est. Plures interpretes per puerum intelligunt, qui talis est annorum numero, quique cum non possit per se ipsum gubernare execrabilis est terra quam regit. Sed non incommodè iuxta locutionem sacrę paginæ per pucrum possumus intelligere servum. Suadet hoc contra positio partiũ textus. Nam in secunda parte dicit; beata terra cuius rex nobilis est: sicut in prima execratur terram cuius rex servus est, sive per servum intelligas servum vitiorum, sive eũ, qui non habeat morum nobilitatem. Confirmatur etiam cap. 3. Esaiæ, postquam dicit auferet à Iudà Dominus validum, & fortem, fortem, & virum bellatorem iudicem, & Prophetam, & ariolum, & senem principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapiẽtem; statim subiungit: & dabo pueros principes eorum, & æffeminati dominabũtur eis. Proculdubio hic per pue-

ros intelligit servos, & plebeyos, colligitur ex nobilibus enumeratis quos excludit. Deinde, quia locutio sacræ paginæ sæpè assumit pueros pro famulis, & servis. Iudicum 7. dicitur; Implevitque Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud se. Hic non intelligit puerum ætate. Ruth 2. mandabo enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi, hoc est famulis messoribus. Plurimas alias autoritates omitto.

SECVNDVM corollarium. Execratur terram cuius principes mane comedunt, sicut, & puer rex, nam cibatio matutina est puerorum, & famulorum. Benè etiam aliqui interpretes mane id est in hac vita intelligunt. Alij primò tempore, ut Oseæ 6. in tribulatione sua maneq consurgēt ad me. Esaiæ 14. Lucifer qui mane oriebaris.

VLTIMVM corollarium. Laudat terram cuius res nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam. Virtus temperantiæ propria est regum, & nobilium. Et Regis ad exemplar totus componitur orbis. Sicut diximus, quod principes mane comedunt, ut puer rex; ita principes vescuntur in tēpore suo sicut rex nobilis: principes enim id agunt, quod rex, quem imittantur. Id circo Proverbiorum 31. dicitur. Noli regibus, ó Lamuel, noli regibus dare vinum.

***

GA-

CAPVT XXXIX.

NIHIL enim est timor, nisi præsumptionis adiutorium proditio cogitationis auxiliorum. Et dum ab intus minor est expectatio maiorem computat scientiam eius causa, de qua tormentum præstat. Sapientiæ *cap.* 18.



IDETVR Sacer concionator, hoc in loco, quod definiat timorem, siquidem excludit, quod sit aliquid aliud timor, nisi præsumptionis adiutorium proditio cogitationis auxiliorum. Quocirca non erit ab re in reverentiã textus agere de timore, qui insigne est animi pathema.

ARISTOTELES 2. lib. rethoricorum ad Theodectem cap. 5 his verbis aggreditur caput. Sit ergo timor ex imaginatione futuri mali corruptivi, aut dolorem inferentis perturbatio quædam, aut dolor. Quantum colligi potest ex contextu, hæc est definitio, quæ benè describit timorem quamvis aliquam patiatur obiectionem: nam ira quam quis subit ex imaginatione futuri mali corruptivi ab inimico inferendi perturbatio est, & dolor, & tamen non est timor, quia inimicus potest contemni, & superandus iudicari.

DIVVS Thomas 1. 2. quæst. 41. articulo secundo scribit: timor est fuga obiecti ardui disconvenientis, & futuri, cui difficile resistere possums. Benê quidẽ. Possit forsam, sic etiam explicari natura timoris. Est mediocris desperatio tolerandi futuri mali dolorosi, & corruptivi. Dicitur desperatio, quia qui timet quodadmodo nõ sperat se posse malũ tolerare. Confirmat Aristoteles dicto in

loco, nam in medio capitis, sic habet: ut enim fiducia timori contrariũ est, sic id, quo confidimus, & quod timemus. Dicitur vero mediocris desperatio; quia qui timet nõ omnino desperat. Confirmat Aristoteles paulò supra, ubi dicit: Nec qui iam perpessos omnia se gravia putãt, qui spe extincta malis immortui sunt: velut extremi torti; sed opus est salutis subesse spem pro quo luctantur. Cuius signum, quod timor ad consulendum inducit.

DICITVR tolerandi mali; quia qui timet non sperat nõ solùm superare, sed nec tolerare futurum malum. At timor consistit in desperatione mali tolerandi, non resistendi, aut superandi. Sic Scevola ille romanus quando in ignem manum missit, & combusit, non timuit, quia speravit se tormentum perpessurum, & romana illa, quæ carbones ignitos ingessit tolerandam credidit torturam, quocirca intrepida sine timore arripuit tormentum. Tandem in definitione additur, quod malum sit futurũ, quia præsens non timetur. Taliter autem debet esse futurum, ut prorsus non sit; nam, ut inquit Aristoteles; & ea quæ non longè absunt, sed propè videntur, ut iam impendeant. Remota nanque nimium non timent; omnes enim sciunt se morituros, verum quoniam non propè id circo non curant. Hactenus philosophus. Vltima verba denotant, quod malùm debeat esse corruptivum, & dolorosum. Quod etiam probat Aristoteles, his verbis. Si ergo id timor est, necesse est ea terribilia timendaque esse, quæcunque ingentes videntur habere vires corrumpendi, aut ita nocendi, ut nocumentum ad ingentem tendat dolorem. Hactenus Aristoteles.

TIMORIS sex species traddũtur ab auctoribus iuxta mali diversitatẽ, quæ homini advenire potest. Nã potest esse malũ in operatione ipsius, vel in exterioribus rebus. In operationibus quidẽ duplex malũ timeri potest. Primò quidẽ labor gravans naturã, quem laborem refugit, & ti-

met homo, quia nimius. & excedens est, tuncq; dicitur ti mor significs. Secundò timetur in operatione turpitudo actionis opinionem detrahẽs, quapropter si turpitudo ad sit in actu committendo timor ille dicitur erubescentia. Si vero sit de turpi, iam comisso verecundia nuncupatur.

QVOD si malũ sit in rebus exterioribus tripliciter timo rẽ inducit, quatenus tripliciter hominis facultatẽ excedit ad resistendũ. Primò quidem timorem causat malum ratione suæ magnitudinis, ut siquis magnum malum contemplatur, cuius exitum superare nequit, tunc timor ille dicitur admiratio. Secundò ratione dissuetudinis, quia scilicet aliquod malum dissuetum nostræ considerationi offertur, quod in nostra reputatione est magnum: & hic timor causatus ex insolita imaginatione dicitur stupor. Tandem timorem infert malum aliquod ratione improvisionis, quia provideri non potest, & hoc modo futura timentur infortunia: sic illos quos morti propinquos videmus in agonia dicimus esse constitutos. Est enim agonia anxietas, quæ ita animum perturbat, ut ferè ultimum vitæ terminum anxius attingat. Sed advertendum, quod in rigore omnes dictæ non sunt veræ species timoris, nisi dicas largo modo.

SED quia dictum est, timorem versari circa obiectũ futurum difficulter tolerabile, dubitatur qua ratione, id cõtingere possit. Et ratio dubitãdi est, nam passio illa, seu pathema nascitur ex sensus apprehensione, at nullus sensus versatur circa futurum, siquidem de illo nullam habet speciem; ergo timor versari non potest circa illud; licet enim sensus interni possint operari obiecto absente per species in memoria reservatas, illæ tamẽ species sunt de obiecto præterito, sicque nullo modo possunt repræsentare obiectum futurum.

RESPONDETVR argumento, quod licet sensus secundũ se non cognoscat futura tamen per species rei præsentis

noſcit futura. Hæc cognitio fit per cogitativam in homine, & per eſtimativam in brutis. Verum vero huiuſmodi ſpecies ſint inditæ adeo in primo inſtanti generationis, utrum vero animalia propenſione quadam fugiant diſſimilia, & proſequantur ſimilia nõ diſputo; ſatis eſt, quod ovis fugiat futurum lupum læſurum per ſenſationem ſta ctam per ſpeciem moleſtiæ præſentis. Ita etiam formicæ præcognoſcunt futuras pluvias, cum ante illas incipiant grana; tritici in terræ foraminibus colligere per aliquas ſpecies præſentes excitantes æſtimativam ad proponendum appetitui ſenſitivo, ut proſequatur bonum illud. Sic etiam piſces præcognoſcunt tempeſtatem, eam quæ fugiunt, & in loca profundiora ſe mergunt per ſenſationẽ præſentem, lege D. T. 2. 2. q. 172. art. 1.

PRÆTEREA etiam inſurges. Timemus Deum præſentem, ergo obiectum timoris non eſt futurum. Vlterius Deus eſt ſumma bonitas, ergo cum Deus ſit obiectum timoris, non poterit eſſe malum. Vtrique obiectioni reſpõdetur, quod timor ſemper verſatur circa malum futurũ, tanquam proprium obiectum poteſt tamen reſpicere bonum quatenus habet habitudinem ad malum; & hoc dupliciter nam vel reſpicit bonum in quantum poteſt infligere pęnam, ſic enim timemus Deum, aut iudicem, quia Deus poteſt infligere pęnam corporalem, aut ſpiritualẽ iudex vero corporalem, & utraque pęna eſt malum futurum, ſic reſpondetur primæ obiectioni.

AVT bonum dicit habitudinem ad malum, quatenus privat aliquo bono, & ſecundum hoc, inquit D. Auguſtinus, quod nulla eſt cauſa timendi, niſi ne amittatur bonum amatum: amittere bonum amatum dicit privationem boni, quæ privatio quid malum eſt, qua propter timere poſſumus Deum, quatenus illum amittere poſſumus. Ex quo evidenter infertur, quod obiectum timoris, ſemper eſt malum, vel dicit habitudinem ad illud. Ità D. T. 1. 2. q. 42, art. 1.

Ex

Ex quibus infertur, quod in timore reperitur complicata fuga rei disconvenientis non quod in ea consistat cũ fuga sit actio appetitus sensitivi, sed potius in desperatione, ut dictum est; sed quia ad malum sensatum semper subsequitur, fuga appetitus sicut ad bonum prosecutio. Ob hanc causam in timore eriguntur pili, quia nimirum retrahitur sanguis ad cor, & cum illo humiditates, quibus pili sunt infixi. Ex his etiam elicitur causa cur, si contrectetur pilus erectus in timore producitur dolor, quamvis verum sit, quod pili sint excrementa, & non partes sentientes. Nam cum humiditas cui pilus infixus est fuerit extensa, & meatus ipsius pili constrictus, contacto capilo fit dilatatio in poro, & motus in humiditate ex quibus fit dolor.

NOTANDVM est tamen, quod aliqui sentiunt, quod in timore calor, & spiritus retrahuntur ad cor, quoniam timoris tempore cor movetur inordinatè, quod fieri dicunt per conculcationem, & retractionem caloris. Hæc opinio conformis non est Avicenæ, qui ait 2. primi manere vacuas cordis cavitates tempore magni timoris, ac idẽ sentire visus est Aristoteles 4. de partibus animalium cap. 5 iuxta quos auctores Arnaldus de Villanova tractatu de accidentibus animi, ait, tempore timoris calorem non retrahi ad cor, sed ad intestina, ut comprobant alvi deiectiones, quæ timidos solent conspurcare. Et quamvis verum sit, quod in timore retrocedat sanguis ad cor, non tamen ad cor dumtaxat, ut ibi uniatur, & vigoretur calor, hoc enim solum contingit in ira, sed etiam retrocedit ad ventrem, & cum illo humiditates, quæ facultatem retentricẽ debilitant & expultricẽ iuvant, ut subsequantur illæ alvi deiectiones. Nec quamvis retrahatur ad cor spiritus ad est maior calor, quia timor talem imprimit in illis alterationem, ut fervorẽ deponant secus, ac in ira, in qua ex fervore vigorantur. Ob hanc causam timentes tremunt, ac

vocem habent debilem, & inæqualem. Etenim ex timore virtus languescit membrorum, ex quo tremor. Hinc timorosi facilè superantur & vincuntur. Hinc etiam vulpes alvo deijciunt cum nimis vexantur, quamvis dicant aliqui id efficere ut fœtorem fugiat venator.

DIXIMVS in superioribus, quod timor est mediocris desperatio, quia neque datur spes tolerandi mali, neque omnino deficit; datur ergo conturbatio pugna & vicissitudo, inter aliqualē spem, & desperationem. Hæc est causa ob quam qui ingentem habet timorem dormire non potest. Ex altera enim parte habet desperationem, quia ut diximus ex Aristotele fiducia timori contrarium est: ex altera vero aliqualem habet spem, quia ut inquit Aristoteles in timidis opus est salutis sub esse spem pro quo luctantur. Ex quibus contrarijs motibus fit ut somnum capere non possint.

SIT primum corollarium. Ex his congruentissimè deducitur textus explicatio. Dicit enim, nihil enim est timor nisi præsumptionis adiutorium. Hoc est adiutorium sperat timidus, quia subest in illis ex Aristotele salutis aliqua spes pro quo luctantur. Verumtamen talis adiutorij non datur nisi præsumptio, atque ita est præsumptionis adiutorium, quia omnino non speratur, sed præsumitur, nam fiducia ex Aristotele timori contrarium est. Alludit versus Psalm. 55. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi non timebo quid faciat mihi caro. Ergo ubi magna est spes non datur timor. Igitur qui timet præsumit adiutorium & desperat adiutorium, atque inter duos hos contrarios motus varie agitatur. Confirmat Psalmus 52. illic trepidaverunt timore ubi non erat timor: qui trepidant præpropere moventur.

SIT secundum corollarium. Sequitur; proditio cogitationis auxiliorum. Itaque qui timet cogitat auxilia quasi aliquid ex illis sperans. Cæterum prodit timorosus auxilio-


liorum cogitationem, hoc est patefacit & manifestat; vix enim animæ secretum timidus celare potest. Inimicus captus primis minis si timorem habuerit manifestat & patefacit sui exercitus designia. Quin etiam timidus sui ipsius hostis & proditor, revelat auxiliorum cogitationē, imo aliquando confitetur id quod nusquam fuit in animo.

VLTIMVM corollarium. Vltima verba textus sic habēt. Et dum ab intus minor est expectatio maiorem computat scientiam, eius causæ de qua tormentum præstat. Ecce spes subest aliqua in timidis salutis & auxilij, quia expectatio potest esse maior, aut minor. Dum ergo inquit minor est expectatio maiorem computat scientiam eius causæ de qua tormentum præstat: hoc est crescit scientia mali futuri; quando decrescit spes aut expectatio salutis & auxilij; nam in intensiori timore minor est spes quia maior est desperatio, tunc verò intensior timor maiorem inducit apprehensionem futuri mali non solum cum opinione, sed cum scientia, nam opinio est certitudo rei cum formidine partis contrariæ, qui autem timet certissimè quasi cum scientia sperat malum. Tandem dicit textus quod ab intus minor est expectatio quia á corde procedit. quod timidus minùs speret auxilium.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

IN se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt, unde æstimari ex ipso visu certo potest. Agrestia enim in aquatica convertebantur, & quæcunque erant natantia in terram transibant. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviscebatur. Sapien.*cap.* ulti.



E Flagello Sodomitis inflicto loqui videtur textus in his verbis. In proximè antecedentibus cæcitatem inductam ab Angelis refert. In his vero elementorum coniurationem in solemnem punitionem ostendit. Quemadmodum enim elementa dum convertuntur, seu degenerãt in mixta, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, quatenus elementa amittunt suas formas, & remittunt qualitates; omnia tamen suum sonum custodiunt, quatenus adhuc in mixtis remanent diversæ partes, quæ suo modo elemẽta substituunt: & unaquęque respondet suo elemento. Ita in permixtione elementorum ad Sodomorum combustionem aquæ ad quas fugiebant urebant, ut ignis, & ignis suffocabat, ut aquæ, cum tamen combustio esset ab igne, sicut suffocatio ab aqua.

SED hæc magis specialiter in corollarijs, modo prius quod est disputabile disputemus, utrum scilicet, in qualibet parte mixti dentur partes correspondentes elementis.

CIR-

CIRCA controversiam duæ sunt recentiores opiniones recentiorũ. Prima libenter admittit tales partes. Secunda vero illas omnino negat. Sed si benè legãtur auctores, ita se coarctant; ut negantes illas quodadmodo admittãt; & admittentes quodadmodo negent. Qui eas admittunt ex altera parte fatentur varias partes sub una præcissè quantitate contineri non posse: Ecce quomodo negant. Qui eas excludunt non desinunt asserere in mixto partes aliquas dari aliquotas, & notatu dignas, quæ quodadmodo elementis correspondeant. Ecce quomodo admittũt.

SIT conclusio. Vt certa ab incertis separemus. Absolutè negari non possunt in mixto partes correspondentes elementis. Et ut incipiamus à sacra pagina, quæ sũmæ au toritatis est; Probat tex. nost. In quo de cõversione elemẽ torũ in mixta videtur loqui, nã sonus qualitatis nõ immutatur, quando unũ elemẽtũ convertitur in aliud. Cæterũ, quod omnia suum sonum custodiant videtur innuere di-ctam proportionẽ partium mixti cũ elementis. Hyp. lib. de dieta, & per omnes suos libros, ita philosophatur, ut has partes supponat. Text. 25. & 37. & 45. lib. 4. de morbor. circa principium, inquit: in omnibus cibis, ac potibus, & biliosi, quid est, & aquosi, & sanguinei, & pituitosi in alio plus, in alio minus Quapropter, & quæ eduntur, & bibuntur alijs alia præstant ad sanitatem, &c. Manifesta sunt verba Hyppo. partes istas concedentis.

RATIONE ostenditur conclusio. Mixtio est miscibiliũ alteratorum unio, ergo elementa, vel minima elementorum unita, non sibi possunt undequaque approximari, at ubi est inæqualis aproximatio est impossibile ut actio sit uniformis & æqualiter intensa; ergo terminus erit inæqualis & diversus; ergo minimum mixti constat particulis inæqualiter intemperatis, & non solum quoad primas qualitates, sed quoad secundas, tenuitatem, nempé & crassitiem. Hoc argumentum desumitur ex Gentile

ha-

habetque tantam efficaciã, quod mirer recentiores quosdam illo suffultis partium diversitatem concedere, atque simul ponere in alia conclusione sub una precisè quantitate contineri non posse varias partes. Ob hanc rem dixi Autores qui ponunt diversitatem partium illas negare. Cęterum existimo adeo efficax esse dictum argumentum, ut illo concesso non posit negari partium diversitas, etiã sub una pręcisè quantitate, nam intra terminos illius dantur minima elementorum iuxta posita & unita, sed sic est quod eodem modo non possunt ęqualiter approximari, ergo actio non poterit esse uniformis, & ęqualiter intensa, ergo terminus inęqualis & particulę erunt inęqualiter temperatę ut suadet argumentum. Si dixeris extra quantitatem illam pręcissam dari minima elementorum, ęquę efficax, aut efficacius erit argumentum, nam multo minus intensa erit actio causę minus approximatę. Confirmatur experientia, quę ad suadendum efficacissima est nam videmus quod ex alimento simpliciori separantur excrementa, & nutriuntur partes satis diversæ, ergo tale alimentum aliquid habebat correspondens illi varietati.

PRÆTEREA ex quolibet alimento quamvis simpliciori & homogeneo generantur quatuor humores diversis respondentes elementis; igitur iam pręerant in illo diversę partes materiales, ex quibus virtute agentis generati fuerunt diversi humores; patet consequentia, quia aliquid tribuendum est causę materiali, efficiens enim operatur iuxta dispositionem diversam materię; hinc fit ut in homine bilioso iuvene ętate media magna quantitas bilis ex melle ingesto generetur in hepate, quia in illo sunt partes substantiales dulces & aereæ, quę facilè à calore valido in bilem mutentur; tanta est coarctatio causę finitę, quę dumtaxat operatur iuxta exigentiam materię.

IN putredine etiam satis manifestè conspiciuntur partes diversę suis quibusque elementis sigillatę, nam in putredi-

tredine ſanguinis craſſa pars vertitur in aliquid ſimile melancoliç, & tenuis in aliquid ſimile bili ex Galeno 1. de criſi. cap. 12. & 2. de diff. feb. cap. 10. (dixi ſimilari illas partes bili & melancoliç, non enim ſunt verè tales humores, quãdo qui ante putredinem tales erant non poſſunt poſt illam tales eſſe) ſed quçlibet pars ſanguinis eſt hoc modo putreſcibilis; ergo quçlibet pars habebit particulas correſpondentes varijs rebus in quas degenerant. Quod argumentum maiorem habet vim in mixto quã in ſanguine.

PONAMVS exemplum proporcionale ut ſit inſtar omnium. Temperies totalis corporis totius certa quçdam & determinata in Ioanne, verbi gratia, vel Petro reperitur, partes tamen integrãtes illius diverſimode elementis reſpondent. Nam cor maiorem proportionem habet cum igne quam reliquç partes, eo quod inter illas omnes ſit calidiſsimum; ob quam rem aliqui volunt habere figuram pyramidalem, quç ignis eſt propria. Cerebrum maiorem habet analogiam cum aqua, quam reliquç partes ob temperiem frigidam & humidam. Oſſa & lien ſuo quoque modo reſpondent terrç in frigiditate & ſiccitate. Spiritus, & pulmo in raritate & ſpirituoſitate ſymbola ſunt aëris. Hanc univerſalem proportionem fortaſe nullus negabit etiam ſi ſit ex numero diverſitatem partium reſpuẽtium, cum illorum maior antypathia ſit cum una præciſa quantitate in qua tales partes rigidè excludunt. Sed non deſeramus exemplum & oſtendamus etiam in diviſione talem proportionem ſervari, quamvis minus conſpicuè. Partes cordis igni correſpondentes diviſæ non habent temperiem totius cordis, quia totum illud eſt calidum ut diximus, ventriculi vero non æquè calidi, ſiniſtrum enim calidius eſt dextro. Vlterius fiat maior etiam partium ſimilarium ſubdiviſio; inter illas quæ proximior eſt ſiniſtro ventriculo cçteris paribus calidior eſt. Ecce qua ratione etiam ſub una pręciſſa quantitate conſpicitur talis correſ-

pon-

pondentia, quamvis nō ita conspicua (hoc enim est impossibile) ut in toto corpore. Saltē qualitativa intēsio inæquali est, & difformis, ut dicebamus in primò illo argumēto.

Ex quibus infero, quod illud argumentū si benè perpendatur plus probat quā æstimant adducentes, ac perperā semel adducto negari partiū diversitatē, etiā sub una præcissa quātitatē. Plures sunt passiones mixto contingentes, quas describit Arist. 4. met. quæ talem partiū eterogeneitatem omnino arguunt, quales sunt coagulabilitas, friabilitas, trahibilitas, liquabilitas, flexibilitas, frāgibilitas, cōminuibilitas, impressibilitas, formabilitas, scissibilitas, exhalabilitas, viscositas, ustibilitas, flammabilitas. Contingunt enim quædam quibusdam mixtis, alijs disconveniunt, & econtra, iuxta diversitatem partium elementis correspōdentium. In plumbo enim quamvis maior correspondentia sit cum terra, quam cum alio elemento, ut ostendit pondus, & gravitas, tamen quia plures sunt partes aquæ correspondentes datur liquabilitas ad ignem.

SED aliqua argumenta dissolvamus, ut notior fiat veritas. Arguūt primò, quia talis diversitas partiū nullā habet causam finalē, ergo admittenda nō est. Quorsum enim talis partiū confusio. Respondemus, quod finis est pulcritudo universi; opportuit enim reperiri talē partium varietatem in mundo sua tamē armonia, ut esset argumētū omnipotētis Dei. Est etiā finis naturæ varia, & multiplex operatio, quæ elucet in unoquoq; mixto, in quo videmus mirabiles operationes, & cōtrarias, directas tamen in unicū finem totalem mixti scilicet perfectionē supra elementa. Si enim esse est propter operari opportet ponere distincta principia accidētalia immediata, supponēdo unū radicale, & substantiale, quādo sunt diversæ operationes. Et sicut in animalibus perfectis tantam membrorum distinctionem conspicimus ob solam diversitatem operationum, ita in mixtis excogitavit natura partes varias li-

cet

cet occultas ad multiplicem ordinatas operationem.

SECVNDO arguunt. Vnaquæq; forma determinatam requirit dispositionem unam,& uniformem, atque ex vi dispositionum præcedentium inducitur una ultima, introducta vero forma non apparet,unde emergat talis diversitas dispositionis.

PRO solutione advertẽdũ,quod Avice.duplicẽ cõstituit complexionẽ,primã,& secundam.Complexionem primã appellat Avicena illam,quæ resultat ex remissione primarũ qualitatũ in qualibet particula mixti.Complexionem vero secundam illam, quæ resultat ex partibus diversis agentibus inter se se,quã contra operantiam appellat Avicena.Nunc ad argumentum. Plura mixta,& animalia requirũt diversitatem partium, & non educitur illorum forma,nisi supposita tali dispositione varia.

HÆC tamen diversa dispositio constituit cõplexionem secundam Avicenæ,quæ resultat ex contra operãtia partium in mixto,& hæc unica est,& uniformis resultans tamen ex diversitate partium in mixto.

RECENTIORES, qui diversitatem partium admittunt quam tamen negant sub unica præcisa quantitate pro cõperto habent hanc positionẽ,& solum adducunt antiquos ad probationem nam Avicena 2. cano. tracta. 1. cap. 1. ita scribit.Et cum medici dicunt, quod medicinæ virtus est cõposita ex virtutibus contrarijs,non oportet, ut isti intelligant à se ipsis,& tu ab eis, quod sit pars una ferens frigiditatem,& caliditatem simul operante unaquaque illarum sicut illæ, quæ sunt divisæ nam illud non est possibile,sed sunt in duabus partibus eius diversis ex quibus ipsa est composita cum sua singularitate.Hactenus Avicena cuius verba, quia nos absolutè concedimus diversitatem partium aliquod negotium facessunt pro impugnatione nostræ conclusionis.

RESPONDEMVS,quod verba Avicenæ, si benè intelli-

gan-

gantur, nihil faciunt contra conclusionem; fieri enim potest, ut inquit, quod una sit pars ferens frigiditatem, & caliditatem simul, nam in meliori philosophia duæ qualitates contrariæ in gradibus intensis non possunt in una, & exquisita particula reperiri, quamvis una in grado intenso, & altera in remisso possint. His tamen non obstantibus asserimus, quod illa pars præcissa ferens caliditatem continet in se minores particulas, quæ non æquè intensæ sunt calidæ, quod sufficit ad salvandam diversitatẽ partium. Assertionem ostendo. Sit verbi gratia, in febricitãte intemperies calida febrilis in toto corpore, ut quatuor; cum hoc tamen stat, quod non omnes partes corporis habeant eandem intensionem caloris, ut quatuor, quia pulmo, verbi gratia, & cor; magis calebunt, quam cerebrum, & spinalis medulla, & in partibus cordis radicaliter magis calebit sinister ventriculus quam dexter. Hoc modo verificatur doctrina Avicenæ, quod sit pars una ferens caliditatem inæqualiter tamen intemperata.

PRÆTER id, quod diversitas, seu eterogeneitas potest reperiri in tali parte præcissa quantum ad qualitates secundas, seu modum substantiæ, puta tenuitatem, crassitiẽ, raritatem, densitatem, levitatem & gravitatẽ penes quas una particula maiorem habet analogiam cum uno elemento quam cum alio. Et hoc intelligendum, de particulis subdivisis ex parte illa præcissa, quam supponimus, & in qua exquisita negant partium diversitatem, qui eas cõcedunt.

DEINDE arguunt contra conclusionem, quia pars illa ignea quam ponit est mixta (nisi dicatur formas elementorum manere in mixto cuius oppossitum verius est) ergo cum calore, & siccitate excedentibus est aliquis gradus frigiditatis, & humiditatis: sint duo: pars vero aquea cum habeat oppositas qualitates à prædominio habet frigiditatẽ, verbi gratia, ut tria. Tunc inquirunt. Aut illa frigiditas

par-

partis igneę, quę erat secundo gradu terminata, est in eadem parte subiecti cum illa, quę terminabatur tertio gradu, aut non. Primum est impossibile, nam fieri nequit, ut eadem qualitas sit simul in eadem parte subiecti intensa, & remissa si vero non sint sequitur aperte illa diversa temperamenta non contineri sub eadem parte quātitatis exquisita.

PRO solutione huius argumenti, & aliorum, quę hinc resultabunt soluta, notandum, quod difformitas, seu eterogeneitas partium mixti, quam hinc defendimus, quodadmodo est diversa in toto, & in partibus, & quodadmodo diversa in partibus organicis, & similaribus, & in similaribus maioribus, & minoribus. Multo præstantiùs representantur elementa in toto quam in partibus, quia in toto cerebrum representat aquam, cor ignem, &c. In partibus organicis, verb. grat. in corde clarius manifestantur elementa, quam in parte similari aliqua illius, nam aqua Pericardij representat elementum proprium sinister vētriculus ignem ob maiorē calorē; in parte similari cordis non potest esse adeo manifesta huiusmodi representatio, ut per se patet. Verumtamen partes maiores magis referunt elementa quam minores, quia partes carnosæ, quæ ambiunt sinistrum ventriculum calidiores sunt reliquis minoribus; & sic philosophandum.

PRÆTEREA non semper diversitas partiū requiritur rigurosa in minoribus particulis. In toto maior diversitas conspicitur penes partes organicas, & principes, in particulis vero minoribus nō ita ad sensum erit manifesta diversitas, atq; adeo sufficiens fundamentum ad salvandam diversitatem erit aliqualis dissimilitudo, in calore magis, vel minus intenso, in maiori raritate, vel densitate partiū in tenuitate, vel crassitie.

DEMVM quando dicimus, quod in mixto dantur partes correspondentes elementis in una exquisita particu-

la, seu præcissa quantitate, nolumus affirmare, quod eadem reduplicativè particula, quatenus suo modo representat unum, aut alterum elementum possit representare diversum hoc enim impossibile est; sed quod sub illa particula, seu quantitate præcissa lateant aliæ, quæ dividi posſint in quibus impoſsibilis est omnimoda uniformitas, atque adeo assignabilis est aliqualis diversitas, quamvis non omnino digna notatu.

His præmiſsis ad argumentum dicimus, quod illa frigiditas partis igneę, quæ erat secundo gradu terminata, non est in eadem parte subiecti cum illa quæ terminabatur tertio gradu; sed ultimam sequelam negamus. Dumtaxat enim ex argumento sequitur, quod pars illa ignea, quæ terminátur secundò gradu frigiditatis non posſit terminari tertio; hoc est, quod eadem illa quatenus ignem representat non posſit representare reduplicativè aquam. Potest tamen pars illa ignea adhuc subdividi quãtitativè in duas minores, quæ quidem non habebunt temperiem illam igni respondentem æque intensam, quocirca iam in illa aliqualis difformitas. Observatur. Et in hoc forsam ęquivocantur recentiores tam negantes, quam concedentes istam partium diversitatem. Igitur hic esto status controversię. In mixto dantur partes diversę elementis correspondentes in unica præcissa quantitate quia quantitas illa divisibilis est in minores, quæ singulę conficient diversitatem: & hęc nostra opinio. Non tamen asserimus, quod una exquisita, & pręcissa particula, reduplicativè posſit representare diversitatem elemẽtorum, nam una quatenus ignea est non est aquea, nec econtra; atque in sensu specificativo vera est conclusio eo modo quo explicamus, in sensu reduplicativo contraria sententia.

Restat autem explicare; si datur aliquod mixtum in rerum natura, quod non sit factum ex quatuor elemen-

mentis, sed ex materia unius cum qualitatibus aliorum; an idem dicendum, Recentiores etiam concedentes partium diversitatem affirmant, quod tale mixtum, non repugnat, quod sit taliter homogeneum, ut non habeat prædictam difformitatem, & partium diversitatem. Probant propositionem, quia sicut unum simplex elementum per solam gradualem qualitatum temperationem, non amisit naturalem simplicitatem, quia nondum desinit esse elementi; ita si talis materia devenit ad suscipiendam formam mixti non erit reperibilis diversitas partiũ, sed sola complexio gradualis, quia cũ non adsint minima aliorũ elemẽtorũ, nõ repugnat, ut sit omnino similis una particula alteri; imo de facto erit iure homogeneũ tale mixtũ in primis, & secundis qualitatibus. Cuius forma eã sortietur naturam, ut non petat illa diversa minimina, sed per solam gradualem complexionẽ attinget operationes. Verumtamen adeo efficacia sunt argumenta supra possita, quod in quovis mixto etiam si sit factum ex uno elemento cum qualitatibus aliorum existimem dari partium aliqualem diversitatem. Non inficior tale mixtum ex uno elemento factum magis homogeneum quam ex quatuor, atque obscuram esse partium diversitatem in illo, aliqua tamen negari non potest. Etenim agentia medijs qualitatibus tanquam instrumentis aliorum elementorum, non possunt ęque approximari omnibus partibus elementi concurrentis, sed ubi est inęqualis approximatio actio non potest esse uniformis, & ęqualiter intẽsa, ergo etiam in uno elemento terminus erit inęqualis, & difformis. Minor, & consequentia manifesta sunt antecedens probatur, quia omne agens prius, & intensius operatur in partem proximiorem, quam in distantem; ergo terminus actionis erit inæqualis,

DICES tota materia elementaris unius elementi erit ęqualiter approximata. Sed contra, quia hoc est impossi-

bile,etiam quãdo cõcurrunt elementa omnia;ergo multo magis concurrentibus qualitatibus. Antecedens ostendit exemplum;nam quando partem aliquam comburimus igne, ut quando fontanellam apperimus, quod ignis cõtingit uritur,particulę vero viccinę nedum calfiunt. Ecce qua ratione per continui alterationẽ non potest tota materia elementaris,ęqualiter alterari, & disponi. Ob hanc causam dixit Arist.4. met.quod sunt apta ustioni,quęcũque poros capaces ignis. Exemplum etiam sit hepar,quod propriã calidam intemperiem non potest in toto corpore introducere, ut febrem causet tam difficilis est ęqualis calfactio per continui alterationem. Neq; cor per illam, febrem efficeret,nisi sanguis arterialis deferret calorem.

DICES,quę partiũ diversitas reperiri potest sub una precisè particula. Profecto quanto maior fit divisio partium in partes minores tanto minus cõspicua erit difformitas. Argumẽtũ vero probat sub minori particula latere minores,quę quidem omnino ęqualiter non poterunt esse alteratę. Tanta vero potest esse divisio,quod cum pars divisa possit efugere sensum multo plus partium diversitas.

SED miror, quomodo negantes partiũ diversitatẽ, sub una pręcisè particula afferãt argumentũ Gentilis ad probãdũ illã in diversis partibus,non animadvertentes,quod iugulantur,quia eodẽ modo probat in eadem particula licet non ita ad sensum;nã semper minima miscibiliũ, quę etiã in una parte exquisita reperiri possunt, ęqualiter sibi approximari nequeũt undequaq; at ubi est inęqualis approximatio est impossibilis actio uniformis, & ęqualiter intẽsa;ergo terminus inęqualis,& diversus;ergo una particula continet partes inęqualiter tẽperatas,& non solum quoad primas qualitates,sed etiã,quoad secundas. Etenim pars exquisita,etiam minima, adhuc dividi potest in alias partes minores,& in qua minima inęqualiter approximãtur,etsi verum sit,quod sit parva,& non adeo imperceptibilis difformitas.

SED

SED ponamus exẽplũ. Accipiamus partem, ut dicunt exquisitã aliquotã, & determinatã ex mucrone cordis ad magnitudinẽ castaneæ, vel nucis, vel minorem si vis. Hęc est exquisita particula, sed in ea dantur partes correspõdẽtes, ergo conclusio infallibilis. Maior negari nõ potest; minorem probo, nam in ea invenies carnem, & fibras, quia cor totũ est fibrosum præsertim in eã parte. Sed caro, & fibræ sunt partes diversæ correspondentes diversis elementis, ergo intẽtũ. Maior constat ex Anatome; minor est per se nota, quia caro correspondet elementis ignis, & aëris fibræ vero elemẽtis aquæ, & terræ. Nescio quid negari possit in argumento. Et hoc quod verificatur in corde, verificari potest in alijs partibus. Neq; in fibra, aut in carne omnes particulæ proportionales sunt æquæ calidæ, aut dẽsæ.

NEQVE assequor quomodo recẽtiores accipiant partiũ diversitatem; arguit enim Maroja lib. de feb. ult. ex Petro Garcia. Cũ enim quælibet pars materiæ sit quãtitate affecta, ea pars quãtitatis, quæ præcisè afficit hanc numero partem materiæ est impossibile, ut aliam materiæ partem afficiat; ita enim quãtitas, aut aliud accidens inhæret subiecto, ut tota quantitas respõdeat toto subiecto, & pars parti, non tamen potest dici, quod pars præcissa quantitatis simul inhæreat pluribus partibus subiecti ob plura inconvenientia, quæ accumulantur ab illis.

PROFECTO vellem scire quorsum hoc argumẽtũ, & alia similia, nam etiam si concedamus totum illud, nihil contra nos; etsi enim quælibet pars materiæ sua donetur quãtitate, adhuc potest esse in mixto difformitas, æterogeneitas, dissimilitudo, & diversa correspondentia diversis elementis. Sit exemplum substantia hepatis affecta est sua quantitate sicut, & sua pulmo, ut neq; quantitas hepatis afficiat pulmonem, neque quantitas pulmonis hepar; hoc tamen non excludit partium correspondentiam diversis elementis: nam substantia hepatis maiorem densitatẽ

habet, ſubſtantia pulmonis maiorem raritatem; ex quo hepar magis correſpondet aëri, ut ſanguis ex cuius concretione generatur, pulmo vero magis igni.

Et in ſumma quamvis tota pars, verbi gratia, hepar ex ſecunda complexione; & contra operantia ſit calidum, quoad omnes particulas in quas dividi poteſt, venæ tamē eius ex prima complexione, & conſtitutione frigidæ ſunt quia partes ſpermaticæ, & magis correſpondent terræ, & aquæ, ut caro aëri.

Sit primum corollarium. Non loquitur textus de vera converſione unius elementi in aliud, quia quod verè tranſmutatum eſt, non manet, ſed tranſit in naturā tranſmutantis, quod repugnat verbis textus. Et omnia ſuum ſonum cuſtodiunt. Eo modo, quo in ſubſequentibus dicit, agreſtia in aquatica convertebantur non verè, & realiter, ſed quod tranſibat in aquam, ut quæcunque erāt natantia in terram tranſibant, ut dicit textus. Igitur converſio elementorum, de qua in hoc loco nulla alia poteſt eſſe, niſi converſio in mixta. Nam ſonus, ſeu harmonia quam faciunt elementa in mundo, quodadmodo immutatur in mixtis, quia virtutes, & qualitates elementorum, nō ſunt in ſummo, ſed refringuntur. Verum omnia ſuū ſonū cuſtodiunt, quia manent qualitates, & partes correſpondētes elementis in mixtis.

Sit ſecundum corollarium. Mirabilis eſt metaphora noſtri textus ex organo ſumpta. Nam ſicut in organo, & muſica dantur quatuor voces, alia dicitur Superior, alia Altus, alia Tenor, alia Baſſis. Ita in mūdo quatuor voces, ſeu elementa. Superior vox eſt ignis, aër Altus, aqua Tenor, & terra Baſſus, ſeu Baſſis. Et quemadmodum, ut ait textus, ſonus qualitatis immutatur in organo, & muſica, quia temperatur; pariter in mixto virtutes, & qualitates immutantur, quia temperantur. Subdit textus, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt, quia in mixto licet non rema-

neant

neant elementa remanent virtutes, & qualitates, & præter has plures partes, in quibus servatur sonus elementorum quatenus representant eandem harmoniam. Ignis enim representatur in corde, quod habet figuram pyramidalem. Aër in raris pulmonibus, aqua in cerebro, & humore aqueo oculi, & terra in ossibus: & hoc ut dicit textus, æstimari ex ipso visu certo potest.

SIT tertium corollarium. Prosequitur textus. Agrestia enim in aquatica convertebantur, & quæcunque natātia in terram transibant. Hic confusionem exprimit Sodomorum in fuga flagelli. Animalia enim agrestia se mina fugientia convertebantur in aquatica, & in lacū in flumen Iordanis terminatum sumergebantur, ubi non minus quam in terra percutiebantur. Quæcunque vero erāt natantia, quasi fulmina comercium haberent cum aqua in terram transibant, ubi non evadebant igneam, & sulphuream pluviam.


VLTIMVM corollarium. Consequentia sermonis prosequitur textus. Ignis in aqua valebat supra suā virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviscebatur. Quæ verba cōfirmant superiora. Valebat ignis supra suam virtutem, quia in quacunque pugna cum aqua ex vi actionis, & repassionis aliquid amittit propriæ intensionis; in aqua tamen Sodomorum, nihil degeneravit, imo potentior factus. Et quid mirum, si ut dicitur Genesis 19. Pluit Dominus ignem, & sulphur à Domino de cœlo. Et aqua, ut ait textus, extinguentis naturæ obliviscebatur. virtutem habet aqua extinguendi ignem, sed huius virtutis fuit oblita in casu Sodomorum, quia excusavit pugnam quantumvis minimam cum igne à cœlo exorto, potius enim contraxit amicitiam, cum illo quem per tot secula fovit, & fovet nunc, nam locus Sodomorum, usquæ in præsentē diem fumigat. Quod confirmat Sapientia cap. 10. ubi legitur: Hæc iustum apereuntibus impijs liberavit fugientē

 des-

descendente igne in Pentapolim quibus in testimonium nequitię fumigabunda constat deserta terra.

CAPVT XL.

EST homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Est homo marcidus egens recuperatione plus deficiens virtute, & abundans in paupertate. Et oculus Dei respexit illum in bono. Ecclesiastici *cap. 11.*


ÆC Nostra cōmētario tendit directè in illa verba, est homo marcidus egens recuperatione, quia ex medicina cōmodam accipere possunt explicationē, sicuti medica explicatio ex eisdē verbis commodam auctoritatē. Afferuntur tamen antecedentia, & subsequentia verba, quia conducūt ad omnimodam illorum intelligentiam.

PLVRES interpretes cum Cornelio á Lapide super hūc locum sic explicant verba. Est homo marcidus: id est languidus, torpidus, deses, ignavus, somnolentus laborans veterno. Sic Plinius in Panegirico vocat marcidúm somno. Et Ovidius 2. de ponto Elegia 9.

Otia marcescunt per inertes somnos.

Et claudianus 6. Panegiri: 8.

Otia marcida luxu.

Quin & Livius 8. belli punici. Equitē marcescere desidia Et lib. 3. belli Macedonici. Marcescere otio situque civitatem.

VERVM enimvero, ut insinuat medicina quin, & sa-

facra pagina, hæc non eſt genuina omnino interpretatio. Marcor enim propriè non eſt languor quamvis ſubſequatur ad illum; nec torpor nec deſidia ignavia aut ſomnolentia, quamvis quodadmodo ad huiuſmodi accidentia marcor ſubſequatur.

MARCOR ergo propriè eſt abſumptio ex deffectu alimenti proprij, & quia deficit humidum proprium, quod debebat reſtaurari, quia iugiter & neceſſario efluit: connotat marcor ſiccitatem, quæ introducitur defectu humidi ſubſtantifici. Probatur ex ſacra Pagina Ezechielis 19. vbi legitur: & ventus urens ſiccavit fructum eius, marcuerunt & arefactæ ſunt virgæ roboris eius, ignis comedit eam. Ecce quomodo marceſcere idem eſt quod arefieri & ſiccari. Iob cap. 30. ſic loquitur. Nunc autē in memetipſo marceſcit anima mea: Quod autem hic connotetur ſiccitas & ariditas confirmant verba ſubſequentia: comparatus ſum luto & aſſimilatus favillæ, & cineri. Eodem libro cap. 33. ſic loquitur Eliu: increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere facit. Sapientiæ capit. 2. dicitur; coronemus nos roſis, ante quam marceſcant. Eſaiæ 19. Legitur: & deficient flumina attenuabuntur & ſiccabuntur rivi aggerum. Calamus & Iuncus marceſcet. Et cap. 25. & quaſi calore ſub nube torrente propagines fortium marceſcere facies. Et in Epiſtola Iacobi capit. primo exortus eſt enim Sol cum ardore & arefecit ſęnum & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt, ita & dives in itineribus ſuis marceſcet.

GALENVS 4. de cauſis pulſuum capite de marceſcentibus ait: nomen hic affectus invenit à flammis marceſcentibus, quæ difficultate nutrimenti extinguuntur Et Paulo intra: in his enim corporis habitus univerſus ut carbo quidam factus eſt. Itaq; marcor, & marceſcentia abſumptionem ſignificat & ariditatem connotat.

AV-

AVCTORES vero Poëtæ languorem nominant marcescentiam, quia ad absumptionem defectu nutrimenti necessario subsequitur languor. Torporem vero, & dessidiā, ignaviam, & somnolentiam, quia huiusmodi accidentia subsequitur marcor; nā calor noster nativus duplici motu conservatur, uno ad spheram, & altero ad pabulum; ex alterutrius defectu languescit, & extinguitur. Torpidi ergo, & ignavi, aut somnolenti, calorem habent conversum ad pabulum, motu ad spheram privatum, ex qua parte languescit, & consequenter alimentum non conficit, neque renutritur; quocirca quamvis torpidi, & ignavi sint crassi, & abundent humoribus viscidis dicuntur marcidi, quia habent defectum veri nutrimenti, & humiditatis substantificæ, cui respondet sua siccitas, & ferè extinguitur calor.

RECTE ergo dicitur in sacro textu: est homo marcidus egens recuperatione; id est renutritione, & restauratione ne in totum absumatur, & exiccetur. Vtrum vero partes siccæ humectari possint substantificè dubium est non inelegans.

QVIA mors venit per putredinem, vel in putredine cōsistit, necessario disputandum parumper videtur, de causa senectutis, & mortis naturalis. Et cum dictum sit alio in loco, quod calor nativus sensim absumit suum humidum, examinantes an partes absumptæ à calore nativo posint iterum substantificè humectari resolvimus utrū mors posit vitari, & consequenter ex quo capite inevitabilis sit.

ET primò notandum, quod ut alibi diximus communis syndrome causarum, nempè aër, fulgines, animi pathemata, excrementa, &c. regulariter loquendo est causa senectutis, & tandem mortis, quia quamvis una, vel altera causa posit vitari adeo fragilis est humana conditio, quod omnes non posint. Quocirca opus est explicare, quæ sit, & ex qua parte intrinsecè inevitabilis. AVI-

AVICENNA inter causas connumerat aërem, qui continuo nos exiccat per consumptionem humidæ substantię. Sed hæc causa prorsus necessaria non est, quia in constitutione á prædominio humida nō potest introduci talis siccitas quantumvis hanc á cęlo deducant, nam corpora cœlestia agunt in hæc inferiora per combinationes calidi, humidi, frigidi, & sicci, ergo si contra operatur humiditas inferior siccitas superior nō introducetur, qualitates enim primæ à cœlestibus corporibus influxæ, eiusdem sunt speciei cum istis inferioribus.

INQVIVNT etiam, quod aër exiccet nostra corpora auferendo per impetum vapores humidos, qui exhalant à nostris corporibus, adhærescerent enim cuti, nisi per aërem separarentur, quod apparet in rebus exterioribus, quæ ab aëre exiccantur, quamvis enim vapor ex sua natura ascendat tamen multoties indiget ista ventilatione, & separatione. Verumtamen humiditas illa, quæ adhærescit cuti ad internam conservationem humidi substantifici parum confert, & quamvis aliquid adiuvet excludi potest à necessitate causæ.

MOTVS animi & corporis inter causas annumeratur, quia sunt duæ passiones sine quibus, vita non transigitur. Motus enim corporeus calorem auget, & substantiam humidam resolvit. Animi motus ad senectam conducere docet sacra pagina Ecclesiastici 30. ubi legitur: multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa. Zelus, & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus, cap. etiam 25. Proverb. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.

SED hæc non sunt ex necessitate causæ: quia possunt directo bono regimine, & victus ratione, quæ in corrigendis animi, & corporis motibus, versatur, vel vitari, vel plurimum temperari. Aliam causam proponit Avicena, corruptionis, scilicet multitudinem excrementi pituitosi, quæ

aggre-

aggregatur in senectute, pituita enim multa refrigerat calorem natiuum. Nomine verò pituitæ intelligit humorem crudum, qui resultat ex qualibet coctione & præsertim ex prima. Hæc causa una est ex his, quæ regulariter de facto senectam inducunt, prorsus tamen necessaria non est, quia possunt vitari alimenta cruda & proventus talium excrementarum expurgationibus.

FVLGINES etiam generatæ actione caloris in alimenta conducunt etiam ad corruptionem animalis: possunt tamen expurgari in corpore bene transpirabili, aut saltē noxa illarum alia via potest emendari. Cum hoc tamen stat quod in statu morboso & febrili cor calfaciant, ut inquit Gal. 1. de febribus.

DEMVM Avicena concludit necessitatem mortis, ex virtute nutritiva, nam si virtus esset infinita, & æqualiter & eodem modo restauraret, cum hoc tamen homo necessario moreretur; ergo à fortiori, cum virtus finita sit, & in robore & duratione & in modo, necessario interitus spectari debet. Ratio huius stat in hoc, nam si tota natura motuum immutetur non est possibile, quod virtus nutritiva quanquam infinita foret, restauret ad perpetuandam vitam; quia siccitas ætatis non clauditur intra terminos huius infinitatis. Exemplum declarat Avicenæ intentum, nā parum refert agens esse infinitum; si aliqua ex parte deficit aliqua dispositio necessaria, quam ipsum agens non suplet, aut non attingit. Verbi gratia. Virtus infinita ad nutriendum non potest facere, quod calor & siccitas non sint celeriores in agendo, quam humiditas; quia quamvis sit infinita in nutriendo, non attingit alia, quæ sunt diversi generis. Igitur cum exiccatio & resolutio semper anticipent suos terminos, quia principia resolventia & calefacientia sunt activiora hinc est, ut quanquam infinite restauraret concluderetur necessitas mortis. Adde quod virtus nutritiva requirit materiam circa quam versetur, potest

test autē humiditas reparativa, & reparanda præsens non esse, quod confirmat Hyp. lib. de dieta text. 69.

OBIICIES: non enim videtur possibilis mors naturalis si nutritio fit semper æqualiter sicut antea, tandiu enim vivimus, quādiu nutrimur; ergo si semper nutrimur semper vivemus. Antecedens illud probatur. Nunc vivo necessario, quia anima stat cum tali humidi, & calidi dispositione, ut impossibile sit me non vivere; ergo si altero die habuero illud idem humidum, cum eadem dispositione necessario vivam (hoc dicitur naturaliter supposita voluntate divina) ergo similiter altero die, & sic in perpetuum: hoc est falsum, ergo sententia Avicennæ falsa est. Exemplum est notum nam si dolium plenum sit vino optimo, & hauriamus inde semperque reponamus tantū & tale quale extraximus, non est dubitandum, quin illud dolium semper maneat in eodem statu, continens candē quantitatem, & qualitatem vini: ergo à simili si nutritione semper reparamur æqualiter & eodem modo, immortales erimus.

IN exquisita responsione huius argumenti involvitur vera causa senectutis, & mortis. Verumtamen ad argumentum communiter respondent contrarij, illi scilicet, qui negant pati humidum à suo calore: quod non nutrimur hodie sicut heri, quantum ad hoc, quod licet omnia eodem modo fiant, non tamen tolli potest gradus ille siccitatis, qui est in termino aquo; quia exiccatio est celerior, & anticipata, & membrum sic dispositum, non reponere valet, nisi ad pōsum suæ dispositionis. Quare negandum est, quod per nutritionem naturaliter factā semper acquiramus totum omnino, quod deperditū est quia involvit contradictionem quod assimilans non assimilet sibi.

SED contra responsionem plura possunt adduci. Nam quamvis hoc totum sit verum, non tamen probatur

cor-

corpus remanere siccius. Primo quia alimentum potest maiorem humiditatem præbere nutrito; nam quamvis aliquid patiatur à calore transmutante, conservat tamen bonam partem primarum & secundarum qualitatum. Nimirum nutritio fit, ad restaurandum id, quod deperditum est & de facto pars exhausta consequitur restaurationem talem; ergo per repositionem eius quod discusum fuit: discutitur autem humidum substantificum; ergo reponitur humidum, ergo nova accedit humiditas, talis verò est substantifica, quia est alimentalis, & transivit in substantiam partis. Exempli causa pars est sicca ut unum, alimentum accedens humidum ut duo; demus quod in repassione alimenti consumatur medietas gradus, semper alimentum præbebit maiorem humiditatem quam habet nutritum. Porrò etiam sicut exiccatio viventis fit corruptionæ humidæ substantiæ præcedente alteratione; ita humectatio substantifica fit generatione substantiæ humidæ, quæ est nutritio præcedente mutatione alterativa, quę duo possunt eodem tempore mensurari & fieri.

PASSIM experimur, quod homines quo ad consistentiam partium omnium corporis, crassitiem nempè & mediocritatem in primis qualitatibus, redolent victum & cibos quibus frequentius utuntur: non exiguam enim energiam habent alimenta non solum in partes, sed etiam in mores, igitur possunt immutare temperiem, quæ sæpissimè immutatur; hæc verò immutatio non solum fit, quo ad primas qualitates activiores calorem puta & frigiditatem, sed quoad pasſivas humiditatem & siccitatem & has quidem substantificas, namque ut humidum evadat corpus humiditate excrementia non requiritur immutatio, sed solum ingestio crudorum ciborum, & illorum imperfecta concoctio.

PRÆTEREA pasſim hectici incipientes curantur convenientibus remedijs & opportuna humectatione tam

intrin-

intrinseca ciborum, quam extrinseca medicamentorum. Igitur prima illa consequentia verificatur, nempè, quod alimentum potest maiorem humiditatem præbere nutrito. Tum præter illud quod aliqualis illa siccitas, anticipata ut dicunt & celerior, potest pensari, in illa maiori humiditate quam adducit alimentum, & in instanti nutritionis, quo manet assimilatum restauratur, quod in maiori tempore & anticipata mora deperditum fuerat; convenienti epicrasi ciborum, qua sufficiant concoqui sine proventu excrementorum & debita electione, qua facilè & sine illorum copia fiat præparatio ad nutritionem.

RESPONDET Sanctacruz, quod siccitas ætativa non potest impediri licet possit remorari, quia quibuscunque positis semper exiccatio anticipat: si vero exhibeatur alimentum humidum satis, & ita á prædominio humidum, ut vincat omnes causas exiccantes, necessario sequetur unum è duobus: si corpus morbosum est à prædominio siccitatis quale est hecticum reducetur ad pristinam siccitatem; servato semper ætatis progressu. Nam puer hecticus sidum curatur ad pubertatem transit, manifestum est, quod attinget istam ætatem sine siccitate morbosa; sed cum maiori siccitate ætativa, si autem corpus non sit morbosum, aut lapsus versus siccitatem sed temperatum proculdubio morbus humidus causabitur, & non restaurabitur deperdita substantia pro vita extendenda, sed pro morte acceleranda. Debet enim maxime exuperare humiditas, ut tot talesque causas exiccantes vincat, & quantitate & qualitate & celeritate agendi.

SED multa involuit eruditus vir quælibet expendere pro intelligentia veritatis, repugnantia namque sunt. Et in primis certum est, quod in febre hectica absumitur humiditas illa substantifica, quæ pabulum est in nostra sententia verum & reale caloris nativi cuius defectu introducitur siccitas morbosa. Ergo si reducitur corpus hecticum

cum ad pristinam sanitatem, & puer attingit sequentem ætatem sine siccitate morbosa, ut inquit Sanctacruz: verissima est illa consequentia superior; quod alimentum potest præbere maiorem humiditatem nutrito; & ex consequenti, quamvis introducatur siccitas ex causis celerioribus, & activioribus corrigi potest ab alimento humido.

ALTERA pars, quæ adducitur, nempè, quod attinget puer hecticus si dum curatur ad pubertatem transit, istã ætatem sine siccitate morbosa, sed cum maiori siccitate ætativa, ridicula est certè, nam humiditas ætativa, ut utar suo novo vocabulo, eadem prorsus numero est; quę in hectica absumitur, & quæ corrigitur per humidiora alimenta, quæ assumuntur in curatione hecticæ. Patet nam siccitas ætativa est defectus humidi primogenij substantifici; siccitas autem morbosa isdem est defectus eiusdem humidi substantifici; atque ita ridicula est distinctio de siccitate ætativa, & siccitate morbosa hecticorum.

ET ne aliquid in tactum relinquatur, quod pertineat ad evidentiam huius falsitatis; ostendo etiam, quod in hectica absumatur eadem illa humiditas, quæ decursu ætatis effluit, & consumitur à causis exiccantibus, & senectam inducentibus. Idque ex Galeno 1. de diff. febrium 8. ubi ita scribit: Quæ igitur febres hecticæ appellantur duplici via ortum habent; magna quidem ex parte ex ardentibus febribus, quæ tantum protrahuntur, ut longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum consumãt: vel fieri potest, ut eius adhuc magna portio reservetur. Illæ vero non tantum hecticæ sunt, sed tabidæ etiam. Quæ autem manente adhuc humiditate generantur, ubi cordis corpus occupaverint hinc maximè accenduntur, quemadmodum lucernæ flamma ex fomite. Hæc Galenus. Videant adversarij qua ratione Galenus, velit, quod absumatur in hectica humidum substantificum cordis.

DI-

DICES forsam, quod humiditas substanfica absumpta iam in febre hectica, restaurari non potest per nutritionem, quia talis febris incurabilis est modo statim initio non assumatur curanda, ut ostendit experientia. Sed Galenus eodem dicto loco paulo infra respondet, asserit enim, quod febris hectica antequam abierit in tabem curari potest tabida vero incurabilis est: ipse autē eodem loco tabidam vocat in qua humor in corpore cordis contētus ferè totus absumptus est; altera vero, quæ tabida nō est in qua eius adhuc magna portio reservatur. Ex quibus verbis infertur, quod hæc, quæ curabilis adhuc est aliquā portionē humidi habet consumptā ex vi febris, & tamen nutritionē admittit. Quid ergo? si alimentum potest maiorem humiditatem prębere nutrito vitari possunt senectus, & mors? Nimirum in pueritia, ætas quidem, quia parum distat à primordijs generationis nō parū humida humiditate substantifica, siquidem præ copia illius incremento non exigua suppeditatur ad partium dilatationem, si opportunè cibi exhibiti congruenti victu, & qualitate, & quantitate haberetur cura, adeo ut conservaretur humiditas, nedum illa augeretur renutritione, posset, vel senectus retardare, vel in longū protrahi vita, quia alijs causis sufficeret providentia aliorum remediorum.

CERTE quidem pro comperto habemus, quod calor noster nativus iugiter agit in suū humidum; renutritio autem possibilis est, & quod aliquando alimentum reddat vivens, quodadmodo humidius seipso; nam quamvis alimentum assimiletur secundum substantiam potest assimilare partem quantum ad qualitatem.

RADIX vero senectæ, & mortis, & responsionis argumenti, cui hucusque difficile responsum consistit in hoc. Huiusmodi rehumectatio substantifica fit nutritione hoc est assimilatione alimenti, & conversione illius in partem viventis, atque ita corpulenta substantia ali-

menti, quæ transit in naturam partis, reponitur loco substantiæ illius deperditæ, & unitur præexistenti particulæ. Ex quo sequitur viventi duplex commodum, quod pars illa regenerata potest esse humidior, ea quæ effluxit; & ex unione ad partem præexistentem, hæc quodammodo humidior redditur. Ex hac autem duplici commoditate non omnino succurritur intrinsecè siccitati, penes quam homo indies arescit. Tum quia pars humidior regenerata unitur præexistenti; minimè autem (hoc apprime notandum) penetrat illam: quocirca ex hoc capite nequaquam humectatur antiqua per intrinsecam cõmunicationem. Tum etiam, quia licet ex viccinia, antiqua quodammodo humectetur, non intrinsecè, & secundum minutissimas partes; nam humiditas est qualitas passiva non activa, eaque migrat in subiecto: Subiectum autem non potest penetrare minutissimas quasque particulas antiquæ eo quod corpoream habet substantiam, & quantitativam.

IGITUR ex hac parte deducitur, quod plures partes antiquæ manent cum sua siccitate, minimè reparatæ defectu penetrationis, tam humiditatis, quam substantiæ humidæ. Quod si calore paulo intensiori præditum alimentum, ut penetret, ex una parte calfaciendo, & absumendo nocet, quantum ex altera iuvat humectando.

AD argumentum. Alimentum potest maiorem humiditatem præbere nutrito distingo propositionem, maiorem humiditatem inæqualem concedo; æqualem nego. Tum etiam per nutritionem optimam possunt regenerari plures partes humidæ, concedo: per nutritionem præcissè, antiquiores humectantur eodem gradu quo sunt regeneratæ, nego.

IN febre hectica, quæ curatur per nutritionem lactis, id acquiritur, quod regeneratur aliqua substantia de novo loco deperditæ, humidior quidem quam quæ abijt, & præexistens tamen, quia unitur huic præexistenti, neque eã

pe-

penetrat, illam intime secundum omnes suas minutissimas particulas non potest humectare tametsi ex viccinia, quodadmodo humidior secundum aliquas evadat.

In febre ergo hectica curata proculdubio remanent plures partes cum siccitate semel introducta, quia alimentum unitur parti præexistenti, & humiditas nō potest penetrare penitissimas. Cum hoc tamen, quia plures sunt restauratæ, attemperatus fuit calor febrilis, & siccitas quodadmodo correcta.

Sit primum corollarium. Ex dictis infertur qua ratione homo marcidus possit recuperari: patefit radix profunda nostræ mortalitatis; & ostenditur, quid sit propriè marcor.

Secundum corollarium. Quantum colligi potest textualiter; illi duo homines. Est homo laborans, & festinans: est homo marcidus egens recuperatione; sunt correlativi. Illum vocat textus impium, hūc vero dignum oculis Dei, siquidem ait: & respexit illum oculus Dei in bono. Ex quibus etiam non leviter adducor, ut credam marcidum non posse significare, quod dicti plures interpretes volunt; nē pé languidum ignavum torpidum, & veternosum, aut somnolentum: & ultra probationem allatam in principio commentationis, hæc verba suadent, nā videtur, quod homo veternosus, & torpidus, non sit ille quem oculus Dei respexit in bono. Marcidus vero, squalidus, aridus, & consumptus, sive ab abstinentia, sive à penuria ciborū, sive à morbo, proximus magis videtur, ut sit obiectum oculi Dei. Hæc ad nostram consolationem dicta sint potius quam ad doctrinam.

CAPVT XLI.

OMnis caro ſicut fænum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia deijciuntur: ſic generatio carnis, & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur. Eccleſiaſt. *cap.* 14.



ITERVM Hic ſicut in toto capite recolitur memoria ſenectutis, & mortis, eſt enim lux, quæ antecedens illuminat hominem. Cũque non omnino exhauſtę ſint, & inanitæ difficultates, quæ circa hoc punctum oboriuntur, non ab re fuerit, eas iterum reſumere ad utilitatem tum intellectus tum voluntatis. Explicabimus textum quantum rigidé poſſimus.

PLERIQVE interpretes cum Cornelio Lapide ſuper hũc locum, per generationem carnis, & ſanguinis, quæ alia finitur, & alia naſcitur intelligunt generationem ſpeciei, & generis humani, in qua continuo fluxu, & ſucceſſione homines generantur, & homines intereunt: moriuntur fortes, naſcuntur debiles; moriuntur debiles, naſcuntur fortes, & ſic de reliquis humani generis cõditionibus. Ego autem explicabo locum in uno homine individuo, in quo oſtendam iuxta meum inſtitutum phyſicum, quod generatio carnis, & ſanguinis alia finitur, & alia naſcitur, quemadmodum in uno, & individuo arbore, alia folia generantur, & alia deijciuntur.

VBI deſinit commentatio textus capitis undecimi Eccleſiaſtici, incipit hæc. Diximus, quod in homine rehume-

&a-

ctatio substantifica fit nutritione hoc est assimilatione alimenti, & conversione illius in partem viventis; atque ita corpulenta substantia alimenti, quæ transit in naturam partis reponitur loco substantiæ illius deperditæ, & unitur præexistenti particulæ. Ex hac autem commoditate non omnino succurritur intrinsecè siccitati penes quam homo indies arescit. Tum quia pars humidior regenerata unitur præexistenti, minimè autem penetrat illam; quocirca ex hoc capite nequaquam humectatur antiqua per intrinsecam communicationem. Tum etiam, quia licet ex viccinia, antiqua quodadmodo humectetur, non intrinsecè, & secundum minutissimas partes, nam humiditas est qualitas passiva non activa, eaque migrat in subiecto, subiectum autem non potest penetrare minutissimas quasque particulas antiquæ eo quod corpoream habet substantiam, & quantitativam.

ECCE qua ratione in unoquoque homine vera est propositio sacri textus, quod generatio carnis, & sanguinis alia finitur alia nascitur: Finitur alia, quia in continuo effluxu, & perenni triplicis substantiæ evaporante calore proprium humidum, deperditur substantia partium, atq; ita finē habet. Alia nascitur, quia loco deperditæ substantiæ media nutritione, quę generatio est substantialis, nova pars suboritur, quia corpulenta substantia alimenti transit in naturam partis, & reponitur loco illius deperditę, atque unitur præexistenti particulæ, nam ut ostendimus, ita reparat alimentum partem antiquam, ut nequaquam illam penetret, sed per aggenerationem uniatur pręexistenti.

HINC mors inevitabilis; nam plures partes remanent cum siccitate semel introducta, quia alimentum unitur parti præexistenti, & humiditas non potest penetrare penitissimas.

DICES in parte de novo regenerata co[illegible] potest calor, & humiditas substantifica; ergo ni[illegible]ert [illegible]ltera dissipetur. Antecedens patet; quia alimen[illegible] per [illegible]smutationē substantialem quam aggenerati[illegible] voc[illegible] philosophi, transit in naturam partis, cum [illegible]ositionibus prærequisitis, ad introductionem, & con[illegible]one[illegible] formæ substantialis; igitur in tali parte con[illegible] potest calor, & humiditas substātifica; alioquin pabul[illegible]ius, ac subinde mors retardari, & vitari senectus. H[illegible]ditas enim primogenia etiam habuit originem ab alim[illegible]tis, fuit nāque humiditas seminis, quod ex alimento ta[illegible]m fuit originatum. Consequentia primi entymematis [illegible]atet, nam non videtur necessarium, quod vivens sit id[illegible] numero toto vitæ tempore permanenter. Sed successione dumtaxat, non secus, ac fluminum aqua, quæ eadem non remanet toto tempore quo unum, & idem dicitur flumen, sed altera alteri succedit, quibusdam defluentibus, & pereuntibus in mare, quibusdam autem de novo accedentibus. Idem videtur contigere nostris corporibus, in quibus cōtinuus est effluxus nostræ substantiæ cui per nutritionem continuo alter succedit. Quod etiam insinuatur in verbis nostri textus; sic generatio carnis alia finitur, & alia nascitur successione potius quam permanentia partium.

PRO responsione ad argumentum. Scotus affirmavit toto vitæ tempore non manere idem numero vivens, nisi secundum quandam æquivalentiam. Divus autem Thomas, & cum eo melior schola tenet idem esse. Nam corpus nostrum non est sicut ligneus pons, qui tractu temporis diversus prorsus est ab eo, qui primus fuit fabrefactus nam primæ tabulæ, & ligna dissipata defecerunt, quorum loco nova reposita sunt omnia, dicitur tamen unus per æquivalentiam, ut ait Scotus. Ad argumentum. Prima consequentia falsa est, nam multum nocet, quod pars præcedens dissipetur, quia, ut nuper dicebamus æqualiter

non

non rehumectatur substantificè ob defectum penetrationis.

Ex altero capite falsa est consequentia; nimirum, quia licet verum sit, quod caro communium musculorum, & fibrarum, & plures aliæ partes, quæ ex semine ortum duxerunt possint dissipari vita superstite; quia scilicet substituuntur ex vi renutritionis aliæ similes, & similem habentes substantiam. Verumtamen huiusmodi lex comprehẽdere non potest parenchymata viscerum, quia maior pars illorum, quæ ex semine ortum ducat debet servari, usque ad mortem, & quia non servatur ob dictas causas senectutis, necessario advenit senium: Hãc doctrinam insinuare videtur Galenus 1. de diff. febrium cap 8. scribens. Quæ igitur febres hecticę appellantur duplici via ortum habẽt, magna quidem ex parte ex ardentibus febribus, quæ tantùm protrahuntur, ut longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum consumant, vel fieri potest, ut eius adhuc magna pars reservetur; illæ vero non tantũ hecticæ sunt, sed tabidæ etiam. Hæc Galenus. Igitur febres tabidæ, quæ in sententia Galeni incurabiles sunt, ideo curationem respuunt, quia humorem in corpore cordis cõtentum, consumptum habent, quia vero reliquæ hecticæ magnam eius adhuc portionem servatam habent, curabiles sunt.

In hac clausula consistit vinculum mortis, & intrinseca necessitas, reliquæ enim sunt extrinsecæ & magis congenitam habemus nostram mortalitatem, quam, ut eam mendicemus a cibis, fuliginibus, & ambiente, quamvis, & hæ sint concausæ.

SED aptissimè dubitabis pro completa intelligentia. Qua ratione mors est violenta si latet in nobis principiũ naturale moriendi: aut qua ratione dicitur mors naturalis, cum sit terminus corruptionis, corruptio autem cuilibet enti sit præternaturam?

D. Thomas 2. de cœlo lectione 9. sic scribit: Senectus est præternaturam rei particulari, quia est corruptio, & decisio illius virtutis conservativæ, & contra illius finem naturalem, illa enim semper intendit se conservare, & suum individuum. At vero senectus est secundum naturam universalem, quia natura universalis bonum universi respiciens etiam agit ad corruptionem propter generationem aliarum. Hæc D. Thomas. Si vero interroges, quæ sit ista natura universalis, Respondent interpretes sacri Doctoris, quod est virtus activa corporis cœlestis in hæc inferiora.

SED dubitant Doctores, quare nullam mentionē fecerit Angelicus Doctor viventis, sed solum virtutis cōservativæ illius nonne verè senescit, & corrumpitur vivens?

SECVNDO dubitant, quia virtus conservativa viventis constat ex qualitatibus, & virtutibus elementorū: tales autem qualitates in illo complexę vinculis detentæ violentiam patiuntur, & semper aspirant ad propria principia. Quomodo igitur illis est violenta mors, quæ aditum liberum præbet, carcerem aperit, & suo fini illas coniungit?

TERTIO Senectus est propria passio viventis corruptibilis: at virtus conservativa non est vivens: Quare ergo relicto subiecto virtutem senescere docet?

AD primam dubitationem dicitur rectè D. Tho. de virtute solū agere conservativa, quia ad eius defectum, & dissolutionem vivēs marcescit, quod etiam proprium est omnium dispositionum, quæ formam conservant in materia, non enim aliter contingit corruptio.

AD secundam dicitur, quod aliud est loqui de qualitatibus, ut soboles sunt elementorum: aliud ut iam cōstituunt temperiem, seu virtutem conservativam formæ elevatioris mixti, aut viventis; sic enim iam sunt elevatæ ad altiorem temperiem, ut possis dicere cū proprietate virtus ista non fuit elementorum, neque conatur ten-

de-

dere ad elementa, sed diligit vincula complexionis, ut se, & formam servet in materia, & nihil potest illi accidere magis præternaturam, quam separatio, & dissolutio qualitatum. De hac ergo virtute loquitur D. Thomas, non de qualitatibus solitariè acceptis.

NEC obstat, quod dixerit Arist. manere virtutes elemẽtorum in mixto (nam posset inferre aliquis; ergo virtus conservativa viventis, est elementorum, quod est cõtra dicta.) Etenim qualitates primæ ubicunque sint appellantur virtutes elementorum. Sed virtus, & temperies resultans pro altiori forma neutiquam est virtus elemẽtorum, sed in vivente virtus quædam animæ gubernacula participans. Calor fuit ignis, frigiditas fuit aquæ; sed virtus resultans pro forma elevatiori, nihil habet cum elemẽtis, ut quærat illorum spheras. Igitur senectus præternaturam est virtuti conservativæ.

AD tertiam dubitationem patet, quid sit dicendum: non mireris, quod virtus conservativa viventis (propriè loquendo) senescat; nam neque vivens senesceret, nisi illa marcesceret. Si elementum ignis, quia alia tria præcellit viventibus communicat saltem in idiomate (asserimus enim ignem vivere, & mori) quãto melius, & verius dicemus virtutem nostram conservativam vivere, & ætates subire viventis, quæ animæ influxibus subdita verè talis est? Modo igitur explicato senectus, & illam consecuta naturalia aut præternaturam dicuntur. Hæc est doctrina communis, bona.

SED semper viget difficultas, & turbat dubium quomodo senectus sit secundum naturam universalem, & natura universalis bonum universi respiciens agat ad corruptionem propter generationem aliarum. Natura enim universalis in individuo iam est coarctata, & facta particularis, atque exuit universalitatem, & induit particularitatem, quocirca intendit conservatio-

nem

nem ſivi individui ex qua parte non poteſt, non eſſe omnino præternaturam.

SIC explicatur dubium, & D. Thomas. Mors eſt violẽta ſimpliciter, quia eſt contra naturam reluctantem, quæ intendit ſuam conſervationem. Fit etiam à principio extrinſeco, nempè à calore in quantum calor eſt: & paſum non confert vim, quia facultas, & calor in quantum nativus non conſerunt, imò reſiſtunt. Mors eſt naturalis ſecũdum quid, quia fit á calore non prorſus gubernato à facultate, ſed abſumente, & evaporante ſuum humidum. Quã vis enim calor nativus ſit inſtrumentum animæ, & quatenus regitur à facultate conſervet: Verum enimvero aliquando gubernari non poteſt, nec ſemper gubernatur, quin abſumat, & agat ad corruptionem, quia nec ſemper eſt exquiſitum inſtrumentum, nec etiam ſi ſit regi poteſt exacte. Cultellus acutiſsimus bonum eſt inſtrumentum ad ſeccandum; aliquando tamen plus ſeccat quam vellit artifex, & idem contingit in omnibus inſtrumentis. Et quia natura univerſalis deſtinavit tale inſtrumentum caloris, quod multoties male gubernatum à facultate operetur abſumptionem humidi propter generationem aliarum rerum, dicitur á D. Thoma, ſenectus, & mors ſecũdum naturam univerſalem.

SIT unicũ corollarium. In textu manifeſtatur doctrina, inquit enim, quod caro veteraſcet ſicut foliũ fructificans in arbore viridi. Citius enim veteraſcunt folia, quæ ſunt circum circa fructum, quam reliqua, quæ ſunt in arbore; quia folia corrumpuntur propter generationem fructus: ſicuti homines, qui magis generant filios citius interunt quam cœlibes, aut ſteriles.



CA-

CAPVT XLII.

G*Ratiam, & speciem dessiderabit oculus tuus, & super hoc virides sationes.* Ecclesiastici *cap. 40.*



CONFERENTIAS quasdam correlationes, & cõparationes facit sacra pagina hoc in loco. In superiori periodo inquit: tibiæ, & psalterium suavem faciunt melodiam; & super utraque lingua suavis. In præsenti: Gratiam, & speciẽ dessiderabit oculus tuus, & super hoc virides sationes. In sequenti: amicus, & sodalis in tempore convenientes, & per utrosque mulier cum viro. Proponit duo obiecta oculorum, quæ ab ipsis appetuntur; primum est: Gratiam, & species; alterum virides sationes; illud est possitivum, hoc vero comparativum: illud delectabile; hoc delectabilius, & securius: illud obiectum secundarium, hoc primarium.

GRATIA hic proculdubio sumitur pro pulchritudine, & venustate, quemadmodum in Proverbijs cum dicitur: Fallax gratia, & vana est pulchritudo. & Genesis 18. Domine si inveni gratiam in oculis tuis, & pluribus alijs in locis. Idem significat species, ut ex quam plurimis constat, & in capite ultimo Iudith. Sed Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.

DICIT ergo gratiam, & speciem hoc est venustatem, & pulchritudinem tanquam obiectum delectabile dessiderabit oculus tuus. Cum autem pulchritudo consistat in bona concinnitate, & compositione membrorum, ut ait Cicero 1. offic. pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipso, quod in

ter

ter se omnes partes, quodam lepore consentiunt. Et quãvis calor conducere videatur ad pulchritudinem, quid accessorium est, & minus essentiale: & patet nam possunt duę mulieres diversi coloris esse in suo genere pulchræ videlicet quarum altera sit candida, & alba, vel rufa, vel sub nigra modo habeant exquisitam partium, & membrorum concinnitatem: & videre licet in sybillis, quę omnes pinguntur pulchrę, & earum una est Ætiopissa: huc alludit Canticorum nigra sum, & formosa.

His posiitis dubitatur, qua ratione si pulchritudo cõsistit in consonantia partium potest esse obiectum oculorum, quod essentialiter est color. Consonantia hęc consistit in quadam magnitudine, numero, & debita distantia, nihil autem horum est color, & quemadmodum unica est potentia visiva, & facultas; ita unicum debet esse obiectũ tribuens specificationem; nam ex Aristotele, potentię specificantur per actus, & actus per obiecta: nemó autem dixerit illud non esse colorem. Igitur magnitudo, & distantia non videntur posse videri, quia non sunt colores. Sit exemplum. Intellige videre me duo corpora, quorum alterum album sit, alterum nigrum. Quod nigrum est sit duplo distantius altero. Utrunque horum visu iudicó, & corpus hoc esse album, & propinquum. Quod quidem album est specie candoris sentio; quod propinquum, non aliter potest videri quam, aut specie alia, aut illius eiusdem speciei modo alio: sed horum alterum est ridiculum; quod enim distantię, aut propinquitatis sit propria species est ridiculum. Quo diverso modo se habens, eadẽ coloris species representet propinquitatem, & distantiam caret veritate. Nam quid aliud habere potest species ex multa distantia ad oculum veniens, quam ex parva, pręter quam quod ex multa distantia remissior iam oculos attinget, ex parva veniet intensior? Sed intensior species intensum videri faciet colorem non propinquum; remis-

sior

sior remissiorem non distantiorem. Quare fieri potest, ut color, qui remotus est videatur remissior, etsi intẽsior sit; qui vicinus contra videatur intẽsior, & si sit remissior. Sed qua distantia, & propinquitas videri possint nulla via restat. Præterea, neque qua videatur magnitudo. Dices fortasse, species ipsa repræsentat cum magnitudine quadã & extensione. Sit ita. Sed intellige mihi duo corpora, quorũ alterũ sit omnino parvum, sed maximè propinquum; alterũ magnũ, sed remotum. Fiet, ut maiorem locum occupet in oculo species parvi corporis quã magni. Nã species parvi, quia propinquũ est implebit pupillã totã: magni, quia est remotum, cum species semper tendat in acutũ fortasse alteram pupillæ partem non implebit; tamẽ videmus hoc magnum esse illud parvum. Quanquam huius speciem hauriamus oculis cum maiori extensione, illius cum minori. Igitur nulla commoda via est videndi distantiam, & magnitudinem, & cum in his benè concinnatis cõsistat pulchritudo membrorum, & corporis, neque pulchritudo propriè videtur, sed color.

PROPTER hoc argumentũ Vallesius in controversijs c. 30. tenet visionem non solum fieri receptione specierum venientium ad oculos, sed etiam extramissione facultatis, & spiritus ad dimetiendam magnitudinem, & spatium, sed quidquid sit de hoc puncto, de quo in præsenti nõ dis puto. Nõ videtur necessariũ confugere ad extramissionẽ facultatis, ut iudicetur magnitudo, & distãtia obiecti. Sed hæc mensurantur per visionem. Quãvis enim color sit obiectum visus unicum, est accidens corporeũ, & extensum ac proinde mittit species repræsentantes eandem extensionem. Distantia autem non percipitur per propriam speciem, sed videndo medium tantæ magnitudinis, & extensionis. Cũ hoc tamen stat, quod magnitudo, & distantia, quia videntur per speciem coloris, quamvis uno ictu oculi repræsententur in confuso, clarius postea mensurãtur,

tur, nova reflexione visionis, & ratione applicata, hoc enim modo dimetimur magnitudinem, & spatium.

Ad argumentum Vallesij. Distãtia, aut proximitas obiecti iudicantur videndo medium tantæ magnitudinis, & extensionis. Magnitudo vero iam videtur in colore magis, vel minus extẽso. Medium ergo, quia est luminosum per se videtur, & non indiget colore, quia lumen est excellens obiectum. Et hinc deducitur falsum esse, quod assummit Vallesius distantiam solum nosci ex remissione, vel intensione speciei venientis, vel à propinquo, vel á remoto obiecto; sed ab specie propria medij, quod illuminatũ videtur. Dumtaxat quando ignis videtur in obscuro iudicatur distantia modo, quo ait Vallesius; nam cum mediũ non possit videri, mensuratur distantia ex modo, quo afficit species oculum, vel remissius, vel intensius. Quapropter difficillime dimetimur quando videmus in obscurissima nocte ignem distantem ipsammet distantiam utrum magna sit, aut parva.

Ad ultimam instantiam Vallesij, quæ facere videtur contra hanc responsionẽ, dicimus: quod species parvi corporis, quia proximi non implet pupillã totam, non enim est diversi generis, aut magis materialis, quia representat propinquum, quam quæ remotum, quamvis cæteris paribus habeat maiorem activitatem. Nam species venientes à distante obiecto reproducunt alias in medio in communi sententia, ac proinde repræsentant obiectum cum magnitudine quam habet, & quæ à proximo non cum maiori. Et fallitur Vallesius cum dicit, quod species semper tẽdat in acutum, hoc enim propié non convenit speciei, sed radijs visorijs, hi enim circa pupillam subtiliantur in pyramidem, & coeunt in auxe, aut in linea, quæ dicitur centralis, & conus.

Igitur ea, quæ pertinent ad pulchritudinem, ut concinnitas membrorum debita magnitudo, numerus, &

par-

partium proportio, & distantia sunt obiectum oculorũ, & videntur, quædam per propriam speciẽ, ut color, quædam per alienam, ut partium debita distantia: proinde dicit noster textus: Gratiam, & speciem desiderabit oculus tuus.

PROPONIT deinde alterum obiectum, nempè virides sationes tanquam melius in comparatione, quod denotat particula (& super hoc.) Deducitur physicé ex his, quæ diximus, nam color est proprium obiectum visus, quia videtur per propriam speciem.

MVLTA possem afferre hîc de coloribus, quæ brevitatis causa prætermitto, & breviter dico colorẽ non fieri ex proportione lucidi cũ oppaco, ut tenet Mercatus, alias colores columbi in collo visibiles essent veri, quod negat tũ experientia, tum Doctorum cętus, dumtaxat enim apparentes sunt, ast fiunt ex proportione lucidi cum oppaco. Neque ex certa proportione primarum qualitatũ, ut tenet Garcia Complutensis; quia calidum, & humidum à principio vitæ, usque ad mortem senio confectam transit per innumerabiles proporciones primarum qualitatum, sine mutatione plurium colorum. Probabilius est fieri ex varia mistione elementorum, & modo substantiæ.

COLOR viridis maximè delectat visum, quia inter extremos colores medius est fit enim ex colore flavo nigredini per mixto, quod etiam pictores imitari solent. Color albus disgregãdo visum, & niger congregando noxij sunt. Viridis, neque congregat sine lumine, ut niger, neque disgregat sine corrobatione, ut albus. Hoc intellige in statu salubri, nam in statu præternaturam, & morboso aliter contingit. Nam si visus defatigatus sit delectabitur potius colore fusco quam viridi, quia fuscus cogit, quodadmodo citra violentiam visum disiunctum. Quod si visus affectus fuerit præternaturam, tunc certè voluptatem percipiet ab eo colore, qui contrarius est colori, qui affectum in ocu-

oculis genuit, ut siquis visum imbecillum habeat ex vehementi solis splendore huic certé utilissima erũt, quæ atro colore tincta sunt. Zoar primò Teisir affirmat, quod aspicere oculos asinorum silvestrium maximè confortat visum. Quod vel provenit ex proprietate, vel quia tales oculi maximè virides sunt. Sic etiã lapis Smaragdus oculum corroborat splendenti illo, & iucundo virore, & maximè omnium color viridis herbarum sationum, & agri visum, & delectat, & confortat. Quantum sublevat melãcolicos agri viriditas? Quantum Ioviales exhilarat præsertim quando levi pluvia madet, & nativus color vigescit? Cum fecit Deus Noe promissiones, & tradidit ei omnia viventia, omnia offert, quasi fasciculum pulcherrimũ sic enim ait: & omne, quod movetur, & vivit erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Pulcherrimus est color viridis herbarum, etiam quasi in Dei æstimatione sic enim, ait Matthęi cap. 6. & de vestimẽto, quid soliciti estis considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent; dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum existis. Et quia loquimur de his, quæ visum confortant nolo silentio prætermitere, quod sicut sine dispẽdio potest prodesse mortalibus, ita eos elevare ad considerationem mirabilium Dei. Pater meus cum esset senex, & visus debilitatem haberet qua de re cõspicilijs uteretur, cœpit remedium exercere (nescio à quo accepisset) cum magna utilitate, & visus confortatione, cum enim quinquagenarius sine conspicilijs non videret ferè septuagenarius sine illis legebat. Remedium erat. Singula quaque nocte dummodo cœlum esset serenum, & sine nubibus per quartam horæ partem plus minus stellas intueri fixis oculis; & hoc cõtinuabat quoties talis esset tranquillitas. Remedium admiratus, & causam ignorans effectus, iam ego cœleste collyrium, & sine pretio pretiosum summo quandoque, neque

que fine fruftror, fed proculdubio multo minorem in ocu lis hebetudinem fentio, & maiorem acuitatem. Caufam eventus reddere forfam nõ potero, neque remedium, aut legi, aut ab alio audivi. Non erit ab re cogitare ftellas per radios vifuales lumen fuum communicare, quod lumen internum oculorum, & augeat, & confortet. Sol afpectus lædit vifum, quia luminare eft proximius, & copiofo lumine difsipat lumen oculorum, ftellæ vero diftantifsimæ, temperatius emittunt lumen. Vnufquifque experiri poterit remedium, & facile, & parvi pretij; & quod faltem mentem elevat ad cœlum. Hoc folum animadverfum volo ex intuitu ftellarum caput quodadmodo exiccari, & vigiliam induci, ut obfervavi; & hoc etiam conducit ad vifum in capite humido.

SIT primum corollariũ. Species, & gratia, aut pulchritudo corporis oculos lętificat, ut ait textus, verum multo magis virides fationes, ut ifdem dicit, quia viriditas hæc pulchrior eft, & proinde dicitur Pfalmo 49. *Pulchritudo agri mecum eft.*

SECVNDVM corollarium. Hæc fententia doctrinalis eft mihi, & hũc fenfum efficit. Licitum eft, quod appetat oculus tuus gratiam, & fpeciem hoc eft venuftatem, & pulchritudinem five viri five mulieris fine fufpitione mali finis ad laudes Dei extollendas, qui mirabilem illam partium harmoniam formavit. Verum fuper hoc defsiderabit oculus tuus virides fationes, quia obiectum eft magis fecurum, & quod mentem elevat ad Deum contemplandum. Hoc confirmatur ex verbis facri textus cap. 24. ubi legitur: Omni homini noli intendere in fpeciem, & in medio mulierum noli commorari: de veftimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.

(.?.)

CAPVT XLIII.

F*Rigidus ventus Aquilo flavit, & gelavit cryſtallus ab aqua ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis*. Eccleſiaſtici 43.



VPER Textum lib. Iob cap. 37. Tonabit Deus in voce ſua, &c. multa ſcripſimus de ventis, materia, generatione, & temperamẽto in qualitatibus activis calore, & frigiditate. Nunc autẽ dicemus de qualitatibus paſſivis humiditate, & ſiccitate, & de alijs quæ ibi non ſunt dicta, explicãtes textum noſtrum, *Frigidus ventus Aquilo flavit.*

DICTO loco explicuimus, quã via Aquilo ſit frigidus. Et una ex rationibus erat. Ventus qui fertur contra meridiem attenuatur, quia accedit ad partem, ubi eſt multum luminis, & caloris, & cum ventus ſit exhalatio calida quando attenuatur, & vẽtilatur amittit calorem, & refrigeraſcit. Nam calor etiam in tenuiori materia remiſſius operatur, ut ignis, qui ut inquiunt circa concavum Lunæ non cõburit propter tenuitatem, neque aqua vitæ panno imbuta, etiam ſi accendatur non urit pannum propter tenuitatem. Et hæc etiam eſt cauſa ob quam media æſtate ſolemus carnium ius calidiſſimum refrigerare exuſflatione facta connniventibus labijs.

SED poterat reſtare ſcrupulus. Etenim quãvis exhalatio calida quando attenuatur diſſipetur. Ex hoc videtur ſolũ, quod inferas amiſſionem caloris, non tamen introductionẽ frigiditatis. Et hæc eadẽ eſt ratio dubitandi cur connivẽtibus labijs exuflantes ius calidiſſimum refrigeremus, hoc

hoc enim modo dumtaxat liberamus aërem ab exhalatio nibus calidis, non tamen est unde refrigeremus, nã aliud est privatio caloris, aliud possitiva frigiditas.

SED his, & similibus problematis respondetur cõmuni quadã doctrina supposita, iã á me non semel traddita. Nimirum, aëris inferior regio, non est secundum naturam, quia aër ex se calidus est, vel in summo, vel propè: hæc autem regio frigidior est, atque si propriam naturam spectes violentata est si vero naturam communem, secundũ illam existit, quia expostulat hæc frigidiorem temperiẽ, ut viventium generationes succedant. Frigiditas hæc quæ temperat aëris calorem proculdubio procedit à vaporibus aquæ frigidi elementi; & hæc est, quæ subintrat quando ab exhalationibus, caliditas dissipatur. Et quando in exuflatione, quæ fit conniventibus labijs liberatur aër ab exhalationibus calidis, quia detinentur in ore, hæc etiã est quæ aërem refrigerat possitivè: quia à vaporibus aqueis emanat frigiditas remoto impedimento.

SECUNDAM qualitatem passivam Aquilonis omnes faciunt siccitatem. Vallesius de sacra philosoph. cap. 50. sic scribit: Rursum qui refrigerat siccat quoque, idque duplici de causa, & quia ipse siccus est, ut fumus, & quia refrigeratio densationem facit, & expressionem humidi, ut in refrigeratis herbis, & arboribus conspicitur. Qui calefacit humectat non per se (siccus cum sit) sed quia calore facit humorem fumidi, qua causa, & in hominibus ciet multas fluxiones Auster. Hactenus Vallesius.

SED difficultatem inducit explicatio, quia si Aquilo siccus est, quia est fumus & exhalatio sicca, etiã Auster siccus debet esse, ut & ipse etiam insinuat. Tum etiam non semper refrigeratio densationem facit, & expressionem humidi, nisi in corporibus in quibus mediante constipatione, ut in catarris fiunt tales expressiones. Nix enim quamvis frigida sit non est sicca, neque frigidi-

 tas

tas densationem facit in nive, neque expressionem humidi.

PLERIQVE recentiorum qualitates ventorum ex locis per quæ transeunt mendicari dicunt. Daniel Sen. in institutionibus cap. de aëre, sic inquit: Septentrionales frigidi, & sicci sunt, & vim corpora astringendi, & firmandi habent, cum spirent à locis nive, & glacie obsitis solique intactis. Meridionales sunt calidi, & humidi. Nam, & vastum mare magnasque paludes equibus multæ exhalationes attolluntur, & loca calida transeunt. Vnde corpora laxandi, & resolvendi vim habent.

SED ut patet ex hoc capite nõ potest sumi præsertim secunda qualitas ventorum. Nam quia venti Septentrionalis spirent à locis nive, & glacie obsitis solique intactis, non sequitur, quod sint sicci; melius sequeretur quod essent humidi, ut nix. Neque meridionales humidi; quia licet vastum mare magnasque paludes transeant, quoniam aqua maris sicca est, potius etiam inferres, quod essent sicci quam humidi.

AQVILO ergo vẽtus est frigidus ob rationes in principio possitas. Superest ut dicamus, cur sit siccus. Certè Aquilo siccus est quoniam siccat; nã, & Galenus ab eo, quod operatur vocat potestate tale, quodcunque medicamentum. Sed utrũ siccet per se, utrum vero ex accidenti, hoc adhuc considerandum. Et quidẽ maior siccitatis (quã operatur) pars provenit ex accidenti, vel operatione secundaria siccat nanque aër, vel ventus quicunque is fuerit educendo, & dissipando substantiam humidam per poros. Experientia enim ostẽdit, quod quilibet vẽtus magis exiccat quam radij solares, quoniã per poros penetrat aër, & vẽtus, & educit humiditatem à centro ad circumferentiam radij vero solares, non ita dissipant humidam illam substantiam. Hæc doctrina est Aristotelis vigesima sexta particula problem. 28 sic pannus, lineus, vel laneus made-

desfactus citius exiccatur expositus ad aërem quam ad solem,& ad ignem. Ex his etiam dissolvitur aliud problema cur si exponatur aliquis nudus soli caniculari, & meridiano non sudat; si vero ingrediatur Hypocaustum, aut cubiculum calidum statim sudat. Sol nimirum colliquat interiora,& poros exiccat, & claudit potius quam educat humiditatem. Aër vero calfactus in Hypocausto educit serosam humiditatem intro foras à centro ad circumferentiam,atque ita contingit sudor.

IDEM videtur dicendũ de Austro, qui humectat nõ per se,sed quia calore facit humorem fundi, qua causa, & in hominibus ciet multas fluxiones Auster,ut rectè dicit Vallesius dicto loco. Et vestimenta etiam madefacta, vento Australi exposita exiccantur,etiam si ventus fuerit humidus. Igitur ventus omnis primò,& per se siccus est,ut asserit Vallesi.hoc in loc.nec ab re, quia cũ sit exhalatio calida, & sicca, retinet de siccitate nativam qualitatem. Auster humectat modo explicato, quia calore fundit humorem, atque ita hoc facit ex accidenti, eo etiam modo quo luna humectat,quia calore debili excitat fluxiones, & nihil resolvit. Deinde quamvis vẽtus sit exhalatio calida, & sicca, etiã habet cõmistionem plurium vaporũ, qui frigidi sunt, & humidi;& necessario ascendentes commiscentur cũ exhalationibus. Hi vapores humidi etiam conducunt ad operationem humidam quam inducunt venti Australes.

ET gelavit crystallus ab aqua: inquit noster textus, postquam dixit,quod frigidus ventus Aquilo flavit. Quãvis verum sit ut diximus,& ostendit experientia, quod ad generationem gelu non conducat ventus,sed potius prohibeat,nam quando cessat ventus vespere in hieme habemus prognosim,quod sequenti nocte gelabit. Qua de causa,ait textus,quod Aquilo flavit de præterito,& postea gelavit. Aliqua dispositio est exuflatio Aquilonis, qui frigiditatem affert.

autem apparet figuræ exangulæ. Secundò, semper inveni tur in alabastri fodinis, signum non obscurum, quod sint congeneris naturæ, & dumtaxat differunt, quod cryſtallus eſt alabaſtrum magis excoctum, & defęcatum; & alabaſtrum impura, & semicocta cryſtallus. Eodem respectu conferuntur, alabaſtrum, & lapis marmoreus, ita, ut hęc tria differant gradu, & intenſione perfectionis. Nam lapis marmoreus suam habet mixtionem, & perfectam coctionem in suo genere maiorem alabaſtrum, multo maiorē cryſtallus. Tertio, quia glacies diſſolvitur ad ignem, & in aqua, signum non obſcurum, quod concreverit à frigiditate, nam quæ ab hac conglaciantur calore diſſolvuntur. Cryſtallus vero, neque diſſolvitur in aqua, neque ad ignē, quoniam per veram mixtionem, & coctionē genita fuit. Tandem cryſtallus habet facultates primas, ſecundas, & tertias, quemadmodum reliqua perfecta mixta. Quoad primas refrigerat, & exiccat, & ulceribus commodum eſt medicamentum. Quoad ſecundas adſtringit. Quoad tertias intus ſumpta auget generationem lactis, ut ait Laguna in Dioſcoridem capite proprio. Eſt etiam alexipharmacum medicamentum, & valet contra venena plura corroſiva, ut refert Sennertus lib. de venenis. Nihil autem horum convenit glaciei, nam, ut mixtum imperfectum, & metheorologicum dumtaxat humectat, & refrigerat, ut aqua.

CRYSTALLVS, itaque ex gemmarum genere eſt, dequarum natura dubitare cogit fulgor, & tranſparentia an terra ſit, vel ad terram pertineat. Videtur enim terra oppaca admodū eſſe naturæ, atque tantæ pulchritudini obſtare. Quapropter multi illas cœleſtis ignis participes eſſe cenſent (unde ſine evidenti calore fulgorem recipiāt) & cęleſtis aquæ, unde cryſtallinam diaphaneitatem recipiant ſine liquabilitate. Sed hæc Platonicis placebunt minimè Ariſtotelicis. Fit vero cryſtallus ex aqua accedente

ad naturam terræ, cuius aliqnam participat portionē servata aquæ diaphaneitate, & discussa tota aëris natura, & ob id non innatat aquæ per coctionem exquisitam caloris solis.


SIT primum corollarium. Crystallus in nostro textu sumitur pro glacie, & non pro gemma. Tum quia crystallus Græcé est glacies Latine, tum quia verbū gelavit tollit dubium, nam ut diximus glacies fit per congelationem, crystallus autem per veram mixtionem, & coctionem. Tum etiam deducitur ex verbis sequentibus. Super omnem congregationem aquarum requiescet. Hîc enim natura gelu, & glaciei manifestatur; nam gelu hoc habet peculiare, quod aquas supernatet, cuius causam alibi retulimus: quando enim aqua condensatur, cum in poris eius aliqua portio aëris includatur cogitur etiam, & conclusa manet ratione cuius levitat, & ascendit super aquas: aër nanque non requiescit quousque invenerit propriam regionem. In ultimis verbis, & sicut lorica induet se aquis significatur modus generationis, non enim fit augmentū glaciei per veram aggenerationem, sed per iuxta positionem, ut capillus, & lapis torrentis. Est enim mixtum imperfectum, & crescit nova iuxta posita materia sine eo, quod intercedat actio transmutativa. Itaque induit se gelu aquis sicut lorica, nova accedente aqua, & concrescente.

SECVNDVM corollarium. Videant Theologi utrum verbum flavit nostri textus mutuo se respiciat cum flavit, Psalm. 147. *Flavit spiritus eius, & fluent aquæ*: nam cum crystallus in Psalmo sit in plurium sententia peccator obstinatus effectus frigiditatis ex permissione divina, sic in nostro textu. Et sicut flavit spiritus eius, & fluent aquæ, ita ventus aquilo flavit, & gelavit crystallus, & peccator induratur.

CA-

CAPVT XLIV.

DOminus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo sicut errat ebrius, & vomẽs. Esaiæ *cap.* 19.



COMMVNITER interpretes per spiritum intelligunt internum quendam motũ, seu vim, seu afflatum, qui nos ad aliquid conãdum agit, aut stimulat, qui ardor Latinè dicitur. Furor dicitur iuxta aliquos, & æstus, aut perturbatio animi vocari possit. Aut qui ancipiti cogitatione huc, & illuc trahuntur, ut vertiginosi: ducitur similitudo ab ebrio ideo dixit Miscuit. Sed ex commentario medico fortasse elicietur accommodatus etiam sensus.

VERTIGO affectus est sumens denominationẽ à symptomate, qui enim hoc morbo laborant his omnia in gyrum circumagi videntur. Quando vero simul oculi veluti ex offusa caligine obscurantur scotomia, seu tenebricosa vertigo appellatur, quæ sæpé ita ingravescit, ut æger protinus cõcidat, nisi præhensis proximis adminiculis se se fulciat, aut sustentet. In illa plures actiones animales lęduntur, nimirum sensus, & motus depravantur, quia omnia in gyrum agi videntur; nõnunquam, & visus obtenebratur, interdum etiam planè collabuntur ægri, auditus quoque non nihil depravatur, & fluctuatio quædam auditur, in nonnullis; & olfactum, in alijs quoque gustum lędi testatur Paulus lib. 3. cap. 12.

QVÆ vero facultas in affectu vertiginoso præsertim effi-

ad naturam terræ,cuius aliqnam participat portionē ser vata aquæ diaphaneitate, & discusa tota aëris natura, & ob id non innatat aquæ per coctionem exquisitam caloris solis.


SIT primum corollarium. Crystallus in nostro textu sumitur pro glacie,& non pro gemma. Tum quia crystal lus Græcé est glacies Latine,tum quia verbū gelavit tollit dubium,nam ut diximus glacies fit per congelationem, crystallus autem per veram mixtionem, & coctionem. Tum etiam deducitur ex verbis sequentibus. Super omnem congregationem aquarum requiescet. Hîc enim natura gelu,& glaciei manifestatur; nam gelu hoc habet peculiare,quod aquas supernatet,cuius causam alibi retulimus:quando enim aqua condensatur, cum in poris eius aliqua portio aëris includatur cogitur etiam, & conclusa manet ratione cuius levitat,& ascendit super aquas: aër nanque non requiescit quousque invenerit propriam regionem. In ultimis verbis, & sicut lorica induet se aquis significatur modus generationis,non enim fit augmentū glaciei per veram aggenerationem,sed per iuxta positionem,ut capillus,& lapis torrentis. Est enim mixtum imperfectum, & crescit nova iuxta posita materia sine eo, quod intercedat actio transmutativa. Itaque induit se gelu aquis sicut lorica, nova accedente aqua, & concrescente.

SECVNDVM corollarium. Videant Theologi utrum verbum flavit nostri textus mutuo se respiciat cum flavit, Psalm. 147. *Flavit spiritus eius, & fluent aquæ*: nam cum crystallus in Psalmo sit in plurium sententia peccator obstinatus effectus frigiditatis ex permissione divina, sic in nostro textu. Et sicut flavit spiritus eius, & fluent aquæ, ita ventus aquilo flavit, & gelavit crystallus, & peccator induratur.

CA-

CAPVT XLIV.

D*Ominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuō ſicut errat ebrius, & vomēs.* Eſaiæ *cap.* 19.



COMMVNITER interpretes per ſpiritum intelligunt internum quendam motū, ſeu vim, ſeu afflatum, qui nos ad aliquid conādum agit, aut ſtimulat, qui ardor Latinè dicitur. Furor dicitur iuxta aliquos, & æſtus, aut perturbatio animi vocari poſſit. Aut qui ancipiti cogitatione huc, & illuc trahuntur, ut vertiginoſi: ducitur ſimilitudo ab ebrio ideo dixit Miſcuit. Sed ex commentario medico fortaſſe elicitur accommodatus etiam ſenſus.

VERTIGO affectus eſt ſumens denominationē à ſymptomate, qui enim hoc morbo laborant his omnia in gyrum circumagi videntur. Quando vero ſimul oculi veluti ex offuſa caligine obſcurantur ſcotomia, ſeu tenebricoſa vertigo appellatur, quæ ſæpè ita ingraveſcit, ut æger protinus cōcidat, niſi præhenſis proximis adminiculis ſe ſe fulciat, aut ſuſtentet. In illa plures actiones animales lęduntur, nimirum ſenſus, & motus depravantur, quia omnia in gyrum agi videntur; nōnunquam, & viſus obtenebratur, interdum etiam planè collabuntur ægri, auditus quoque non nihil depravatur, & fluctuatio quædam auditur, in nonnullis, & olfactum, in alijs quoque guſtum lędi teſtatur Paulus lib. 3. cap. 12.

QVÆ vero facultas in affectu vertiginoſo præſertim effi-

re vera quiescere. Respondent tamen, quod hoc argumẽto id non evincunt. Nam hæc cognitio non phantasiæ necessario est, sed ratiocinatricis facultatis, quam non, ob quodlibet obiectum falsum, seu quemlibet errorem phãtasiæ ledi totam necesse est, cum multas veras species oblatas habere queat, ex quibus vera colligere, & quosdam phantasiæ errores animadvertere, & corrigere potest.

VERUM enimvero vertigo cum nullo morbo manifesto existente in cerebro fit propter motum in gyrum, aut visum motorum in gyrum. In qua phantasia in rigore non leditur, nisi ob errorem externum. Prima pars huius conclusionis difficilis videtur, nempè quod phantasia non ledatur. Sed ostenditur: nam phantasia est veluti supra se, ut non patiatur errorem illum; sed obsistit, ac veluti prævenit errorem deceptivum; ergo non fallitur circa obiectum. Dices id quod supra; hanc cognitionem non phantasiæ necessario esse, sed ratiocinatricis facultatis. Sed contra, quia eodem tempore quo apparent omnia circumgyrari imaginatur phantasia illa quiescentia; ergo non fallitur circa proprium obiectum, atque ita in ea prorsus nõ datur depravatio propriæ actionis. Confirmatur, quia nõ decipitur circa obiecta aliorum sensuũ, rectè enim imaginatur sonos, quos accipit ab auditu, odores quos ab olfactu, sapores quos á gustu, & tactilem qualitatem quam recipit à tactu. Ergo neque etiam decipitur in specie recepta à visu. Imo etiam non decipitur omnino circa obiectũ visibile quandoquidem illud imaginatur affectum, eo ipso colore quo re vera est, & sub eadem quantitate, & figura, dumtaxat enim representatur motum, quod re vera quiescit. Si autem phantasia læsa esset in propria essentia, omnes supradictæ directiones naturales, & functiones propriæ rectè non fierent. Petrus Garcia Complutensis lib. de lo. affect. ait, quod non decipitur phantasia circa obiecta aliorum sensuum, sed solum circa visibile, quia læsio

illa

illa phantasię est proportionalis huic obiecto,& non alijs. Sed hoc nihil explicat,quia est idem per idem, rogo enim cur sit proportionalis huic obiecto,& non alijs?

VLTERIVS dico, quod quando clausis oculis apparet vertiginoso caput circumgyrari,imaginatio illa habet multum de actione naturali;atque si tale iudicium non ederet imaginatio falsitatem aliquam pateretur. Nam quamvis caput non videatur versus interiora,neque ibi intercedat visio intercedit tamen operatio sensus tactus;nam per tactum sentit cerebrum spiritus moveri in gyrum,quando quidē circulariter illorum sentit impulsum Cæterū,quia tam vehemens motus non contingit in quolibet vertiginoso ideo non iudicant omnes proprium caput moveri.

ATQVE hæc est causa cur phantasia in vertigine,nō possit non concipere obiectum circumgyrari. Verumtamen actio illa reflexa qua eodem tempore imaginatur obiectū re vera quiescere salvat omnino propriæ læsionis immunitatem.

QVID ergo? vertigo non est aliquid præternaturam? Profecto est verum symptoma quando sequitur aliquem morbum, vel intemperiem cerebri ex qua flatus elevantur, & vertigo fit per idropathiam seu proprium cerebri affectum;aut quando ex intemperie frigida vētriculi, etiā flatuosi spiritus elevantur ad cerebrum & vertiginem faciunt. Verumtamen quando propter motum in gyrum, aut visum motorum in gyrum efficitur vertigo nō est verum symptoma, sed quædam impotentia, aut error externus ratione cuius fit illa representatio in phantasia. Vt quando quis ex ligatura pedum non potest deambulare, habet quidem abolitam deambulationem ; verum illud non est symptoma , quia non sequitur morbum;sed impotentiam ex ligatura;aut qui excedentem nimis ingerit copiam ciborum,quam male concoquit; illla mala concoctio non est symptoma,quia non sequitur morbum.quā-

tum-

quamvis enim optime temperatus sit ventriculus erit mala coctio, quia illud obiectum facultatis est extra spheram activitatis; & non tenetur ventriculus tantam copiã ciborum concoquere, sicut neque visus videre obiectum è leucæ distantia.

PARITER phantasia, etiam si benè sit disposita secundum temperiem unionem, & structuram ex motu in gyrum, vel ex visu motorum in gyrum patietur vertiginem, quæ tamen non erit symptoma, sed error externus, quia extrinsecus venit motus; & impotentia quædam ad cohibendum motum illum flatuosi spiritus, nam cessante, nihil est præter naturam, & tenetur phantasia per tactũ sentire motum illum circularem.

ALIQVI hunc morbũ in situ spirituũ collocari volunt. Sed spiritus non sunt partes nostri corporis. Neq; motus ille circularis causatur á morbo cerebri, quamvis talis detur in illo, ut iam monstramus. Deniq; si actio depravata esset phantasię ad deliria referendá esset: quia delirium definitur actio depravata facultatis animalis principis, quod tamen absurdum esset, quia in delirio ignorãt ægri, quod habeant imaginationem depravatam, sed in vertigine sciunt esse falsum id quod vident.

HVIVS proxima causa est motus inordinatus spirituũ animalium, seu ut Capivacius loquitur affectio circularis, ut producitur ab spiritu animali quatenus præternaturam circumducitur. Alij volunt, quod spiritus etiam sine admixtione vaporis commoveri atque agitari possit, & similem in externis motionem represetare. Verumtamen vix credibile est, quod substantia spirituosa in qua bona portio virium nostri corporis sita est, & quæ instrumentum est præcipuum animæ ad plures actiones, in gyrum & circulariter ita moveatur. Nam ex natura sua non habet principium talis motus, neq; similis observatur in nullo statu secundum naturam. Igitur debet moveri

spi-

spiritus necessariò ab impulsu extrinseco, qui nullus appa ret, nisi ille quem contrahit à flatus permixtione. Et hoc est fortasse, quod significatur in verbis nostri textus; miscuit in medio eius spiritum vertiginis, videlicet cum substantia flatuosa. Nam & interpretes dicunt, quod ducitur similitudo ab ebrio ideoque dixit miscere. Et in ebrijs constat, quod copiosi vapores elevati à vino permiscentur cum spiritu animali, & causant turbulentiam, & motum caducum illorum. Et hoc est, quod legitur Esaię cap. 19. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros. Dictum est enim dum de somno ageremus, permisceri cum spiritu animali crassum vaporem, qui illum sistit, & quasi torpidum reddit quo minus ad organa sensus possit moveri, ut somnus concilietur.

FLATVS hic in vertigine morbosa per venas potissimum, ac per arterias plexus infunditur in cerebrũ, quod cum inordinato motu movetur, spiritus animales quoque agitat, qui ad parietes cerebri allisi in gyrum agũtur, & hanc speciem falsam motus rerum externarum, vel etiam proprij corporis si oculi claudantur exhibent. Spiritus autem flatulentus motum hunc excitat, motusque sui occasionem sumit, vel à seipso non aliter, ac fumida exhalatio, quæ ex terra elevatur sursum ascendit dum nõ impeditur; quando vero in aërem crassiorem impingit, cum non possit ulterius ascendere movetur in orbem, & circulariter. Spiritus in arterijs cerebri fervidiores, & copiosiores collecti cum flatu permixti, cum inquieti sint, & natura sua mobiles, sursum commoventur, cum autem impediãtur à tunicis, vel membranis feruntur in orbem, & circulariter.

SED dubium primum est, quæ sit causa cur ex motu inordinato spirituũ in cerebro res quiescẽs appareat moveri? Certum est, quod species ab obiecto venientes recipiuntur in spiritibus, qui ut excipiant species ad pupillam

con-

confluunt in magna quantitate, quas ad phantasiam, & ad interna sensoria fideliter deferunt naturaliter immutatas, si autem contingat, quod spiritus inordinatè moveatur, ut in vertigine, etiam & ipsæ in esse representativo moventur, hoc est representant obiectum cum tali motu, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; & species obiectorum in spiritu tanquam in subiecto modificantur ex motu; ex communi enim sensibili medij potest species modificari. Ostenditur exemplo. Sit baculus cuius medietas existat in aqua, & altera medietas extra aquam; baculi medietas existens in aqua apparet densior, quam alia existens in aëre; quia aqua elementum est densius quæ licet representet baculum illud, crassius represen tat, quoniam medium est, & potest modificare speciem à baculo productam. Præterea baculus apparet fractus, & discontinuus, quia illa media sunt discontinua. Denique cum species semper recipiantur in spiritu, & ab illo non separentur, necessario representant obiectum in diversis partibus circulariter, quia spiritus etiam circulariter existit in illis. Verum maximè notandum est, quod licet verũ sit, quod res quiescens appareat moveri quando spiritus inordinatè moventur in cerebro, nunquam tamen adeo circulariter. & adeo concitato motu res quiescens repræsentatur moveri sicut spiritus in cerebro, quod unusquisque poterit experiri & à vertiginoso fieri certior. Quod etiam suam habet causam, & ut existimo sitã in alijs speciebus productis ab obiecto quiescente. quæ forsam recipiuntur in spiritu quieto, & puro nequaquam turbulento flatu permixto, atque ita quiescens obiectum represen tat ex se. Neque enim opus est, ut omnes spiritus æquè moveantur.

DICES idem contingere in aëre licet enim quia tenuis non fiant in illo reflexiones; cum tamen species, quæ in aëre est producta in alia parte eiusdem aliam si aër move tur

tur producetur cum illo motu,& sic appareret res externa moveri, quod est contra experientiam.

RESPONDETVR; duo conotat argumentum, primum, quod pertinet ad densitatem, aut fractionem, & discontinuitatem facile solvitur, nam tenuitas aëris obest reflexioni,& cõtinuitas medij fractioni, aut discontinuitati. Secundum maiorem habet difficultatem; tamen hoc etiam modo solvitur. Radij visuales perpendiculariter venientes ab obiecto ad potentiam, sunt pyramidales ex quibus omnibus unitis fit linea centralis, quæ dicitur conus: itaq; etiam si moveatur aër non potest movere radios inter se unitos; ut qui solem intuetur, etiam exuflante vento radios solares percipit fixos,& immotos.

SIT secundum dubium problematicum. Quæ sit causa ob quam dum quis videt aliquid in gyrum moveri conversis oculis ad alia quiescentia, illa etiam appareant moveri? Respondetur, ex visione rei circum rotantis spiritus concipiunt motum ob rationes in alio problemate adducendas, quia substantia spiritus ex sua natura est facile mobilis, quos vocavit Hyppocrates impetum facientes, semelque accepto motus principio durat sicut aqua existẽs intra vas, quod cępit moveri,& ipsa movetur, etiam, & ipso vase quiescente. Ita spiritus moventur semel agitari donec facultates eos reprimunt, vel ad alios usus, aut motus conversos.

TERTIVM dubium problematicum. Quando quis videt obiecta circum rotari cur solet generari vertigo? Et quomodo spiritus contrahunt motum illum extrinsecus inchoatum? Petrus Garcia lib. de lo. aff. cap. proprio, respondet, quia oculus sequitur motum corporis convertitur versus partes illius, ex quo fit ut spiritus etiam moveantur ab oculis,& postea per continuationem, qui existunt in cerebro extensione impulsus moventis. Sed hoc minus tutum est, quia oculus non sequitur motum corporis,

ris,nec convertitur versus partes illius,nam visio non fit extramissione, ita vt oculus, nec spiritus accedant ad obiectum. Alij quod motus sensibile commune modificat speciem proprij, quæ subiectatur in spiritu cum illo modo,& ita spiritus movetur. Sed videtur quod species cum solum habeat esse intentionale nõ potest efficere impulsum realem.

CONSENTANEVM magis est,quod corpora circum rotantia emittunt radios visuales cum quibus feruntur species, ex quibus alij sunt recti alij obliqui; ex omnibus constituitur linea illa centralis, quæ axis dicitur rectaque est, & pyramidalis. Quando vero obiectum in gyrum movetur etiam lineæ dictæ confunduntur, & diverso modo sigillant species in spiritibus, qui etiam moventur ad excipiendas species, atque ita cum habeant naturam facile mobilem, etiam & illi circulariter moventur.

QVARTVM dubium. Cur prospectus ab alto in nonnullis vertiginem excitare soleat? Nonnulli id reijciunt in spiritus dissipationem. Sed spiritus cum re visa non coniunguntur. Saxonia ex in specta re in profundo confumi censet speritus cum multis ad rem profundã videndam opus sit, & propter defectum ne vacuum detur attrahi vapores, qui vertiginem excitent. Sed hoc absurdum est,neque plus spirituum requiritur ad res profundas quam ad res altas prospiciendas: at ex harum aspectu vertigo non datur. Probabilius est rei metuendæ inspectione spiritus turbari,& inordinate moveri. Vt prætericns fluvium per pontem angustum si aquam aspiciat turbatur visus, & vertigo excitatur.

IN sua Pathologia D. Moles cap. 13. Duas movet difficultates, Prima est quare vertigo fiat circa visibilia,& non circa audibilia,tangibilia,&c. Et respondet causam referendo in quantitatem spirituum venientium ad organum vi-

ſionis. Sed immeritò, quia in omnibus organis reperiuntur ſpiritus, qui poſsint recipere illum modum motus. Maior, vel minor copia, neque iuvat, neque impedit receptionem illius modi. Quin etiam, & ipſe poſtea fatetur & benè, quod etiā circa alia obiecta aliorum ſenſuum poteſt fieri vertigo, ut in cęco à nativitate.

CVR vero ex viſione oriatur vertigo cauſa eſt, non vero ex auditione. Quod in viſione ſpecies obiectorū recipiuntur, & ſigillantur in ſpiritibus circa pupillam, & proinde modificantur ex motu illorum, quia quidquid recipitur admodum recipientis recipitur. In auditione vero ſpecies non ſigillantur in ſpiritibus, ſed cum aëre moto perveniunt, uſque ad membranam ubi fit auditio. Et idē in reliquis ſenſibus, qui omnes, ut advertit Galen. multò craſsiores ſunt, quam viſus.

SECVNDA difficultas eſt, quare modificatur ſpecies ſenſibilis propij cum ſenſibili communi ipſorum ſpirituum, & non modificetur ſpecies cum magnitudine, aut figura, &c. ſpirituum. Ad quod reſpōdet verum eſſe ſpiritus animales eſſe corporeos, & pro ratione corporeitatis debere conſtare, ſubſtantia, magnitudine figura, verumque eſſe communia ſenſibilia eſſe ſicut motus. At modificari ſpeciem ſenſibilis proprij cum ſenſibili communi, nempe cum motu medij ſcilicet ſpirituum, quia ex ſenſibilibus communibus nullum, ita eſt manifeſtum, ut modificatum cum ſpecie ipſam repreſentet in gyrum.

HÆC controverſia eſt de nihilo, & falſum ſupponit hic eruditus auctor, ſolum cum motu modificari ſpeciē ſenſibilis proprij: nam in ſchotomia ſpecies non ſolum modificatur cum motu, ſed etiam cum ſubſtantia ſpirituum, & quia hæc eſt tenebricoſa, etiam eſt talis vertigo: Et tenebricoſa etiam in gyrum circumrotantur. Et in delirijs ſecundum varias conditiones, & qualitates primas & ſecundas ſpirituum modificantur

ſpe

ſpecies variæque, & mirabiles fiunt illarum combinationes.

SIT primum corollarium. Ex dictis colligitur, quod per ſpiritum cōmodè non poſsit intelligi, ut volunt interpretes vis, ſeu afflatus qui nos ſtimulat ad aliquid conandum, qui ardor latine dicitur, nec furor, aut æſtus, aut perturbatio, quia myſteriosè dicitur non ſpiritus quicunque, ſed ſpiritus vertiginis. Et ducta ſimilitudo ab ebro, & vomente etiam ſuadet, nam ebrius non habet afflatum, qui ſtimulet ad aliquid conandum, nec omnis ebrius habet furorem. Vomentes etiam nihil tale habent ut conſtat. Igitur ſpiritus ille ſiquidem eſt vertiginis aptius intelligitur verus ſpiritus animalis, qui in vertigine miſcetur cum flatu, & proinde dicit, miſcuit.

SECVNDVM corollarium. Et errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo. Errare eſt incerto pede divagari huc, & illuc: quod maximè in vertiginoſo reperitur, & nonnunquam cadunt vertiginoſi. Quæ eſt cauſa? non defectus ſpirituum, ſed communicationis illorum ad inſtrumenta motus. Sed dubium eſt cur non deſcendant ſpiritus cum expeditæ, & liberæ ſint viæ, aut ſaltem ex vertigine, non neceſſario obſtruatur tranſitus illorum ad partes? Motus circularis ſpirituum eſt cauſa non deſcenſus, cum quodadmodo fuerit concitatus, quia nec gubernari poſſunt ab anima, & tranſmitti ad partes; & ipſi in gyrum moti meatus per quos excurrunt ingredi non poſſunt: nam figura illa ſpherica circularis, & rotunda quam deſcribunt ſpiritus, ut dicunt matematici eſt infinita veluti ſine principio & fine, & non eſt maior ratio cur magis ſecundum unam partem diſcontinuetur quam ſecundum aliam. Videbis etiam funda lapidem circum gyrari, & cum eſt in parte ſuperiori circuli quamvis poſſit cadere, & deorſum ferri cum nullum ſit impedimentum non cadit propter motum

circularem. Ob eandem causam spiritus non ingrediuntur nervos.

TERTIUM corollarium. Sicut errat ebrius. Admirabilis est similitudo. Ebriorum proprium est pedes transponere, & errare. Quin etiam ebrij turbatam habent phantasiam, & singularia obiecta plurificata prospiciunt: & nō nunquam etiam vertigine corripiuntur.

QVARTVM corollarium. Et vomens. Vertigoq; qu fit per sympathiam frequentissimé fit per consensum ventriculi ascendente flatu qui spiritui commiscetur. Quapropter mirum non est, quod vomentes vertigine præhēdantur ob turbatos vapores, qui ascendunt à vomitu exagitati, qui cum spiritibus commiscentur. Et ob hanc causam, etiam dolore capitis capiuntur vomētes, maximam enim habet cum cerebro sympathiam ventriculus. Vomentes autem, neque ardorem habent, neque furorem.

***



CA-

CAPVT XLV.

ET erit sicut somniũ visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, & omnes, qui militaverũt, & obsederunt, & prævaluerũt adversus eam. Et sicut somniat esuriens, & comedit cum autẽ fuerit expergefactus vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montẽ Sion. Esaias *capite* 29.



QVASI Dixerit. Erit illa hostium victoria de te ò Ariel somno simillima. Sic enim cito illorũ opprimetur potentia; & ablatæ eripientur opes, ut non tam ex præda ablatæ atque possessæ quam inter dormiẽdum per quietem oblatæ videri possunt. Quare amissio repentina maiori illis erit dolori, quam voluptati prius possessio fuerat. Sicut enim sitiens, aut esuriens bibere se in somnis aut satiari putat, ubi tamen experrectus est, neque minus sitit quam antea, & afflictatur magis, quia vigilãs ab eo vacuus est, quod se habuisse somniarat.

SOMNVS est cessatio naturalis sensus communis, & primi, & exteriorum sensuum in commodum animalis. Nõ enim quævis cessatio, aut sentiendi impotentia somnus

est, nam in animi deliquijs sensuum operationes cessant, sensus autẽ cõmunis præcipuè in somno afficitur, hoc vero quiescente etiam reliqui exteriores cessant. Reliqui vero sensus interni, non necessario in somno quiescũt, sed si id contingat ideo fit, quia externi quiescunt. Nam si phãtasia in somno interdum non operatur, non id ideo fit quod eius affectio somnus sit, sed quia à sensibus externis, nihil ad illam defertur circa quod versari possit.

QVÆNAM autem sit causa prima, quæ sensus exteriores ita ligare possit, dignum est examine. Plurimæ sunt causæ remotæ, quę somnũ inducunt, nempè longę vigilię labores defatigatio, curæ non in principio, sed quando iã ab eis lassatum est corpus, æstus, balnea, nimia evacuatio, lenis frictio, motus cannarum, suavis cantus murmur, & strepitus aquarum, tenebrę silentiũ, cogitationum suspensio lectio non attenta, solitudo potus, & cibus. Hæ omnes cum diversæ sint, fieri non potest, ut unũ eũdemque effectum scilicet cessationem sensus, & motus in corpora inducant, nisi quid commune agant. Et cũ sensus pariter omnes, ac motus simul cessent, fieri non potest quin principiũ sensus, ac motus ab omnibus afficiatur. Diverso tamen modo. Nã vigiliæ longę, labores, & defatigatio, balnea æstus spiritus absumendo. Obtundẽdo vero, & minus mobiles, & quasi ignavos aut torpidos spiritus animales reddendo, seu ut alijs placet viam his ocludendo, vaporosi odores, & vapores à cibo, & potu ascendẽtes, & si quæ huius generis sunt alia. Spiritus animales quasi placide sistendo, & à motu ad quietem invitando, ac ne diffluant prohibendo; Cantus suavis murmur aquarum frictio blanda præsertim in plantis pedum, cogitationum suspensio lectio parum attenta, silentium, tenebrę. Omnium vero causarum una est causalitas, nempè quietatio, seu fixio spirituum animalium in cerebro, ne ad organa sensus traducantur iuxta probabilem sententiam.

ITAQVE à spirituum animalium á cerebro influentiũ quiete feriatione, denegatione, detentione, aut quomodocũq; appellare libeat somnum fieri existimant. Et cum Galeno 1. de causis symp. c. ulti. dicimus in somno, aut omnino otiari sensus, aut exiliter agere. Et ex quantitate spiritus, & facultatis maiori, vel minori ad organa accedente mensurari maiorem, vel minorem profunditatẽ, aut coagulationem somni: Etenim quanto minus influit tanto profundior est somnus, & quanto magis tanto levior.

Ex dictis impugnari possunt facile alię opiniones. Argẽter. lib. 1. de somno, & vigilia cap. 11. somnum, & vigiliã asserit ab una causa fieri, eaque immediata nimirum á motu calidi influẽtis á corde. Id circo enim organa universa simul non sentire ait, quod calidum innatũ vim sentiẽdi ad ea nõ deducat, aut quod illa virtus, ut nec alia corporis facultas absque illo exerceri non possit. Sensum autẽ exerceri cum in illa influit calor huiusmodi. Fieri vero somnum à calido nativo non influente pluribus probare contendit. Primó ex ipsius morbi natura ostendere vult; cum enim per somnum omnes sensus otientur cõmunẽ causam esse necesse est, qualis est hæc revocatio caloris influentis. Deinde quoniam subito fit somnus, & subito solvitur, & rursus reddit, & abit minimo tẽporis spatio arguitur necessario motus calidi influentis. Nulla enim ex causis necessarijs ad sensationem, aut cessationem, & somnum est, quæ tã celeres mutationes subire possit, quã calidum influens, quod mobile existit, ut ex animi defectu, timore verecundia ira gaudio tristitia & similibus patet, quæ subitam habẽt generationem, & mutationem ob celerem calidi influentis motum. Vlterius vigilantium facies aliæq; partes externę rubẽt, & benè coloratæ sunt, pallescunt vero in dormientibus, quod accidit, quia sanguis in dormientibus ad interiora repit, in vigilantibus vero ad exteriora spargitur. Atque illa, quæ somnum ex-

citare dicuntur, ad hanc proximam causam redigere conatur, & quidquid somnum conciliat id vel calidum innatum ad motum ineptum reddere, vel aliò evocare, vel viam ad sensoria intercludere, vel simile quid agere asserit. Hæc est summa opinionis Argenterij, & eius diffusio dicto in loco.

VERVMTAMEN Argenterij opinio sustinenda non videtur. Quia quamvis verum sit, quod calidum influens ad sensuum constitutionem sit necessarium, non tamen proximè. Huiusmodi enim influentia caloris potius competit partibus quatenus vivunt, quam quatenus sentiũt. Ad sensum vero proximè requiritur illustratio cerebri, & spiritus animalis. Igitur in utriusq; defectũ, ut pote proximi instrumẽti potius quã in caloris influẽtis denegationem, somnum reducendum existimamus Sed quamvis remotè, ut diximus sit necessarius partibus sentientibus, nõ videtur eius tantus esse in dormientibus defectus, ut hinc sensoria, ad sensuum operationes reddantur inepta, cum etiam dormientium membra, ad tactum calida percipiantur. Ad hanc obiectionem respondere conatur Argenterius. Non ita inquit intelligendum est calidum influens externa membra prorsus deserere cum dico illius absentia somnum excitari quandoquidem pulsus, & calor, qui in singulis membris percipitur dormiente homine docẽt illa non prorsus esse eo calore destituta, sed non sufficit quilibet calor ad sensum, & motum, atque ita in somno membra quidem planè calore destitui non dicit, sed tamen minus illius habere quam ad sensum sit necessarium affirmat. Sed neque hoc modo se expedit ab hac difficultate Argenterius. Nam satis certè caloris eos habere, vel inde patet, quod multi ægri imo, & senes in quibus calor, & insitus, & influens deficere incipit, non tantum in externis partibus (quod tactus calor, & alia iudicant) caloris habent, quam iuvenis aliquis dormiens, qui nihilominus om-

omnes adhuc sensuum operationes habent. Præterea inter dormiendum recordamur, & imaginamur. cerebrum per somnum longè felicius coquit quam per vigilijs, & per somnum spiritus instaurantur, multorumque capitis dolorum, & morborum remedium præstātissimum somnus est; quæ omnia sine calore cordis influente non perficiuntur.

ILLI vero, qui causam somnum inducentem unicam probabiliter statuunt, nempè spirituum à cerebro influentium detentionem; etiam affirmare videntur, nullam aliā excogitandam esse: Quæ doctrina prorsus vera non est. Maxima est enim controversia inter Doctores, utrum ad sensum, & motum influant tantummodo spiritus, an simul qualitas quædam illustrativa. Galenus 7. de decretis, Hyppocratis, & Platonis cap 4. à cerebro per nervos quādam qualitatem ait traduci, qua nervi per continuum alterātur quā vocat diffussionē facultatis virtutisq; & movēdi, & sentiendi, quam etiam ad eum modum, ait fieri quē admodum cum à solis splendore in ambientem aërē profecta quædam qualitas in totum eius corpus solis substātia immota permanente diffunditur. Et quamvis hæc sint controversa, probabilior est hic philosophandi modus. Itaque cum dicimus detentionem spiritus quo minus ad organa sensus traducatur esse causam somni, addendum nobis est, illustrationem hanc etiam non pervenire ad organa. Quod quidem elucescit in modo, quo causæ particulares somnum inducunt; nam vaporosi odores, & vapores à cibo, & potu ascendentes nebulam quandam, & suavē caliginem elevant, & producunt in vijs per quas tam spiritus quam illustratio communicatur sensorijs, & sicut lumen solis, nebula oppossita non communicatur inferioribus, ita neq; hæc illustratio partibus sentiētibus. Et quāvis communiter dicatur, quod tales vaporosi odores, & à cibis elevati obtundant spiritus animales, & minus mobi-

bi-

biles & quasi ignavos aut torpidos illos reddant, & hoc non sit præter rationem, nec hoc sufficit neque adeo satisfacit sicut quod diximus de illustratione; nam spiritus non omnino obtunduntur aut torpidi fiunt seu ignavi, ut patet in varijs & furentibus imaginationibus, atque motibus qui in dormientibus reperiuntur. Quamuis non negauerim in letargicis affectionibus & caro spiritus prorsus fieri torpidos obtusos & ignavos, quia vapores commixti crassi sunt & viscidi. Verum hoc in omni somno verificari prorsus non potest.

IGITVR vero-similius est tales vapores nebulum esse oppositam illustrationi illi luminosæ quo minus possit communicari organis sensuum. Et in bilioso homine verbi gratia de fatigato fere non daretur causa somno ex præcissa de fatigatione, quia nulla esset stupefaciens spiritus. Melius in lasso ex voluptate quietis elevantur halituosi vapores qui quasi caliginem inducuent qualitati illustrativæ. Dices hi vapores etiam torpidos reddũt spiritus. Probabile est sed minus quia sunt benigni & magis materia spirituum quam torpor illorum. Et spiritus impetum facientes & facilè mobiles illos penetrabunt, nam in torpore sentitur motus formicarum à spiritibus quamvis non libere & expedite, tamen penetrantibus. At illustratio requirit medium bene dispositum, & quælibet nebula opponitur soli.

HÆC de somno naturali qui debet præcedere somniũ pro intelligentia completa nostri textus.

QVAMVIS verum sit, quod in somno profundiore qui ex copiosiore alimenti vapore eoque crasso excitatur, sensus omnes interni & externi quiescant; & ita statim acibo ut sensus externi fortius ligantur ita etiam somnia rarius eveniunt. Verum tamen in somno ex moderatis vaporibus obrepente, & si sensus externi quiescant interni tamen sæpè sese exerunt & phantasia quidem libera

ma-

manet, ut ex rebus quas vigilans gesserit cogitaveritque aut ex apparatu humorum spectra plurima compareant, quæ ceu vera intuentur hisque fidem adhibet nesciens se dormire, quæ operatio in somno somnium vocatur. Sed hæc operatio, neque firma est, neque tuta; atque ut in delirantibus phantasia male coherentia coniungit; ita & in somno discrepantia combinantur. Quapropter rectè dicitur, quod somnia sint dormientium deliria; deliria vero vigilantium somnia. Et ad istam disparatam imaginum combinationem non parum faciūt vapores mobiles spiritusque turbantes, quales in febribus sæpè sint satis copiosi etiam febricitantes in somnijs huiusmodi maximè molestantur.

PLINIVS lib. 10. c. 75. scribit, quod infans mox ut nascitur somniat, quod etiam ait Aristoteles 7. de natura animalium cap. 10. Quæ sententia contraria videtur sibi libro de somno, & vigilia cap. 6. & 4. de natura animalium cap. 10. & Avicenæ 4. animal. cap. 3. ubi ait, quod ante quartum annū homo rectè non somniat. Ex quibus verbis elicere possumus concordiam; nimirum quod ante quartum annum, homo somniat, sed non rectè: rectè dicitur quatenus possit habere memoriam somniorum præcedentium, ita ut fuerint fixa. Aristoteles 4. de historia animalium capit 10 refert, & mulieres, & viros fuisse, qui nunquam quicquam somniaverint, quorum nonnullis in processu ætatis accidit, ut viso somnio mutarentur habitu sui corporis, vel in morbum, vel in mortem, vel ob terrorem quem conceperunt, vel quia potentissima arguitur causa, quæ talem mutationem in temperamento produxit, ad effectus, qui nunquam præcesserunt. Athlantes etiam non somniare feruntur. Hactenus de somno visionis nocturnæ cuius meminit textus.

SVPEREST iam ut dicamus aliquid de somnambulis. Sed

Sed cur de somnaambulis siquidem non licet institutum transgredi? Quoniã ita dicit scriptura sacra. Et sicut somniat esuriens, & comedit. Verbum istud comedit plus significat quam somnium comestionis; & cum somnians de facto non comedat, aut ingerat cibos proculdubio denotat actum frustraneum masticandi, aut deglutiendi; ut infantes, qui frequentissimé in somno buccas movent quasi lac sugentes. Cum autem actio masticandi, aut deglutiendi sit motus voluntarius, & spontaneus eadem quæstio est de his, ac de somnambulis.

SOMNAMBULI sunt hi, qui dormientes noctu è lecto inscij surgunt, & dormientes ambulant, ac vigilantiũ mira quidem opera perpetrant, quorum tamen mane è somno excitati non recordantur motu animali vi imaginationis fortioris concitato. Admiranda, & vix credibilia sæpè perpetrant isti somnambuli, de quibus exemplis Schenc. lib. 1. observat. 127. Ridiculum sane est illud, quod ex Iacobo Hostio narratur de quodam nobili, qui nudus in somno surrexit indusium manibus secum gestãs, & ad fenestram porrexit, ac correpto fune è trochlea pendente in domus fastigium ascendit, & in picarum nidum incidens pullos indusio involutos secum abstulit; ad lectum redijt, & actorũ immemor probè dormivit. Mané vero expergefactus fratribus duobus in eodem cubiculo dormiẽtibus, quasi somnium id quod re vera perpetravit recitavit. Postea vero è lecto surrecturus, & indusium quærens illud, sed pullis picarum circumdatum invenit.

HIC motus fit beneficio organorum motui inservientium. Imperatur à loco motiva stimulata ab appetitu concitata á phantasia, quæ obiectum aliquod in somno oblatum cognoscens illud appetitui, vel fugiendum, vel appetendum offert. Etsi enim in homine vigilante ratio, & voluntas in loco motivam imperium habeat, tamen in somnambulis voluntatis, & rectæ rationis imperium non cõcur-

currit,aut certè obſcurum obtenebratum, & exiguū illud eſſe ex eo patet, quod ſomnambuli ſępè in præcipitia, & loca periculoſa aſcendunt, & feruntur in quæ vigilātes conſcendere, nec poſſunt, nec audēt, ut ipſi poſtea ſomno excuſo, & periculi in quod dormientes ſe coniecerunt magnitudinem attendentes toti cohorreſcant.

CONFIRMATVR experientia illius narrantis ſe indeterminato loco, in quod emingere ſolebat mingere ſomniātē in lecto minxiſſe, tunc enim per imaginationem repreſentato illo loco appetitus mingēdi ſicut conſueverat motus eſt, & tandem ſubſecuta mictio. Quod ſiquis Turcas ver. gra. ſe videre ſomnians in litore, aut taurum circa ſe, quos fugere vellet eos fugere non poſſe ſibi videtur; id fieri puto, quia nervos motivos obſtructos eſſe contingit á vaporibus ſomnum inducentibus, ut proinde ſpiritus non poſſint pertrāſire, nec fieri motus, quod etiā ipſa interna cognitio advertit. Hoc etiam ſuadet, quod huiuſmodi ſomnia, ut in me ipſo etiā ſum expertus in quibus repreſentatur, vel hoſtis, vel taurus perſequens qui parū diſtat, ut fugiatur omnino, & tamen repreſentatur inevitabilis, in quo conflictu cruciatur, inveniuntur in melancolicis, & humoribus craſſis.

SIT primum corollariū. Divinitus iuxta dicta ſcribitur quod erit ſicut sōniū viſionis nocturnę multitudo omniū gentiū, quæ dimicaverūt contra Ariel. Nam ſicut ſomnia nullam habent conſiſtentiam, aut veritatem, ita militia eorum quaſi non fuerit ſiquidem ablatæ eripiuntur opes. Et ſicut ſomnium citiſsimè tranſit nullum veſtigiū veritatis, aut ſubſiſtentiæ reliquens, ſic illa hoſtium victoria fugax omnino momentanea, & levis nulla ſigna poſt ſe reliquens. Addit viſionis nocturnæ. In ſomno nulla datur vera viſio, ut diximus, ſed feriatio omnium actionum ſenſuum externorum. Quocirca hic ſumitur viſio pro repreſentatione facta phantaſiæ, quæ falſa viſio eſt,

nam

Sed cur de somnaambulis siquidem non licet institutum transgredi? Quoniã ita dicit scriptura sacra. Et sicut somniat esuriens, & comedit. Verbum istud comedit plus significat quam somnium comestionis; & cum somnians de facto non comedat, aut ingerat cibos proculdubio denotat actum frustraneum masticandi, aut deglutiendi; ut infantes, qui frequentissimé in somno buccas movent quasi lac sugentes. Cum autem actio masticandi, aut deglutiendi sit motus voluntarius, & spontaneus eadem quæstio est de his, ac de somnambulis.

SOMNAMBVLI sunt hi, qui dormientes noctu è lecto inscij surgunt, & dormientes ambulant, ac vigilantiũ mira quidem opera perpetrant, quorum tamen mane è somno excitati non recordantur motu animali vi imaginationis fortioris concitato. Admiranda, & vix credibilia sæpè perpetrant isti somnambuli, de quibus exemplis Schenc. lib. 1. observat. 127. Ridiculum sane est illud, quod ex Iacobo Hostio narratur de quodam nobili, qui nudus in somno surrexit indusium manibus secum gestãs, & ad fenestram porrexit, ac correpto fune è trochlea pendente in domus fastigium ascendit, & in picarum nidum incidens pullos indusio involutos secum abstulit; ad lectum redijt, & actorũ immemor probè dormivit. Mané vero expergefactus fratribus duobus in eodem cubiculo dormiẽtibus, quasi somnium id quod re vera perpetravit recitavit. Postea vero è lecto surrecturus, & indusium quærens illud, sed pullis picarum circumdatum invenit.

HIC motus fit beneficio organorum motui inservientium. Imperatur à loco motiva stimulata ab appetitu concitata á phantasia, quæ obiectum aliquod in somno oblatum cognoscens illud appetitui, vel fugiendum, vel appetendum offert. Etsi enim in homine vigilante ratio, & voluntas in loco motivam imperium habeat, tamen in somnambulis voluntatis, & rectæ rationis imperium non cõ-

cur-

currit, aut certè obscurum obtenebratum, & exiguū illud esse ex eo patet, quod somnambuli sępè in præcipitia, & loca periculosa ascendunt, & feruntur in quæ vigilātes conscendere, nec possunt, nec audēt, ut ipsi postea somno excusso, & periculi in quod dormientes se coniecerunt magnitudinem attendentes toti cohorrescant.

CONFIRMATVR experientia illius narrantis se indeterminato loco, in quod emingere solebat mingere somniātē in lecto minxisse, tunc enim per imaginationem repræsentato illo loco appetitus mingēdi sicut consueverat motus est, & tandem subsecuta mictio. Quod siquis Turcas ver. gra. se videre somnians in litore, aut taurum circa se, quos fugere vellet eos fugere non posse sibi videtur; id fieri puto, quia nervos motivos obstructos esse contingit à vaporibus somnum inducentibus, ut proinde spiritus non possint pertrāsire, nec fieri motus, quod etiā ipsa interna cognitio advertit. Hoc etiam suadet, quod huiusmodi somnia, ut in me ipso etiā sum expertus in quibus repræsentatur, vel hostis, vel taurus persequens qui parū distat, ut fugiatur omnino, & tamen repræsentatur inevitabilis, in quo conflictu cruciatur, inveniuntur in melancolicis, & humoribus crassis.

SIT primum corollariū. Divinitus iuxta dicta scribitur quod erit sicut sōniū visionis nocturnę multitudo omniū gentiū, quæ dimicaverūt contra Ariel. Nam sicut somnia nullam habent consistentiam, aut veritatem, ita militia eorum quasi non fuerit siquidem ablatæ eripiuntur opes. Et sicut somnium citissimè transit nullum vestigiū veritatis, aut subsistentiæ reliquens, sic illa hostium victoria fugax omnino momentanea, & levis nulla signa post se reliquens. Addit visionis nocturnæ. In somno nulla datur vera visio, ut diximus, sed feriatio omnium actionum sensuum externorum. Quocirca hic sumitur visio pro repræsentatione facta phantasiæ, quæ falsa visio est,
nam

nam hæc dumtaxat in oculis celebratur: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel falsa, & consistens solum in representatione.

Et sit secundum corollarium. Et sicut somniat esuriens, & comedit cum autem fuerit expergefactus vacua anima eius. Non dixit somniat se comedere, sed somniat essuriens, & comedit, & cum non possit intelligi comestio actualis proculdubio significat verbum, & comedit de præsenti actum frustraneum masticandi, & deglutiendi. Essuriens quoniam habet indigentiam alimẽti appetit in somno, & somniat cibum, quia appetitus movet phantasiam; & non solum sistit in hoc sed stimulat potẽtiam locomotivam, & movet musculos buccarum, & efficit frustraneam masticationem, & deglutitionem aliquando. Cum autem fuerit expergefactus vacua est anima eius; tum vero cum conflictatur, quia deficit, quod representatum fuerat; tum etiam, quia motus ille in vago solet torquere, ut qui descendit, vel ascẽdit, & gradum iactat frustra solet torqueri, & defatigari magis quam si haberet terminum. Omnibus his modis, qui dimicaverunt cõtrà Ariel cruciati restiterunt simul, & vacui. Matthæus de Gradi 9. ad Almansorem capite de calculo renum narrat, quod cuidam Vicecomiti compatri suo accidebat, quod semper, ac noctu somniabat se comedere sequenti die dolore renum corripiebatur; & si somniabat se comedere cibos difficilis coctionis dolor fortior corripiebat: & ait, quod nũquam defecit. Alijs somnium comestionis præsagium est futuri doloris dentium.

Sit ultimum corollarium. Et sicut somniat sitiens, & bibit. & postquam fuerit expergefactus lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est. Hic etiam verbum (bibit) frustraneum motum deglutitionis potus significat: non enim dicit somniat se bibere, sed somniat sitiens & bibit. Et ea, quæ dicta sunt de comestione referuntur ad potum: illud

illud tamen dignum est attentione, ut quævis virgula in ſacra pagina: ſomnium comeſtionis poſt expergefactionem dumtaxat fruſtrari animæ vacuitate, ut patet ex textu: de ſomnio vero potus non ſolum dicit terminari vacuitate animæ, ſed laſſitudine ſitis perſeverantis, quod etiam medicinam involvit. Fames enim tolerata ſolet ceſſare; ſitis vero nequaquam, nam quo magis ſuſtinetur, ingratior cruciat multo plus quam fames, ut ſignificat dictio illa, laſſus adhuc ſitit.

CAPVT XLVI.

SIcut frigidam facit ciſterna aquam ſuam ſic frigidam fecit malitiam ſuam. Hieremiæ *cap. 6.*



PHYSICAM Parabolã aſſumit propheta loquens hoc in loco de Hieruſalem ſicut enim inquit ſe habet ciſterna reſpectu aquæ, quam recipit, ſic Hieruſalem reſpectu malitiæ ſuæ quam in ſe fovet: Nam ut ciſterna infrigidat aquam iniectam, ſic Hieruſalem malitiam ſuam. Examinandum ergo eſt quomodo ciſterna infrigidet aquam, etiam ſi mittatur calida ut facit defacto, hoc enim modo explicabitur quomodo Hieruſalem infrigidet malitiam ſuam.

HIC implicatur controverſia de Antipariſtaſi. Dicunt enim philoſophi ſæpè fieri ut contrarium unum obiectu alterius contrarij intenſius fiat, confirmantque illud generatione cõmetarum, quos in frigidiſſimo loco generari, docuit Ariſtoteles aquas quoque puteales hac ratione dicunt hieme calidas & æſtate frigidas fieri. Ventres quoque hieme & vere, quod ab Hyppocrate dictũ eſt in aphoriſ-

rissimo, non alia ratione fieri calidissimos. Sed quomodo hoc fiat non est facillimum explicare.

PROFECTO, quæ de Antiparistasi docent Neotericorũ philosophorum quam plurimi sunt inexplicabilia quædam figmenta, contendunt enim (haud satis intelligo quorsum id facientes) fieri posse ut calidum à frigido fiat intensius calidum, inveniuntque mille monstra ut defendant rem plane falsam. Nam aut calor seipsum augeret, aut frigore augeretur quorum nescio vtrum sit improbabilius. Nam si qualitas quæpiam posset agere in materia propria, omnino omnis qualitas cum primum excederet medium gradum; cresceret sua sponte usque ad intensionem summam, fieretque quidquid calidum esset cõtinuatim, & perpetuo calidius, quousque summe calidum constitueretur. Et idem dicendum foret de alijs qualitatibus frigiditate humiditate, & siccitate. Vnumquodque corpus qualitate aliqua affectum eam proculdubio à qua denominatur habet in intensiori gradu, quam contrariam, ut in corpore calido plus est caloris quam frigiditatis, ecõtra in frigido; ergo qualitas victrix nihil relinqueret de cõtraria, quia à seipsa augeretur usque dum illa in totũ corrumperetur: quia iuxta hãc opinionem corpus posset ex seipso moveri, & non esset verum quod omne, quod movetur ab alio movetur.

QVOD si qualitati das vim generandi contriam, ut frigori vim generandi calorem, & econtrario insipientẽ facis naturam, quæ virtutem tribuit rebus generandi sua contraria omnino contra impetum, & inclinationem, rerum.

SED audiamus, quid invenerint neoterici respondentes. Dicunt, ex qualitatibus activis species quasdam produci: quibus tanquam instrumentis operantur, atque has species nonnunquam tendere rectas cum diriguntur in externam materiam; nonnunquam reflecti in qualitates

pro-

producentes. Itaque iuxta illos huiusmodi species obviantes contrario reflectuntur reflexæque eandem qualitatem a qua productæ sunt augent, & intendunt. Præter has species, quæ sunt effectrices aliarũ qualitatũ similium ijs a quibus producuntur, constituunt alias subservientes sensui qualitatum, quas consequenter loquentes faciunt diversas à prioribus. Quandoquidem affirmant sentiri nonnunquam calorem sine caloris generatione in organo sensus, & ita posse calorem, & frigus sentiri simul. Ex his consequentia sermonis intelligẽdum ex calore, & frigore, & reliquis qualitatibus, non tantum species produci, sed eas quidem duplices. Sed huiusmodi figmenta, neque possunt subsistere, neque audiri. Quid enim improbabilius per se esse potest, quam corporeas qualitates in corporeis uti instrumẽtis (in corporeas enim statuunt has species, ne eiusdem naturæ cum suis qualitatibus sint) ad actionem, & ad sensum? Porro, & si hæc absurda admitterentur, tamen neque ita possent respondere proposito problemati. Nam ponamus, verbi gratia, quod corpori calido quarto gradu oppositum esse frigidum aliud, eoque reflecti calidi species, ac probo non posse illarum reflexu calorem calidi corporis augeri. Si corpus aliud calidum in quartum loco frigidi oppositum esset producerentur recta via species tã multæ in corpus illud calidum, quam modo veniunt reflexæ, sed rectæ, nihil augerent calorem oppositi calidi, cum omnino simile non agat in simile, atque ita neque calidum in quarto à calido in quarto; ergo multo minus calorem illius corporis, augebunt reflexæ species. Sophistæ in defendẽdis falsis opinionibus, ita præoccupantur, ut ad unũ figmentũ defendendum alia supponant faciantque aliquando processum in infinitũ. Nec enim scio, quæ causa ipsos impulit defendere caloris intentionẽ fieri obiectu, & oppositione frigoris, ac tam multa improbabilia invenire. Ni-

si difficultas, quæ se offert, circa puteales aquas, & crinitarum stellarum generationes, & animalium ventres, & si quę alia reperiuntur problemata idem involventia dubiū. Cæterum ista omnia possunt faciliori modo sine tot absurdis explicari.

VALLESIVS 1. controversiarum cap. 5. multo rectius quam isti dubium solvit. Affirmat nanque nullam qualitatem obiectu contrariæ fieri intensiorem per se; sed nonnunquam augeri retentione alicuius substantiæ, quæ Antiparistasi, id est reciprocatione, aut compressione retinetur, alioqui effluxura. Ita ventres, ut inquit Hyppocrates in aphorismis hieme calidissimi sunt, prohibito à frigore ambientis calidorum vaporum effluxu. Contra in æstate humores, & spiritus, dissipantur ab ambientis calore. Exhalatio ignea dissolvitur in ambiente calido facta rarior, contra conclusa in aquea nube densatione abit in ignem. Aquas puteales eo dixit Galenus 3. de simplic. medicamentorum facultatibus, cap. 7. frigidas nobis videri in æstate, quod manibus calidis attrectentur; calidas in hieme, quod frigidis; ut in balneo urina sentitur frigida extra balneum calida, quoniam scilicet nos sumus in balneo calidiores, & frigidiores extra balneum. Sed ut inquit Vallesius, quantum experiundo potest iudicare non solum existimat puteales aquas tales videri hieme, & æstate, quales diximus, sed esse revera tales, nam quacunque arte tactum á temperes, antequam contingas aquam, si id utraque tempestate feceris invenies, ita contingere ut sensus iudicat. Adde non omnem aquam videri calidam hieme, & frigidam vere, sed eam tantū, quæ profundos admodum habet fontes; ergo non est in nostro tactu causa (nam eadem tangimus extimas aquas, & intimas) sed necesse est inclusam esse per hiemem in profundis terræ cavernis substantiam aliquam calidam, & verè frigidam, à qua profundæ aquæ,

ita

ita afficiantur: neque enim probabile est, si discrimen hoc statuas aquam fluminis ab aëre refrigerari in hieme; putealem utpote profundam non refrigerari. Nam constat quantumvis frigescat aër aquam esse natura sua frigidiorem, nisi ab aliquo ad calorem alteretur. Includitur ergo proculdubio, aliquid in cavernis á quo calescit. Est illud quantũ intelligi potest exhalatio calida, quæ hieme refugit ad interna, æstate diffunditur in aërem: vapor frigidus cõtra æstate refugit ad ima; hieme exiens coit cũ externo frigore. Contingit ergo per hiemem, & æstatem terræ cavernis quidã non absimile, quod ventribus animalium. Neq; est in his quicquam difficile magis, quam in curatione tetani ex infusione aquæ frigidæ, qui morbus quandoquidẽ frigidus est non aliter curatur, quam refugientibus spiritibus, & sanguine contactum aquæ, subeuntibusque, ita profundos nervos, & affectum illorum dissolventibus, ut possis dicere calore curari tetanum, non frigiditate, quia hæc operatur secundario, & peraccidẽs, calor vero primó & per se. Contingunt itaque hæc omnia ex causis inventu facilibus, citra figmentum.

Hæc est sententia Vallesij, quæ maiori ex parte vera est modo quædam addantur, quædam vero temperẽtur, ut veritas purior eliciatur, pro explicatione nostri textus. Verissimũ est, quod supponit impugnatum, nullam qualitatem obiectu contrariæ fieri intensiorem per se, atq; ex consequenti secundario, & peraccidens contingit retẽtione alicuius substãtiæ, quæ Antiparistasi, idest reciprocatio, aut compressione retinetur alioqui effluxura. Sic ventres calidissimi sunt hieme, quia per constipationem præpeditur additus calidorum vaporum effluxui. Sed est, quod meritô dubites. Huiusmodi vapores non sunt calidiores ventriculo, nec intensiores calore illius à quo elevãtur, ergo non possunt intendere, siquidem nec remissior calor, nec æqualis potest agere, nec in intensiorem, nec in æqualem.

VERUM enimvero totum est certum; & augmentum caloris ventris hieme fit, quia vapores halituosi, & benigni qui etiam effluunt; retinentur à constipatione frigoris hiemalis, & retenti adhuc subeunt ulteriorem coctionem & convertuntur in sanguinem, & in spiritus, qui amplius calfacere possunt ventrem. Patet, quia moderata constipatio frigoris hiemalis hac via solet plethoram generare Hoc docet Galenus 1. de differen. febrium cap. 5. sic dicens: Quod si causa potentior eos de quibus diximus meatus angustiores effecerit in plethoricam dispositionem incidit corpus si id quod effluit moderatum benignumque extiterit, sin acre, & mordax in febres. Vbi datur plethora datur augmentum sanguinis, & consequẽter spirituum a quibus intenditur calor ventris nativus. Nam de hoc debet intelligi Antiperistasis; non de calore quocunque nam acquisititius intensior solet esse in æstate adhuc in ventre. Non inficiamur, quod etiam calore adscititio incalescant etiam ventres hieme per retentionem substantiæ fuliginosæ acris, & mordacis. Verumtamen tali calore absolute calidiores sunt æstate, quia calor ambientis penetrat, & ideo indigent fructibus, nive, & alijs remedijs refrigerantibus. Hinc elicitur, quod pueri sanguinei, & temperati, calidiores habeant ventres hieme quam aliæ naturæ, quia substantia illa effluxura benignior, & halituosior est in illis, atque ita convertitur in sanguinem, & spiritus ex quibus redditur corpus calidius calore nativo. Cum hoc tamen etiam intemperati melius concoquunt, & alia munia exercent naturalia hieme quã æstate, quia quamvis calor habeat de acquisititio, non per inde jam est præternaturam.

AQUAS puteales hieme optime dicit Vallesius, calidas esse nõ omnes, sed quę profundos habẽt fontes, quia inclusa est per hiemem in profundis terræ cavernis substantia aliqua calida, quæ non effluit, aqua proculdubio in ca-

cal-

jescunt aquæ. Neque valet aquam fluminis refrigerari hieme, puteales ut pote profundas non refrigerari quia ut inquit Vallesius, quantumvis frigescat aër, aqua est natura sua frigidior, nisi ab aliquo ad calorē alteretur. Et præter hoc etiā, quia non refrigerari aquas puteales ab aëre hieme posset illas reddere non frigidas non tamē tepidas, aut calidas, ut sunt in hieme. Et constat experimento, quod aër in cavernis aliquatenus calidus persentitur tempore hiemali, quamvis sit continuatus cum ambiente, qui frigidus tunc est.

HACTENVS Vallesius cū hac coarctatione optimè reddit rationem problematis quoad primam partem, cur nēpe aquæ puteales sint calidiores hieme. Verum quoad alteram, cur sint frigidæ æstate, non ita rectè se expedit, ut monstrabo. Aliqua sunt addenda ad omnimodam huius partis solutionem. Inquit itaque Vallesius. Exhalatio calida hieme refugit ad interna: æstate diffunditur in aërem. Vapor frigidus contra æstate refugit ad ima hieme exiens coit cum externo frigore. Admittimus, quod exhalatio calida detenta in cavernis terræ, quia non potest expurgari propter occlusionem pororum terræ à frigiditate hiemis calfacit aquas puteales. Adhuc tamen non redditur causa cur sint frigidæ æstate. Nam quod æstate diffundatur in aërem non potest infrigidare aquas, dumtaxat potest reddere non calidas, nam expurgatio calidæ exhalationis est privatio, quæ non potest esse causa, quia frigiditas aquæ est effectus possitivus, & requirit causam possitivam; igitur quod æstate diffundatur in aërem non reddit aquas puteales frigidas.

DEINDE dicit: vapor frigidus contra æstate refugit ad ima. Hoc opus hic labor est, cur vapor frigidus refugit ad ima cū possit exhalare, siquidem nullum est impedimentū & pori sunt aperti á calore, si dicas quod fugit à contrario scilicet à calore, devolvitur hoc ad primam contro-

versum utrum aliqua qualitas obiectu contrariæ fiat intensior. Diximus autem per se id non contingere, & explicavimus cur hieme obiectu frigoris fiat calor cavernarum intensior. Igitur, neque dicit Vallesius quare vapor refugiat, neque satisfacit si dicat fugere à contrario scilicet calore.

VLTIMVM quod dicit est: hieme exiens vapor coit cũ externo frigore. Hoc etiam falsum est. Hieme nãque terra est cõdensata, & obstructa à frigiditate, & pori sunt clausi, atque ita non patet additus etiam vapori frigido: nam si exire posset multo melius calida exhalatio, quæ tenuior est; at si hoc esset, explicatio problematis Vallesij prima esset falsa, quia aquæ puteales nõ possent esse calidæ hieme. Ergo ex doctrina Vallesij non manet appertum cur aquę puteales sint frigidæ æstate.

Hoc modo dissolvimus problema. Aqũa est fluida à calore solis propter generationes viventium, aliàs enim esset condensata à summa frigiditate quam habet ut elemẽtum quemadmodum diximus diffusse super cap. 7. Iosue. Itaque est violentata in propria natura propter bonum universi sicut etiã aëris prima regio, & mediatas secundæ. Deinde si tolleretur huiusmodi calor extraneus aquę ipsa se reduceret ad frigiditatẽ per naturalem resultantiam, u aqua calida semota ab igne frigescit à propria forma per emanationem. In æstate expurgatur à caveruis terræ calida exhalatio, quæ hieme detinebatur, & efficiebat aquas calidas, quoniam patet exitus, & pori sunt aperti. Itaque deficiente calore extraneo exhalationis, qui calefaciebat aquas, ipsæ protinus per emanationem, & resultantiam se reducunt ad quandam frigiditatem. Non aliter si exufflemus conniventibus labijs etiam in æstate refrigeramus ius carnium, quoniam detinemus hoc modo exhalationes calidas.

Nec mirum, quod aqua pristinam frigiditatem acquirat

rat derelicta à calore exhalationum, cum sit in sua sphera, nam aqua simul cum terra unum globum efficit. Accedit quod à frigiditate hiemis præcedentis supersunt in superficiet terræ, & circum circa vapores aquei condensati, qui deinde superveniente calore æstatis funduntur, & colliquantur, ac descendentes deorsum subterraneas aquas, & fontes refrigerant.

In curatione Tetani á perfusione aquæ frigidæ calor augetur, & fit intensior, non præcisè à conspectu contrarij, sed quia aqua frigida claudit poros corporis, & quodadmodo obstruit, atque ita impeditur effluvium perpetuũ caloris, qui detentus subit nervos, & digerit materiam, & causam convulsionis.

Hæc dicta sunt probabiliter de qualitatibus inanimis, ut calore frigiditate in quibus reperitur Antiparistasis modo explicato, non præcisè, quia qualitas obiectu contrariæ fiat intensior per se. In rebus animatis tam vegetabilibus quam sentientibus, etiam reperitur quodadmodo Antiparistasis, quia virtus illarum aliquando intenditur obiectu contrarij, modo tamen contrarium quod intenditur sit ex natura sua fortius. Alias non solum non intẽditur contrarium debilius obiectu fortioris, sed corrumpitur, & evanescit. Brasica, & vitis sunt contraria antipatia: quandoquidem observatum sit vitem ad cuius radices assita fuerit brasica non parvo intervallo sponte sua re fugere. Ideo nihil mirum si tantum brasicam contra temulentiam pollere credant, quodque germani quotidianis mensis id olus semper apponant, ut vini noxã fugiant. Cęterum vitis virtus non intenditur obiectu contrarij scilicet brasicæ, imò potius fugit, & elanguet, ut fructus eius, nempè vinum minus potens est siquidem ebrietatẽ non inducit præsente brasica. Hæc vero intẽditur oppositione vitis, quia respectu illius fortior est. Verum quia cuilibet est contrarium suum, habet fortius brasica scilicet

origanum rutam,& ciclaminum. Quippé perspectum est, quod si feratur brasica iuxta quamlibet explicatarum confestim cadit totaque contabescit. Hoc idem admiramur in alijs plantis, nam tanta est arundinis, & filicis discordia, ut arundine vomeri anexa filices in agro enatæ penitus deperdantur. Orobanche herba sola præsentia legumina strangulat. Plura alia mirabilia observantur in natura, quæ longum esset censere.

DICES, Moschus, & ambarum, ut testatur experientia, & rei naturalis scriptores diutius durat, & fortiter corroboratur si asservetur iuxta res fętidas; ergo unum contrarium obiectu alterius intenditur, & augetur. Respondemus verum esse quod supponitur, nam ambarum circumdatū rebus fœtidis vigorosius fit, & diutius asservatur. Hoc autem non contingit præcisè, quoniam obiectu sui contrarij intendatur, sed quia constat, quod res fœtidæ emittunt vapores incoctos, & crassos; odoriferæ, & aromaticæ coctos tenues, & subtiles. Incocti, & crassi rerū fętidarum circūdantes ambarum, & moschū detinent, & cohibent horū evaporationem, quia veluti obstruunt, & claudunt, ac proinde repercutiunt tenues & aromaticos. Cūque moschus, & ambarum nimia actuatione, & dissipatione omnino exhalent, & evanescant, qui hanc cohibuerit conservabit aromata, & vigorosiora reddet. Hoc apparet in eo, quod quamvis ambarum intendatur, & conservetur intra res fœtidas; non econtra res fœtidę intendentur, aut conservabuntur ambaro, & moscho. Imo remittentur, quia tum à vaporibus tenuibus, & concoctis horum odorū incocti rerum fętidarū concoquentur, & corrigentur, & peribit fœtor: tum etiam dissipabitur a tenuitate aromatum.

SIT unicum corollarium. Communiter Doctores, ita interpretantur textum. Sicut cisterna mutat aquam calidā in frigidam: ita Hierusalem bonitatem mutavit in malitiam. Sed in hoc subservit physica sacro textui, ut nimirū

Ta

satis ad literam explicetur, iuxta ea, quæ diximus expendentes eius philosophiam. Nam observata similitudine, Quemadmodum frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam Hierusalem. Diximus autem, quod cisterna refrigerat aquam tempore æstatis, quia expurgatis calidis exhalationibus á sole elevatis, & sublato calore extraneo ipsa se reducit ad pristinam, seu innatam frigiditatem per emanationem, & resultantiam à propria forma. Ita Hierusalem substractis calidis exhalationibus hoc est inspirationibus, & auxilijs elevatis á sole iustitiæ Deo ipsa se reducit ad frigiditatem, hoc est frigescit charitas, & induratur, & obstinatur, à propria forma, nimirum à mala inclinatione, & fomite peccati. Hoc enim est, quod dicit Psalmus; *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Hæc explicatio videtur, quod concernat cum textu physicè explicato.

CAPVT XLVII.

N*VNQVID resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non obducta cicatrix filiæ populi mei?* Hieremiæ *cap.* 8.



CONQVÆRITVR simul, & miratur Propheta, quod non sit sanata filia populi Dñi, cũ nihil ei defecerit ad sanitatem obtinendam. Et miratur etiam quomodo non sit adepta sanitas, cũ requisita ad sanitatem habuerit in eminenti gradu. Quid enim aliud requiritur magis necessarium ad sanitatem quam medicamenta illam inducentia, &

me-

significat textus, dum ait; nunquid resina non est in Galaad aut medicus non est ibi: quasi resina sit medicamentũ necessarium ad completam curationem, & non deficiat medicus, qui dextere applicet, qualitate, quantitate, occasione & modo. Sed hic tumet difficultas quomodo resina sola potest esse medicamentum, quod omnes intentiones exequatur; nunquam enim uno solo medicamine inchoatur & perficitur vulneris, aut ulceris integra sanatio. Sunt enim quædam medicamenta quæ digerunt, alia quæ detergent, & alia quæ incarnant, & tandem alia, quæ cicatricem inducunt, & omnia hæc viribus & facultate differunt; atque ita resina ea omnia non potest efficere.

Resina ut constat ex communi consensu doctorum, est humor tenax aliquando oleosus ex arboribus defluens & manans. Hæc si non est definitio est notio communis, vel descriptio, non enim aliter describunt resinam. Iuxta quam descriptionem, non solum censenda est resina, quæ ex pinu & picea, terebintho, larice lantisco, cupresso emanat, sed etiam aliæ quæ ex alijs arboribus effluunt. Et crediderim in rigore sacharum nostrum etiam posse annumerari inter species resinæ, quia etiam est humor tenax ex arbore defluens. Nam quamvis de factitio sacharo hoc non possit dici, quippè quod non effluit, sed arte educitur ignis calore minutim incisis calamis & decoctis, donec universus liquor absumpta igni aqua diu effervescens in sacharum salis modo invasis fundo concreverit. Verum tamen arundinum lacryma, seu liquor qui nimia succi copia aperto in latere calamo perinde, ac gummi exterius concrescit, resina merito censeri debet. Subscribit Plinius sic inquiens lib. 12. cap. 8. sacharon & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum gummium modo candidum, dentibus fragile amplissimũ nucis avellanę magnitudine. Matiolus in Diosc. cap. de melle ait: Ex quibus facile cognosci potest, quod

non

non ex rore ut mannæ evenit coalesceret antiquorum sacharum super arundinum folia: sed quod fractis calamis earum internodijs cohereret collachrymans èquibus vulgare nostrum conficitur. Quandoquidem hoc modo resinæ gummæque omnes scisso sui arboris cortice emanãt.

SVMMAS resinæ species esse duas traddit Plinius siccam & liquidam: siccam in pinu & picea fieri, liquidam è terebintho larice, lẽtisco cupresso. Dioscorides vero expinu, & picea & liquidam præter siccã haberi scriptum reliquit. Quos tamen facillimum est conciliare: nam quamvis asserat Plinius siccas resinas, è pinu, & picea colligi nõ propterea obstat, quo minus ferant pariter huiuscemodi arbores, & liquidas & siccas resinas.

HÆC de resina in specie infima intelligũtur, nam si rem ad amussim examinemus omnes gummi species sunt resinæ, & omnes resinę sunt gummi, nam hoc etiam resudat ex arboribus, atque ita convertuntur gummi, & resina. Et terebentinam, & mastichem picem, & communẽ resinam seplasarij, inter gummi annumerant.

Ex his iam respondetur ad difficultatem. Nam cum resinæ nomen comprehendat omnia gummi genera, & præter hæc etiam sacharum, ut ostendimus; non mirum, quod curatio tota vulneris, & ulceris, possit inchoari, & absolvi sola resinà, & quod omnes intentiones exequi posit. Ponamus exemplum, vulnus, aut ulcus exacte digeri potest pice, quæ vim habet maximé concoctoriam. Secunda intẽtio, quæ est ulceris absterсio excellentissimè completur terebentina, imo hac sola expurgant ulcera chirurgi. Tertia intentio, quæ est incarnatio, & aglutinatio exerceri potest sarcocola, quæ vim habet vulnera glutinandi, & carnẽ generat. Tandem quartam, & ultimam intentionem exequi potest eadem sarcocola cum mastiche, quæ desiccat, & adstringit, nimirum cicatricem.

SIT primum corollarium. Sacratissimus textus, ad impu-

putandum populo, quod non fuerit sanatus cũ habuerit omnia necessaria ad salutem, ponit exemplũ in vulnere, & ulcere à quo propria culpa non fuit curatus habẽs resinã Galaad, quæ totã potest moliri curationẽ. Verum enimvero resina antiquitus tẽpore Hieremiæ Prophetæ in magno pretio habebatur, non solum ad curationem vulnerũ, aut ulcerum, sed etiam ad curationem perficiendam omnium aliorum morborum, ut colligitur ex sacra pagina.

CAPITE 46. eiusdẽ Prophetæ Hieremiæ legitur. Ascẽde in Galaad, & tolle resinam virgo filia Ægypti frustra multiplicas medicamina sanitas non erit tibi. Loquitur textus cum morbo desperato, & deplorato: quasi dicat. O filia Ægypti incurabili laboras morbo, solum tibi restat excellens medicina quam solam possis invocare, nempè resinam Galaad, ascende, & tolle illam. Frustra multiplicas medicamina: cum resina sit instar plurium medicamentorum & si illa non sanaberis, sanitas non erit tibi. Maximum est encomium resinæ. Nam quamvis loquatur de penitentia, quæ in illa figuratur, assumit Spiritus Sanctus proprijssimam figuram, & accommodat locutionem stylo hominum, quocirca resina tunc excellens erat medicamẽtum ad plures saltem morbos.

CAPITE 51. legitur: Subito cecidit Babilon, & contrita est; ululate super eam, tollite resinam ad dolorem eius si forte sanetur. Curavimus Babilonem, & nõ est sanata derelinquamus eam Ecce fit etiam honorifica mẽtio resinæ ad dolorem, & non quemcumque, sed implacabilem, ut monstrant verba; si forte sanetur. Sumitur parabola de casu ex alto quem sequitur cõmotio, & contusio, ad quæ insinuat etiam valere resinam; dicit enim subito cecidit Babilon, & contrita est. Et experientia liquet nã ad casum, & devolutionem ex alto sumpta terebẽtina auxilium fert, quoniam per urinam & alvum potest expurgare si quid commotũ est, & præterea inducit moderatã

ad-

adstrictionem, quæ sunt indicationes practicandæ in casu ab alto. Et si mastiche adhibeatur multo melius res fiet, nã habet utilem adstrictionem, ad uniendum id quod dissolutum est. Si vero consulit scriptura resinam non solum ad dolorem, sed ad noxas casus, & contusionis veluti ad sacrã anchoram & ultimum remedium recurrit, quandoquidem ait, si forte sanetur. Confirmant verba sequentia: curavimus Babilonem, & non est sanata. Hoc est; ultimum & potentissimum remedium applicuimus, nempé resinã, & non est sanata, nihil est sperandum ex alijs, ideo derelinquamus eam tanquam deploratam.

SECVNDVM corollarium. Ob maximas utilitates ad salutem recuperandam, & conservandam in maximo pretio habebatur resina priscis illis temporibus, ut colligitur ex alijs locis sacræ paginæ. Iacob Genesis 43. mittens filios in Ægyptum dixit: Sumite de optimis terrę frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinę & mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amigdalarum. Inter optimas fruges numerat resinam, & primò. Quin maior pars muneris erat resina, quia tres species in eo numerantur; nam storax resina est, & stacte lacryma est è cinamomo, & mirrha distillans: nomine terebinthi resinam eius intelligere decet, quæ omnibus est pretiosior. Et cap. 27. Ezequielis legitur. Iudà, & terra Israël ipsi institores tui in frumento primo: balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis. Pretiosior erat illis temporibus quam nostris siquidem resina inter aromata, & tam vitales liquores uti sunt mel, & oleum nundinas honorabat. Resina vero Galaad de qua noster textus erat omnium pretiosissima, ut colligitur tum ex nostro textu, tum etiam ex cap. 37. Genesis ubi dicitur, & sedentes, ut comederent panem viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, & cammelos eorum portantes aromata, & resinam, & stactem in Ægyptum. Tanquam pretiosior assu-

assumitur resina Galaad á Hieremia Propheta in parabolam.

TERTIVM corollarium. Hinc mihi in maiori erit æstimatione resina ad plures morbos. Primum enim notum est, quod emollit ventrem, ac nucis magnitudine sumpta quæcunque, vel terebentina, uel abietina, vel communis pro sanitate tuenda ad communia excrementa educenda utilimum facit consilium. Ad morbos hepatis, & mesenterij utilissima censetur ab omnibus medicis, detergit enim potentissimè humores viscidos vasis adhærentes. Horatius Augenius in hoc, & quolibet alio affectu terebenthinam communem præfert abietinæ, & terebenthinæ propriè dictæ, abstergit enim magis, & maiorem vim habet concoctoriam, ut in genere resinæ nihil sit vulgare, aut cōmune. Ad morbos pectoris excellens est medicamentum, vel sint phtisis, vel astma, aut quæcunque difficilis respiratio ad humore crasso & lento. In morbis renum tam á lapide arenulis, & sabulo quam ab ulcere illorum, aut vesicæ primatum tenet resina, & præcipuè terebēthina, insignis enim est eius abstersio, & insignem exercet indicationem, tam usta quam non usta, aut in potu, aut in bolos redacta. Alios denique habet usus in medicina, & chirurgia; ut norunt omnes practici. Et in laudem terebēthinæ, hoc mihi sufficiēs est encomium, quod possit fœtorem urinę, non solum corrigere, & dissipare, sed etiam commutare in suavem odorem, nam ut sciunt omnes, illa epota, & quoquomodo sumpta, reddit urinam potantis odoriferā, & violas redolentem. De Alexandro Magno legitur, quod sudor illius fuerit suavissimus odore in signum excellentis temperamenti. Eiusdem naturæ sunt sudor, & urina, atque hæc etiam aromatica supra bonum atestatur resinę temperamentum, quod talem generat odorem. Quamvis nimia vini potatio fidem auferat ab Alexandri sudore.

VLTIMVM corollarium. Galaad erat feracissima aromatum,

tum ut colligitur ex mercatoribus Ismaelitis. Et Galadîtæ ob sua pretiosa aromata maximè excelluerunt in Medicina, & Chirurgia. Ex quo infertur quãtum intersit medicorum, copia bonorum aromatum, & medicinarum, ad optimum artis consequendum propositum; sunt enim instrumenta sine quibus artifex, & causa principalis rectè operari non potest. Tãdem quemadmodum in aureo seculo glandibus vescebantur homines rudi alimento contenti. Ita ad morbos curandos arborum resina, ut plurimum utebantur, sine hac nostra medicaminum farragine.

CAPVT XLVIII.

M*ILVVS in cælo cognovit tempus suum Turtur & Hirundo, & Ciconia custodierunt tempus adventus sui.* Hieremiæ *cap.* 8.



NON Est despicienda doctrina, quæ de brutis sumi potest. Proinde Spiritus Sanctus. Prover. cap. 6. ait. O piger vade ad formicam, & considera vias eius, & disce sapientiam. Arguit obliviosos, & inertes Hieremias Propheta argumento, quamvis non ad hominem, sed ad bruta, non minoris efficaciæ. Dicens; Miluus in cœlo cognovit tempus suum turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit iudiciũ Domini.

MILVVS secundum aliquos, id est ciconia. A candore dicitur candida. Virgil. in Georg. 2.

Cum vere rubenti candida venit avis.

Ciconia ex frigidioribus locis ad nidum revertitur, quod

non

non facit Milvus. Verũ quia Milvus nusquã vocatur Ciconia, & quia de Ciconia sequitur. Hinc melius propriè Milvũ accipias, qui Hebræis dicitur Chasida per Antiphrasim, quia nõ pia, sed rapacissima est avis. Pagninus ex Talmudistis, ait, quod Chasida sit Milvus albus sic appellatus, quod faciat misericordias, aut beneficia cum socijs suis, quibus de escis quas rapuit distribuit. Baptista Mantuanus lib. 5. Alphonsi de avium ingenio ita canit.

Astra etiam pluviasque docent, & certa dierum,
Tempora, & annorum sic ver cognoscit Hirundo,
Alciones hiemem ventos, & fulmina cudunt.
Et tempestivos campis sitientibus imbres.

Turtur reponitur ab auctoribus inter colũbas, & de turture scribit Elian. c. 9. lib. 3. quod nõ sit adultera, & si moriatur socius nullũ aliũ admitat consortẽ, & servat inviolabiles viduitatis leges. Symbolũ est misericordiæ, ut oliva inter arbores, & quia conservat folia, & viriditatẽ, & quia fructus eius, oleũ omnes succos superstat, sicut misericordia cæteras virtutes. Ita columba inter aves, quia maiori solicitudine pullos creat, & nutrit. Fovet ova toto tẽpore quo incubat sine intermissione, nam dum pergit ad cibũ, masculus ingreditur nidum, & incubat, ut non refrigerentur. Ad cibandũ pullos quasi ex visceribus educit alimentum, tenerrimis emollitum, & semicoctum tribuunt; & recenter natos primis diebus, quia non possunt cõcoquere cibum, neque in gutture, aut gula reponere, nutriũt vaporibus in se receptis, intra illorum rostrum facta exuflatione, & ad pensum incrementi, & vigoris præbent alimẽtum magis substantificum. Et admiratione dignum, quod deficiente cibo connatu maximo sanguinem traducant proprium. Non solum incubant, & fovent ova propria, sed supposita. Vulgo creditur columbas felle carere, sed tamen constat illas corvos, coturnices, & hirundines, illud habere in intestinis, proinde stercus colũ-

barum calidissimum. Parvum habent Lienem; ponunt ova, & educunt hiberno tempore si extiterint in locis calidis. Meliora verna, & præsertim Aprilis, & Maij, quorum pulli servantur ad generationem. Aristoteles c. 13. lib. 5. de historiam animalium agens de columbis, ait Pariunt columbæ ova omnibus anni temporibus si suppetat copia cibi, & cõmoditas loci calidi; si vero hæc deficiant dumtaxat in æstate, sed soboles veris melior, autũni, & peior æstivalis; & hæc deterior si tẽpus fuerit calidius. Præcedunt coitum oscula repetita, & hoc opus incipit sexto mense ætatis. Pariunt duo ova, & generant primum masculum, deinde feminam, & uterque masculus, & femina illa fovent incubãtes, & finito coitu extendunt caudã. Superstant ova columbæ hieme unum & viginti dies, à die qua pariunt primum; decem, & novem verè, decem & septem & ad summum decem & octo, æstate.

HIRVNDO iustitiæ symbolum; quoniam cum nutrit filios cum eis conservat iustitiam, & æquitatem sine aliqua declinatione. Elianus cap. 24. 3. de historia animalium, scribit: Hirundo fœmina exercet ius cum filijs in distributione alimenti, iuxta cuiusque dignitatem. Non alit omnes cibo unica vice delato; nec posset, nam ea, quæ defert minima sunt, & parva. Primum editum in lucem primo cibat, mox secundum, deinde tertium, & hoc prosequitur, vsque ad quintum, nõ enim gerit utero plures. Huiusmodi pulli ad instar catulorum canis, tarde recipiunt visum, sed tamen quadam herba applicata acquirunt. Ante maturitatem ætatis, virium, & instructionem ad volandum nido eijciuntur, ut quærant victum. Anteriori capitulo ait. Si Hirundo invenerit lutum, unguibus defert, & nidum conficit, sed si deficiat, ut inquit Aristoteles 9. de histo. animal. c. 7. aqua immergitur & in pulvere volutatur, ut illud efficiat; inlurat alas, & rostro purgat & nidificat. Et quia instinctu noscit, quod si poteret pul-

los

los recenter natos, tenerrimos; & in plumes super ligna dura præ dolore intolerabili morerentur, sedens super dorsum ovium extrahit vellera, & cum illis concinat mollem nidum. Et cap. 19. lib. 17. dicit; quod in Samo alba nascitur hirundo cuius oculi si punguntur obcœcatur, mox vero recuperat visum tam acutum sicut antea habebat, & confirmat Elianus cap. 3. lib. 1. nidificat, & parit ova bis in anno carne vescitur, & mutat plumas tempore frigido, ut inquit Aristoteles.

SANCTVS Ambrosius in exameron 6. cap. 4. vides inquit quantam Dominus etiam minusculis animalculis infundit prudentiam. Turtur nido suo ne pullos suos incurset lupus squillæ folia superiacet, novit enim, quod huiusmodi folia lupi fugere consueverint: novit avicula quomodo posteritatem foveat suam, & tu ignoras, & tu negligis quomodo adversus lupum nequitiæ spiritalis, posteritatem vitæ huius habeas tutiorem. Sed de hoc alij dubitât, quia si nidus sit in arboribus cur metuit?

PLINIVS cap. 4. lib. 10. inquit: abeunt hirundines tempore hiberno, & illæ dumtaxat vescuntur carne, inter aves, quæ non habent ungues aduncos, sed in vicina abeunt apricos secutæ montium recessus, inventeque iam sunt ibi, nudæ atque deplumes. Thebarum tecta subire negantur, quoniam urbs illa sæpius capta sit. Hirundo prima vernum tempus nunciat redeundo. Hirũdines sub hiemẽ, & frigore glomerant se, alisque, & pedibus se se invicem implicantes mergunt se in stagnum, ibique quasi soporatæ, & exanimes quiescunt dum vernus calor venit, quem ut sentiunt reviviscunt. Ita occulati testes Poloni. Miram præsefert hirundo Architecturam, & Geometriam: non enim ignara, quod figura spherica, & rotunda est magis capax nidum suum sphericum facit: tum quod fundamenta ædificij debẽt esse solidiora lignula maiora priora iacit, mox tenuiora.

CICONIA est etiam de qua propheta meminit, pietatis exemplum, quam exercet erga parentes suos. Ad significandum filium parentum cultorem dicit Orus Apollo depinxisse Ægyptios Ciconiam, quia in lucem emissa illos nunquam relinquit, & senescentes alit in gratiarum actionem. Idem confirmare videtur Aristoteles cap. 13. lib. 9. de histor. animalium, ubi dicit: Fama est, quod Ciconiæ alunt seniles parentes quasi referentes gratias, & non solum alunt, verum ex quo vigent ad id, minimè consentiunt exitum è nido parentibus. Solinus lib. 6. de rebus mirab. mundi, ait: Ciconiæ pietas magna est, quia quantũ temporis consumpserunt parentes in enutritione filiorum, consumunt & hi ipsorum alimento; & in nido calfaciunt, & continua assistentia insensibiliter deplumantur. Et antiqui considerantes harum avium pietatem & crudelitatem hipopotami in parte superioris sceptri regalis sculpebant Ciconiam, & in inferiori hoc animal; qua si subdita significetur violentia iustitiæ. Non solum gratificat hæc avis beneficium a parentibus acceptum, sed etiam ab hominibus; nã ex Plutarcho dicit Elianus, quod tempore æstatis Ciconiæ provocantes ad volãdum pullos suos quendam impulerunt, qui ob debilitatẽ naturalẽ cecidit, & cui confractũ fuit crus, & mulier quædã Heracleis nomine pietate mota succurrit, vulneris ligamine, & medicamine potu & cibo toto tempore curationis, cũ autẽ cõvaluisset liberum fecit. Non ignara Ciconia naturæ instinctu debitæ gratificationis anno transacto tempore veris, cũ illam vidisset soli expositam, ut cognovit benè faventem volans descendit, & vomuit in sinu eius lapidẽ, & sedit coram illa super tectum. Heracleis admirans factum dubitabat quid esset. Tandem reposito lapide certo in loco cubiculi, sequenti nocte à somno expergefacta domum vidit claram, & radiantem resplendore quodam ignito. Hoc transacto vidit Ciconiam, & notata vulneris

ci-

cicatrice suam cognovit ægrotantem. Hæc ex Aeliano.

EXCANDESCIT etiam Ciconia Zelotipia: nam ex eodẽ auctore, cũ in Cranone Thessaliæ habitaret mulier pulchra vocata Alcinoe, quæ in absentia viri sui adulterium perpetravit cum servo suo continuatum, ut quędam Ciconia cognovit impatiens iniuriarum à seruo contra Dominum illatarum, irruit impetu in eum, & oculos extraxit, hoc modo adulterio vindicato.

PLINIVS cap. 23. lib. 10. ait: Ciconiæ quonam è loco veniant, aut quo se referant incompertum adhuc est, è longinquo venire non dubium eodem quo grues modo, illas hiemis has æstatis advenas. Abituræ congregantur in loco certo, commitatæque sic, ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiva, & serva, ceu lege prædicta die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium cum discessurum appareat, nec venire, sed venisse cernimus utrumq; nocturnis fit temporibus, & quamvis ultra citrave pervolent, nunquã tamen advenisse usquam nisi noctu existimantur. Pythonos comẽ vocant in Asia patentibus campis ubi cõgregatæ inter se cõmurmurant, eam quæ novissima advenit lacerant atque ita abeunt. Notatum post Idus Augustas non temere visas ibi. Sunt qui Ciconnijs non esse linguas confirment. Honos ijs serpentiũ exitu tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse, eademque legibus pœna, quæ in homicidam. Hæc Plinius. Aristoteles, ait Ciconias vulneratas in remediũ usurpare herbam cunilã. Liber intitulatus de naturis rerum. Multifariam insidiatur serpentibus, & devorat quemadmodũ, & alias res venenosas citra periculum mortis; bufonem tamen nequaquam nisi fame præsa. Ciconiæ repletũ est caput humiditatibus, quocirca eis aqua distillat per rostrum iugiter æstate, & multo plus hieme. In eodem nidulo semper enutriũt, & ut fertur plumosum iã pullũ Dño domus ubi nidificant tribuant. Vel forsam cultu decimali in Deum servata religione. Ob quã

causam Thuringiæ negantur, quia in ea provincia decimas non solvunt, ut constat experientia. Castitatem servant. Et dicitur non sine credulitate; in altiore parte cuiusdam domus habitasse duas ciconias, & intervallo quo masculus victum quærebat, accedebat frequẽtissimé adulter; fœmina vero post coitum ad fontem volabat se lotura simulandi adulterij gratia, & decipiendi consortis. Dominus domus observavit hoc non semel, & impedivit lotionem post commissum adulterium Redeunte masculo cognovit perfidiam, recessit & altero die redijt magna commitante caterva ciconiarum, & uno agmine irruentes adulteram trucidarunt. Hoc ex libro citato. Fingunt Poetæ Antigonem cõversam in ciconiam, quæ fuit virgo pulcherrima (secundum Lactantium) filia Laomedõtis, quæ ob iactantiam maioris pulchritudinis dea Iunone huius indignationis subijt sententiam, cuius meminit Ovidius 6. Metaphor.

ADVERSANTVR vespertiliones ovis ciconiarum, tacta enim dumtaxat sterilescunt. Et ut liberent parentes ova ab hac noxa ponunt in nidulis folia Platani, quæ ita contrariantur his avibus monstruosis, ut solo contactu cõvellantur, & motu priventur, & hac via vitant huiusmodi noxam, ut ait Elianus cap. 8. 1. de historia anim.


SIT unicum corollarium. Non est indignum observatione, quod sacra pagina separet Milvum ab alijs tribus avibus Turture, Hirundine, & Ciconia in observatione temporis, quandoquidem inquit quod Milvus cognovit tempus adventus sui. Milvus tanquam Astrologus in celo cognovit solum tempus suũ, sistens in sola cognitione. At vero Turtur, Hirundo, & Ciconia non solum cognoverunt, sed etiam custodierunt tempus adventus sui. Milvus subsistit in theorica, reliquæ aves transierunt ad praxim. Non incommodè Milvus rapacissima avis peccatorem figurat obliviosum, & inertem, qui solum cognoscit

tem-

tempus. Turtur vero, Hirundo, & Ciconia pijssimæ aves virtutum symbola, iustum, qui non solum cognoscit tempus, sed transit ad opus, & custodit illud.

CAPVT XLIX.

F*Ertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fœcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abijt: id circo permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus.* **Hieremiæ *cap.* 48.**



ERTILITATEM, Et felicitatem Moab, hoc in textu significat Hieremias. Fertilitatem nomine proprio. Felicitatem sub illis verbis, & requievit in fœcibus suis, quasi non sit separatus à semetipso, sed sibi unitus requieverit.

HIC ad nostram doctrinam latet philosophia, quæ observatur in pluribus entibus naturalibus, ut in vino, qui concoquitur, separatur à fęcibus, transfunditur, & purificatur. In omnibus mineralibus, & metallis operibus chymicorum. Vt etiam hinc elici possit examen illorum.

CHYMIA est ars corpora concreta caloris beneficio ad purum efficacēque statum elaborandi, & reducendi. Itaq; finis internus chymiæ est corpora naturaliter concreta, & mixta purificare solvere, & cōponere alterare, & exaltare, & ita elaborare, ut vel partes seorsim, & singulæ, vel omnes iterum mixtæ, & compositæ sint quam purissimæ, & efficacissimæ, atque ad usus in vita humana peculiares, & necessarios aptissimæ, & commodissimæ.

HOC pertinet ad medicum, qui medicamentorum naturam cognitam, atque perspectam debet habere, ut purū

ab impuro utile ab inutile separet;atq; omnia salvis manẽtibus facultatibus, ita præparentur, ut usum eum, qui in medicina expetitur præstare possint. In omni enim mixto diversitas partiũ reperitur correspõdẽs diversis elemẽtis.

SED hic dubiũ suboritur, utrum semper medicamenta separata à fœcibus transfusa de vase in vas, seu in quintas essentias conversa sint cõmodiora; & efficaciora ad usus medicos. Plures talia medicamenta, & præcipuè metallica reijciunt, quod fortius, & valentius, quam humana natura, & corporis nostri constitutio ferre possint agant, & proinde vires prosternant caloremque nativum debilitent, atque idcirco nõ nisi in minima dosi, exhiberi possint, quod ab igne quo præparantur caliditatem externam accipiãt, quæ in corpus nostrum se se insinuet, caloremque præternaturalem excitet.

ALII planè reijcienda non soliũ non esse censent, verũ nimis chymicis medicamentis dediti, in omnibus morbis illis utũtur quasi efficacioribus, & purioribus redditis, separatis fęcibus, & immundo crassamento. Et huiusmodi crassam partẽ, quæ relinquitur post calcinationẽ in metallis, & post sublimationẽ vocant chymici caput mortuum, quasi prorsus sit inutilis, & quæ redebat ante separationam medicamentum, minus utile, & minus activum, & minus commodum. Negant vero hi vehementiora, & valentiora esse medicamenta dicta, quam ut humana natura ferre possit. Et si quod est vehemens non semper reijciendũ est modo non sit malignum, & venenatũ, quia in pertinacioribus morbis requiritur, quia sine his tales morbi non debellantur. Et quo sunt vehementiora eo minori dosi exhibentur, cuius eadẽ est ratio, quæ maioris nõ præparati. Atq; ita si integræ, vel etiã plures drachmæ medicamenti non præparati vacant periculo: aliquot grana, vel guttæ magis periculo carebunt, neque enim ob parvã dosim ullum remedium suspectum esse potest, atque pro periculoso habendum est.

PRO-

PROFECTO in hac re media via incedendũ. Neque quintæ essentiæ omnino reijciendæ, neq; semper usurpandæ. Hoc interim libenter cõcedimus in medicamentis metallicis magna opus esse cautione. Si enim in præparatione aliquid maligni reliquatur, medicamenta per corrosiva componantur, & illa non rectè separentur: accidit non raro ut id quod antea vix animadversum est, paulo post vires resumat, se seamplificet, humores corrumpat, & in similem naturam convertat, atque ita sensim, & latenter corpus demoliatur, ac destruat. Quod in venenis alijs, ut canis rabiosi apparet, quod intra corpus admissum diu latere tãdemque ex minima etiam portione se se amplificare, & veluti flamma ex minima scintilla genita interitum hominis accersere potest. Et ipse solum mercurius perpẽdatur, qui sæpius sublimatus, præcipitatus, & nescio quibus modis transformatus adeo, ut planè priorem formã amisisse videatur, tamen levi negotio reviviscit, & ad ingenitum reddit.

CERTE ad celerem operationẽ, & ad curationẽ morborũ, quę in profundo corporis latẽt medicamenta chymica satis congruunt, quia partes habẽt subtiles, & maximè penetrant. Alias enim considerandum, quod scribit Hyppocrates in fine libri de locis in homine: In morbis inquit debilibus medicamenta valentia non sunt exhibenda, neque imbecillitas medicamenti paucitate æstimanda est.

DEINDE nõ consistit felicitas medicamenti in eo, quod partes subtiles sint separatę á fęcibus. Quod aliquibus experimẽtis cõprobari potest. Non enim minus conciliatur somnus decocto lactucæ quam aqua eiusdem stillatitia imo fortasse magis: quamvis decoctum lactucæ habeat magis de fœcibus, & distillatio fiat in duplici vase. Quia vis illa narcotica cum debeat incrassare, & stupefacere spiritus non requirit illam separationem á fœcibus. Eadem lactuca alimentum est familiare, & non illaudabile si

oia ingeratur; si vero sumatur succus expressus medica-
mentum est deleterium, tantum possunt fęces, & crassa-
mentum corporis lactucæ corrigere vim deleteriam.

NATURA non incassum, aut temere formavit tot mixta, cum æterogeneitate partium, in qua includuntur partes tenues, & subtiles comixtæ cum terrestribus, & crassis, ut ita subserviat finibus destinatis talis armonia, quod neque partes subtiles sine crassis, & fœculentis, neque crassę & fœculentæ sine subtilibus, ad operationes dirigantur. Frustra ergo ars contendit emendare naturam, satis sit perficere, & ea, quæ natura coniunxit semper separare.

MULTI ex recentioribus dignanter reprobant usum aquæ carnis distillatæ ad nutriendum, quamvis cum inutili quæstu, & utilitate nulla, aut exigua ęgrotantes velint nutrire. Quoniam alimentosa pars carnium viscosa, & stabilis est difficulterque transpirat, ut Galenus lib. de marcore cap. 9. scribit; glutinisque instar habet, seu ut chymici loquuntur minus volatilis, sed fixior est, quam ut calore balnei in altum attolli possit. Ergo nõ semper quinta essentia utilior.

SIT primum corollarium. In textu robur, & potentia Moab videtur significari, ex eo, quod requieverit in fœcibus suis, nec transfusus de vase in vas. Ut confirmat verbum fertilitas, & subsequentia, idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus. Assumit enim similitudinem vini, quod quandiu in suis residet fœcibus, retinet odorem, & saporem. Sic Moab non transfusus de vase in vas, quia in transmigrationem non abijt, retinebat omnes qualitates connaturales, odorem, & saporem. Confirmat similitudo: nam vinum, quod coquitur cum vinaceis magis rubicundum, & vigorosum (ut testantur rei rusticæ scriptores) evadit. Et docet experientia, quod si vinum fuerit debile, & pravum melioratur, & vigoratur si optimis vinaceis alterius vini inijciatur, &

ali-

aliquandiu residere permittatur; tantum efficere potest cõmixtio cum fœcibus, ut hic discat chymicus nõ semper distillata, & quintas essentias esse meliorem partem mixti.

SECVNDVM corollarium. Dubitari potest iuxta chymicos, utrum sapor, & odor ideo conserventur in mixto, quia datur unio partium subtilium, & tenuium cum crassis, & fęculentis; an vero hoc nõ sit necessarium, sed quod etiam si separentur huiusmodi partes, in subtilibus, & tenuibus, ut in quinta essentia conservetur odor ut in toto mixto. Et pro ratione dubitandi afferre possunt chymici experientiã: nãm videtur; quòd odor multo melius conservetur in distillato, seu quinta essentia, quam in toto mixto, non enim minorem fragantiam, & odorẽ habet aqua rosarum distillata quam rosa ipsa, imò potius maiorem, & perfectiorem, nec minus redolet aqua vitæ quam vinũ, sed intensius. Et in hoc sitam volunt chymici suam dexteritatem, ut sine ulla prorsus materialitate quintę essentiæ, seu spiritus rerum (sic eas vocãt) representent perfectiori modo omnes qualitates mixti.

SED certè quamvis verum sit, quod plures qualitates tam primæ quam secundę mixti distillandi, vel sublimandi conserventur in spiritu, vel quinta essentia; perfectiori, & magis specifico modo sunt in mixto, quando modus substantiæ mixti aquo plures qualitates oriuntur integer manet, & partes igneę, & aëreę benè commiscẽtur cum aqueis, & terreis. Hęc doctrina coheret cum textu. Dicit quod requievit in fœcibus suis, nec transfusus de vase in vas. Et statim addit causalem: idcirco permansit gustus eius, & odor eius non est immutatus. Quasi hic sit effectus permanentię in fœcibus.

OSTENDITVR pręterea quibusdam experimentis. Daniel Sennertus lib. 5. institut. parte 3. sectione 3. cap. 5. ita ait: Ita & aquam ex violis purpereis Ioannes Baptista Porta, distillat, & iniectis novis floribus eandem distillationẽ

repetit, cuius odorem nonnulli augent appensa rostro alembici portiuncula radicis ireos. In aqua è floribus caryofilorum destillata si odorem augere vellis aliquid pulveris caryofilorum aromaticorum in alembici canalem ponito. Nonne ergo aqua destillatur ex garyofilis quorsum pulvis caryofilorum ponitur in canali alembici ad augendum odorem? Non alia causa nisi ut incorporetur cum crassamento & fœcibus, quæ multum separatur ab illis. Locus etiam in quo ad hunc finem ponuntur hæc medicamenta auget intentum, videlicet rostrum alembici, vel circa illud in canali. In tali parte lõge distat iam vapor, vel quinta essentia à crassamẽto & fęcibus & quasi amittit iam qualitates, atq; ita ut incorporetur cum illis in termino destillationis, ubi iam parum separanda ponuntur talia medicamenta.

CHYMICI ut efficiant medicamentum præstantissimum ad curationem morbi gallici assumunt argenti vivi crudi, id est communis partem & argenti vivi extracti ex argento tantundem, quod extrahunt media calcinatione ipsius argẽti. Vide Thomam Campanellam in practica capite de curatione lepræ Gallicæ. At nulla potest reddi ratio cur sit necessarium Hydrargirum ex argento extractum, cum nullatenus differat ab alio Hydrargiro crudo nisi quod sit necessarium ut à fęcibus, & crassamẽto argenti aliquid accipiat. Passim etiam ut patet in ijsdem chymicis in sublimationibus, & distillationibus solent easdem destillationes bis ter quater & sæpius infundere in fœces, quod aliquem habet finem & non alium, nisi ut sumat quinta essentia de fęcibus, adeo sunt necessariæ ad cõservandas qualitates quæ oriuntur ex modo substantiæ ipsius mixti.

AD rationem dubitandi respondetur, quod conservatur odor in destillato, seu quinta essentia seu spiritibus rei ex qua educuntur. Verumtamen non ita perfectus. Tenuitas & penetratio quintæ essentiæ intime & valide im-

mutat

mutat potentiam sensificam, qua apparet intẽsior odor. Cæterum non adeo perfectus. Fragantior est rosa quam aqua rosacea. Magis confortat cor, & exhilarat olfactum vinum quam aqua vitæ, quãvis hæc magis penetret odore intensiori. Proculdubio odor aqua vitæ si rem exacte perpendamus diversus videtur ab odore vini generosi, quod sensus ipse iudicat.

TERTIUM corollarium. Transfusio de vase in vas saltem efficit puriorem liquorem, ut patet in vino. Sic Moabitæ resederunt in sua regione in opulentia non capti, & in superbia, & peccatis Sodomæ, quoniam Sodomitis viccini sunt. Fæces sunt otium, & tranquillitas, ut inquit Hugo. Itaque in oprobrium Moabitarum hæc dicta sunt in hoc textu. Nam ut ostendimus fœces cuiuscunque mixti sunt partes aqueæ, & terrestres correspondentes elemento aquæ & terræ. Et quod Moabitæ requieverint in fœcibus suis, idem est ac dicere, quod manserint semper in delitijs terrenis, absque eo, quod defœcati fuerint ab illis, ut puritatem maiorẽ reciperent. Transmigratio est trãsfusio de vase in vas, quæ solet purificare, labores nãq; spiritus reddunt puriores: & cũ Moabitæ non essent capti talẽ puritatem non fuerunt assecuti. Chymici cũ ex metallis calcinatis, educunt spiritus, vel sublimationem aliquam, fœces calcinatas, & terrestres vocant caput mortuum, quia tota vita, seu substantia vitalis educta est ab illis, Sic Moabitæ resederunt in fęcibus quasi in capite mortuo.

(*)

CA-

CAPVT L.

IN *calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant dicit Dominus.* Hieremiæ *cap.* 51.



OTVM Hoc caput planum est maledictionibus contra Babilonem in ultionem templi sui, & tot sunt quot periodi. Inter omnes hęc videtur esse magna, quod in calore ponat potus eorum. Ex qua litera deduco, quod potus calidus non sit commodus ad salutem conservandam pro alimento; præsertim cum maledictio hæc infligatur postquam Babilon tanquam insanabilis derelicta est. Ait enim Paulo supra: Curavimus Babilonem, & non est sanata derelinquamus eam. Ostendit etiam consequentia sermonis, nam vinum cerevisia sidra; & quicunque sit potus inebrians, citius, & fortius inebriabit si calidior sumatur, & est secũdum rationem physicam, & medicam, quia ebrietas contingit á multa evaporatione ascendente ad cerebrum, quæ maior est quo potus fuerit calidior. Proinde quęcunque post pastum alimenta claudunt os ventriculi, & evaporationem impediunt caput defendunt quo minus lędatur à vaporibus. Quin etiam in praxi medica iubent Doctores quando instat vigilia, & propinatur medicamẽtum narcoticum, ut exhibeatur actu calidum, sic enim efficacius, & citius somnus conciliatur. Neque hoc solum accidit ob solam copiosiorem evaporationem, quæ à maiori calore excitatur, sed etiam quia medicamenta narcotica calida actu magis penetrant cerebrum. Et idem dicendum de

de potu inebriante qui si calidus fuerit citius & magis penetrabit.

De qualitatibus primis potus utrum debeat esse calidus, vel frigidus certant tum auctores tum consuetudines. Nam & his nostris temporibus datur secta aliquorum, qui suæ saluti consulentes pro more hauriunt potum tã hieme quam æstate tepidum, vel calidum. Fulciunt suam opinionem rationibus, & authoritatibus.

Romani utebantur potu calido, ut refert D. Franciscus Micon in libro vocato. *Alivio delos sedientos*, cap. 10. Atheneus in sua dipnosophistica. Martialis 8. Epigrammatum. 61. de Ceciliano scribit.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Et de Sextiliano isdem Poëta Epigrammate 11. ait.

Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares Sextiliane Merum.

Et Epigram. 14. iterum.

Frigida non desit non deerit: calda petenti.
Sed tu morosæ ludere parce siti.

Iapones utuntur pro delitijs potu calido, ut refert Fonseca in comment. 24. lib. 5. aphorismorum.

Ratio qua nituntur talis est. Nam cum ex aliqua causa, vel distillatione, vel victu, aut intemperie frigida congeratur maxima copia pituitæ, ex usu dicunt esse potum calidum, qui calfacere, & eluere pituitam valet. Dicunt præterea, & respondent tacitę obiectioni, quod siti, & humectationi corporis, & refrigerationi satisfit sufficienter ex potu calido nam aqua calida tandem tandem acquirit per resultantiam suam pristinam frigidam.

Experientiam adijciunt huius sectæ viri siquidem potu calido se iudicant à pluribus morbis immunes, quia dicunt, quod vita nostra in calido, & humido consistit, nõ in frigido, quod ut exigui est usus in natura, ita adversatur

no-

CAPVT L.

IN *calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant dicit Dominus.* Hieremiæ *cap.* 51.



OTVM Hoc caput planum est maledictionibus contra Babilonem in ultionem templi sui, & tot sunt quot periodi. Inter omnes hęc videtur esse magna, quod in calore ponat potus eorum. Ex qua litera deduco, quod potus calidus non sit commodus ad salutem conservandam pro alimento; præsertim cum maledictio hæc infligatur postquam Babilon tanquam insanabilis derelicta est. Ait enim Paulo supra: Curavimus Babilonem, & non est sanata derelinquamus eam. Ostendit etiam consequentia sermonis, nam vinum cerevisia sidra, & quicunque sit potus inebrians, citius, & fortius inebriabit si calidior sumatur, & est secũdum rationem physicam, & medicam, quia ebrietas contingit á multa evaporatione ascendente ad cerebrum, quæ maior est quo potus fuerit calidior. Proinde quęcunque post pastum alimenta claudunt os ventriculi, & evaporationem impediunt caput defendunt quo minus ledatur à vaporibus. Quin etiam in praxi medica iubent Doctores quando instat vigilia, & propinatur medicamẽtum narcoticum, ut exhibeatur actu calidum, sic enim efficacius, & citius somnus conciliatur. Neque hoc solum accidit ob solam copiosiorem evaporationem, quæ à maiori calore excitatur, sed etiam quia medicamenta narcotica calida actu magis penetrant cerebrum. Et idem dicendum

de

de potu inebriante qui si calidus fuerit citius & magis penetrabit.

De qualitatibus primis potus utrum debeat esse calidus, vel frigidus certant tum auctores tum consuetudines. Nam & his nostris temporibus datur secta aliquorum, qui suæ saluti consulentes pro more hauriunt potum tã hieme quam æstate tepidum, vel calidum. Fulciunt suam opinionem rationibus, & authoritatibus.

Romani utebantur potu calido, ut refert D. Franciscus Micon in libro vocato. *Alivio de los sedientos*, cap. 10. Atheneus in sua dipnosophistica. Martialis 8. Epigrammatum. 61. de Ceciliano scribit.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Et de Sextiliano isdem Poëta Epigrammate 11. ait.

Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares Sextiliane Merum.

Et Epigram. 14. iterum.

Frigida non desit: non deerit: calda petenti,
Sed tu morosæ ludere parce siti.

Iapones utuntur pro delitijs potu calido, ut refert Fonseca in comment. 24. lib. 5. aphorismorum.

Ratio qua nituntur talis est. Nám cum ex aliqua causa, vel distillatione, vel victu, aut intemperie frigida congeratur maxima copia pituitæ, ex usu dicunt esse potum calidum, qui calfacere, & eluere pituitam valet. Dicunt præterea, & respondent tacite obiectioni quod siti, & humectationi corporis, & refrigerationi satisfit sufficienter ex potu calido nam aqua calida tandem tandem acquirit per refultantiam suam pristinam frigidam.

Experientiam adijciunt huius sectæ viri siquidem potu calido se iudicant à pluribus morbis immunes, quia dicunt, quod vita nostra in calido, & humido consistit, nõ in frigido, quod ut exigui est usus in natura, ita adversatur

mo-

nostræ, quia mors consistit in frigiditate, & quamvis ex ardentissimis febribus moriamur frigidi tandem morimur. Denique mala quæ affert frigidus potus in medium proponunt, nimirum spirandi difficultatem tusses, sanguinis fluxiones, pulmonis vasis diruptis cõstrictisque ob frigiditatem: invalidat etiam cerebrum, ac fluxiones inde cõcitat, ventriculum imbecillitat, intestina, vesicam, & nervos reddit languidos dentibus stuporem inducit; tandem alia multa, quæ Hyppocrates præsagit, & Galenus his, qui frigida utuntur.

SED proculdubio potus moderatè frigidus nascitur ex necessitate naturæ, & in sanis corporibus necessarius utiliorque est omnibus alijs. Et quemadmodum natura inservit in venere alias fœda & detestabili maximam illam delectationem, & voluptatem ad conservandam speciem; pariter in potu præsertim aquæ insipido inservit delectationem, & voluptatem.

AD cuius intelligentiam expendere opportet calorem nostrum nativum habere duos potentissimos hostes. Vnus est superbum frigus, quod media extinctione superat illũ. Alterum est calidum exterius, quod illum diminuit, & resolvit validissimè; vel sit tale ob regionem natura ardentem, vel tempus anni calidum quale est æstas, vel ob exercitium maximè concitatum. Quæ sicuti possunt inflammare, ita possunt resolvere, & imbecillitate calorem nativum. Quocirca ut possit reuniri in seipso, & confortari, contra vim huius hostis est necessarium excellens frigus, cuius beneficio per Antiparistasim acquirat vim perditã. Quod si calidum exterius, vel exercitij, vel temporis, vel regionis fuerit remissius, remissior etiam debet esse potus refrigeratio.

EXORDIVM summat probatio conclusionis à sacra pagina hoc in loco; tanquam enim maledictionem insinuat, quod ponatur potus in calore. Neque ad literam

aliud

aliud intelligere possum magis genuinum, vel nihil aliud sonat; ut etiam deduximus, ex verbis sequentibus.

HYPPOCRATES, & Galenus in quam plurimis locis cõsulunt frigiditatem potus: unus sit instar omnium lib. de salubri dieta, sub his verbis: Quoscunq; vero sitis corripuerit, his, & cibi, & labores detrahendi sunt, & vinum bibant aquosum, & quam frigidissimum. Galenus lib. de cib. boni, & mali. Suc. propè finem non solum potum, sed & fructus horarios, & cibaria alia refrigerat.

AVICENA lib. 1. sen. 2. doct. 2. cap. 16. hæc verba docet: aqua præterea temperatę quantitatis frigida sanis melior est aquis omnibus, licet nervos impediat, & apostema in interioribus habẽtes ledat, & est ex eis, quæ appetitum excitant, & stomachum fortem efficit.

ET non solum hoc in loco verum in pluribus sacræ scripturæ fit mentio utilitatis frigidi potus, ut in 25. Proverb. Sicut frigus nivis in die mesis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. Et Paulo infra in eandem sententiam dicitur. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. Ex ambobus locis facile intelligimus potum aquæ refrigeratæ admota nive in die mesis, hoc est in æstate, facere requiescere animam potãtis, ut nuntius, seu legatus missus à terra longinquà cum est fidelis tribuit requiem animæ eius, qui eum misit in legatiam. Quoniam scilicet habet fiduciam in nuntio fideli is, qui misit eum requiescit anima eius. Potest hic medicus de potu nive refrigerato authoritatem, & testimonium accipere, atque tempus utendi illo discere non minus quam à Galeno siquidem verba illa; animam ipsius requiescere facit usum demonstrant: Illa vero in die mesis tempus utendi. Nimirum anima physicè plerisque vocatur ipsa respiratio, seu qui respirando attrahitur ipse spiritus. Et Diogenes

ut traddunt qui de eius placitis scripserũt, in eo aëre essentiã animæ esse putavit. Sed ut lubet animæ essentia sit quã vellit physicus, quia respiratu vita servatur, ipsam respirationem animam vocat, quemadmodum ipsius facilitatem seu tranquillitatem animę requiem. Igitur facere animã requiescere est medicis respirationem facilem reddere, id vero fit igneum calorem extinguendo atque hominem attemperando. Quod cum febris calor igneus sit constat, ut possit á multis febribus liberare, atque ita esse utilissimum cum moderatè adhibetur.

PROVERBIORVM cap. 5. legitur: Bibe aquã de cisterna tua, & fluenta putei tu. Planum autem est, quod aqua cisternæ sit moderate frigida absolute tẽpore æstatis ob Antiparistasim, & tempore hiemis respectivè habita consideratione ad minorem intensionem calidi externi. Neque contemnendum est consilium Salomonis Spiritu Sancto afflati, præsertim in victu necessario, aut frustra hæc verba legenda in sacra scriptura.

APPETITVS, & dessideriũ David 1. Paralipo. cap. 11. fuit iudiciosum, quãdo dessideravit aquã, & dixit: ò siquis daret mihi aquam de cisterna Bethleem, quæ est in porta. Profecto non est credibile defecisse absolutè aquã David ad bibendum, quia deficeret toti exercitui, cuius non fit mẽtio in sacra scriptura, præsertim cum non biberit illam, sed libaverit eam Domino. Igitur dessideravit aquam David, quia erat de cisterna, & frigida; & pretio sanguinis virorũ illorum, quia empta Domino libata.

ET Matthæi cap. 10 in fine proponit donũ divina mercede dignum nimirum aquam frigidam: dicitur enim. Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicẽ aquę frigidę tantum in nomine dicipuli, *amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Non dubito quin donum proponatur exiguum, & merces magna: proposuit Dominus exiguũ verum proficuum, & innoxium, quia noxiũ non proposuisset.

SED

SED accedamus ad medicinam, etiam fuit necessarius frigidiusculus potus ob alium finem. Nā cum hic debeat restaurare humiditatem illam, quæ resolvitur, & hoc fiat per humiditatem, quæ qualitas est ignava ad operationē, magis passiva quam activa, conveniebat, quod illi iungeretur, & associaretur in adiutorium qualitas activa & potens; non caliditatis, quæ humiditatem consumit, sed frigoris quæ illam conservat & sua activitate affert corpori iuvamentum & suavitatem, & facit illam breviter penetrare; sicque ex omni parte beneficium confert. Ita quæ à natura primò appetitur aqua frigida, quia est frigida, & humida, & omni animali convenit. Secundò vinum frigidum, quod ultra frigiditatem, & humiditatem, nutrit & est suave. Vltimo appetũtur fructus frigidi, quia recreant calorem nativum, & simul cum illis bibitur & manducatur.

VNDE inferimus, quòd potus frigidus (semper loquor moderate, quia nimia frigiditas à nive multa mala affert, ut dicemus) cōfortat omnes virtutes in suis operationibus ęqualiter, videlicet attractricem, retentricem, expultricem, & concoctricem, & taliter confortat omnia mēbra, & viscera interna, quod illa defendat ab omni forte humoris corrupti, quem valide revocat à centro ad circumferentiam. Deinde potus frigidus purgat omnē fumũ, & vaporē caliginosum, qui ab excedēte calidate aëris fuit multiplicatus, & aggregatus circũ circa cor; qui quodadmodo illum suffocat. Non aliter ac ventus frigidus dissipat, & impellit nebulā caliginosam, quæ in aliquo valle à noctis frigiditate fuit congregata, & condensata.

ET quod frigiditas moderata nivis expellat foras humorē corruptum à centro ad circumferentiam experimēto cōprobatur, in vase vitreo vino, vel aqua frigida pleno, nā brevi tempore à frigiditate liquoris circumstantis expellit foras ad superficiem vasis pannum illum vel nebulā, quæ

oculis delitiosorum maximum gustũ affert quatenus signum est intensæ frigiditatis. Quod vero nebula illa, vel pãnus expulsus sit ab interiori parte vasis, & quod nõ potius sit generatus in ipsa superficie á frigiditate; ostenditur ex eo, quod vas vitreum si exacte, & diligentissimè sit absterſum, quantumvis recipiat frigidissimum liquorẽ non obscurabitur à caligine, neque panno illo afficietur. Debet autem exquisite lavari vas vitreum cum aqua mox cum cinere, tandem cum aceto, hoc enim modo nulla frigiditas erit potens ad vestiendum vitrum.

Ex his omnibus duo inferimus. Primum, quod si corpus fuerit liberum ab humore tristi, & nitidum, illud moderata frigiditas potus conservabit in pristino statu ad instar vasis vitrei purificati, & nitidi, & corroborabit membra interna, ut dictum est. Verum si fuerit (ut ferè semper solet) plenum humiditate vitiosa; tunc potus frigidus sua virtute expellendo ad circumferentiam vitiosum illum humorem conservabit viscera principalia in suo vigore, & confortabit illa contra impetũ futuræ corruptionis.

CALIDVS vero potus multa mala parit, fastidia, cibique aviditatem minuit, viscera contristat, deijcitque eorũ vires, nervos effeminat, mentis torporem efficit animi deliquia, sanguinis profusiones: quæ omnia de tepida subaudire decet. Nam si paulo calidior sit potus peculiaria efficit detrimenta, nam ut ex Galeno 3. de sanitate tuenda colligi potest obdurat contrahit siccatque ventrem, & quas tangit partes, ut carnes semi elixatæ commonstrant quæ ante integram coctionem duriores persistunt, ut ostẽdit experientia.

IN vegetabilibus habemus doctrinam. est enim cõmunis consensus agricolarum, cui etiam astipulatur experientia, quod si arbores irrigentur, aqua calida fructus & poma præcocia fructificant, ut magis norunt hortulani

qui

qui ut ex præcocibus fructibus crescat annona huiusmodi practicant culturam. Verum ut illi fatentur ex tali irrigatione minus durat, & citius consenescit arbor. Quod si crassiora viventia talem noxam persentiunt, quanto magis delicatiora ut homines. Vt hinc inferant qui extollunt frequentem usum balneorum aquæ dulcis calidæ in sanis corporibus, quam parum tutus sit talis usus. Sed de his non est nobis sermo.

AVICENA lib.3.fen.16.tractatu 5. cap. 1. asserit, quod lotio manuum cum aqua calida generat vermes in ventro quem sequitur,& refert Avila de Lobera in lib. quē vocat Viridarium sanitatis cap. 1. Si ergo aqua calida exterius admota hanc noxam efficit, quid efficiet intus sumpta, ubi frigida convenit? Et non solum manibus requiritur frigida, verum etiam faciei, & oculis, ut constat ex Avicena & ex cōmuni Medicorū consensu; omnes nanque docent faciem, & oculos quotidie esse lavandos frigida; de oculis poterat esse maior dubitatio; sed vel sit causa, quod oculi sint frigidi, & quælibet res sit conservanda similibus, ut dicunt Medici diętetici: vel quod Antiparistasis operetur in hoc casu, frigidæ lotiones oculorum faciei, manuum quin etiam & partium oris quotidie repetitæ prosunt.

EXPERIENTIA etiam contestatur; nā ut referunt Medici Itali, in Sicilia ubi calores sunt excessivi, & aquæ parum frigidæ, antequam introduceretur usus nivis, singulo anno per æstatē plurimi moriebantur ex febribus pestilētibus causatis ab oppilatione facta in primis venis per malam digestionem productam à potu calido. Et postquam nivis fuit introducta ab hinc annis 77. Circiter cessaverunt febres pestilentes illæ, & præsertim in Civitate Mecinæ observatum fuit, quod singulo anno moriebantur mille personæ minus quam ante usum nivis. Hoc etiam in nostra Hispania experientia compertum est, ut à maioribus didicimus, & ego cum medicinam inciperem profi-

teri accepi à Chirurgis, & Medicis senioribus, referebant enim, quod in fine æstatis, & principio autumni infinitæ aderant tertianæ, non omnino insalubres, verũ quæ ustionem repræsentabant. Et postquam nivis usus fuit inchoatus minor erat copia ægrotantium eo tempore, verum morbi deteriores, & difficiliores concoctu propter intempestivum usum nivis.

AD rationes calidum præpotantium facillimũ est respondere. Nam quamvis adsit copia pituitæ dummodo nõ sit generata ex intempestivo nivis usu melius concoquetur à calore moderato, quam á calore externo, seu habente multum caloris extranei, quia coctiones fiunt à calore nativo, qui semper in mediocritate consistit.

NEQVE valet, quod aqua calida tandem tandem acquirat per resultantiam suam pristinam frigiditatem, quia difficulter resultat, nam calor corporis actualis semper cõservat calorem. Resultantia enim, aut emanatio frigiditatis semper contingit quando, non adest calor alienus, qui possit conservare quem habet aqua. At vero in corpore indigente potu frigido de quo loquimur, æstuante præ calore extraneo, vel æstatis, vel regionis, adest causa conservans actualem calorem potus, & prohibens quo minus aqua per resultantiam possit acquirere pristinam frigiditatem.

TOTVM confirmat intẽtio curativa hecticorum medio balneo, nam quamvis ad calorem attemperandum balneũ adhibeatur calidum, quia spes adest, quod aqua acquirat pristinam frigiditatem, & tãdem attemperet. Verum duo notanda. Primum, quod ait Galenus 10 methodi cap. 10. quod nisi hectici calida balneati demittantur in aquam frigidam nihil iuvari. Secundum quod intentio magis præcipua in hectico curando est, quæ humectationem solicitat, in corpore vero sano accenso tamen à calore extraneo magis urget refrigeratio.

DE-

DENIQVE ad mala, quæ obijciunt ex usu nivis, dicimus quod sinister usus, & intempestivus nivis illa progignit, nullatenus usus moderatus. Negari non potest, quod maximus sit abusus in nostram perniciem, & quod noxę, quę recensentur ab Hyppocrate, & Galeno ex frigiditate nivis non experiantur. Nocet nanque frigidus potus otio cõfectis, & non consuetis, obstructis, seu oppilatis, senibus vētriculo imbecillibus, venere abutentibus; asmaticis, & omnibus morbis pectoris, & nervorum distillationibus. Fatemur etiam, quod ante usum nivis multæ aderant febres ardentes, & æstuosæ verum non omnino insalubres: grassabunturque febres acutæ plures in autumno quam nostris temporibus nive delitiosis. Simulque quod in nostra ætate à contrario non datur tanta copia febrium æstuosarum, & acutarum, sed tamen maior proventus morborũ cronicorum & insalubrium, ut dolorum arthriticorum, contumacium distillationum specierum asmatis, paralysis, doloris colici, febris malignæ à lenta putredinæ. Quod provenit ab usu intempestivo nivis. Otiosi enim quibus minus convenit nix, illa magis ab utuntur.

SIT unicum corollarium. Cornelius á Lapide cum interpretibus super hunc locum, dicunt quod hic committitur Hypallage, id est figura quam nos suppositionem vertimus, vel sub mutationem, cum scilicet unum pro altero subijcitur, ut cum agere dicimus quod patimur, aut contra, aut cum aliud quid vis præpostere efferimus, ut tradde rati ventos, pro eo quod dicendum erat tradde ratem ventis. Quasi dicatur in potibus, & compotationibus Balsasaris, & Caldeorum ponam calorem eorum, id est faciã, ut incalescant inebrientur occidantur Sed si in rigore sumatur litera, ut explicavimus, nõ apparet magna necessitas admittendæ figuræ. Idem enim videtur esse, vel quod ponatur potus in calore, vel calor in potu, dummodo potus incalescat, aut calor potetur, præsertim cum

ebrietas, & sopor sint effectus, ut diximus calidi potus, & ut tales consequentia sermonis ponantur in textu sacro.

CAPVT LI.

ET quando nata es in die ortus tui non est præcissus umbilicus, & aqua non est lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Ezechielis *cap. 16.*



LOQVITVR Propheta de Israël, cui hæc omnia contigerunt in despectum. D. Chrysostomus homilia 33. in Matthæum in opere imperfe. Ortus Israël, ait est vocatio Abrahæ inventus dum Iacob cum suis descenderet in Ægyptũ. D. Hieronimus inquit. Ortus de quo textus fuit exitus de Ægypto, quia lex fuit data in Sinai, & secũdum legem nascebatur. Alij interpretes volunt, quod post mortẽ Ioseph fuit ortus tum quia cœpit tunc multiplicari, & crescere; & tunc meruit nomen populi. Tum etiam, quia proiectus fuit tunc tyrannidi Pharaonis quasi puer cui, nec umbilicus præcissus fuit, & aqua nõ fuit lotus in salutem, nec sale salitus, nec involutus pannis.

PER umbilicum aportet intelligere vasa umbilicalia de quorũ numero non satis constat inter anatomicos. Alij tria tantũ ennumerãt; alij quatuor, alij quinque. Qui tria concedunt, unicam venam, & duas arterias assignant. Qui quatuor esse volunt, addunt his tribus urachõ. Qui quinarium decernunt numerum, duas venas, totidẽque arterias & urachum signant. Sed peritissimi anatomici inter quos

est

est Andreas Laur. doctissimus lib. 8. q. 17. in homine, & in cæteris animalibus quatuor vasa perpetuo observavit. Primum omniũ vena est embrij unica nutrix, quæ omnino simplex ab hepatis scissura ad umbilicum fertur. Vbi autem umbilicum attigit bipartito dividitur, duosque statim diffundit ductus, hi in alios atque alios divaricantur, & membrana illa quam chorium diximus appellari comprehensi cum venarum uteri osculis coniunguntur, in ovibus quidẽ, & suibus per cotyledones, & acceptabula umbili effigiem repræsentantia; in hominibus vero per molem illam carneam, quam placente carnem, & uterinũ iecur anatomici vocarunt. Vena ergo ab umbilico ad hepar unica est, & solitaria ab umbilico statim dividitur, & duplex apparet. Hoc modo cõciliandi sunt repugnantes Galeni loci, quibus nunc unicam venam, nunc duas esse affirmat. Arteriæ umbilicales duæ sunt, una utrinque non à corde, sed á ramis illiacis exortæ descendentis prodeuntes. Quartum restat vas, urachum veteres appellarũt quod eo canali urinam profundat fœtus in membranam. Hoc plures anatomici iuniores negarũt in humano fętu & in brutis tantum reperiri asserunt cum tamen in homine semper observaverit Andreas Laurentius. Nam á fundo vesicæ hominibus non minus quã brutis ad umbilicum fertur productio nervea. Hæc in humano fœtu nõ extat, ut ligamenti solum officium præstet (alligatur enim adhæretque vesica firmiter viccinis partibus inter positione fibrarum multarum exortarum aperitoneo) sed ut eadem qua in brutis ratione urinam deferat. Cõfirmat hoc historia, puellæ cuiusdam cui cum suppressa per multos dies fuisset urina, tandem per umbilicum eam profudit. Fernelius etiam cap. 13. lib. 6. cuidam (inquit) annum agenti trigesimum, obstructa vesicæ cervice, urina affatim, tanquam è mictione ex umbilico in multos mẽses, profluxit; idque citra tumorem, citra ullam aquæ

in abdomine collectionem, & citra valetudinis offensam. Cum hinc multi admiratione tenerentur audirem vero recens in lucem edito male vinctum umbilicum nunquã coaluisse, ex hincque semper nonnihil stillasse, censui nondum inaruisse urachum, & nunc illi perinde, atque dũ utero gestaretur, urinam è vesica in umbilicum refluere. Sunt ergo quatuor vasa umbilicalia, vena unica, duæ arteriæ, & urachus, quæ circa umbilicum coeunt, & velut canali quodam longo nerveo, tortuoso includuntur, funiculum vocant, laqueum, intestinulum; alioqui huc illuc ve, incerto, & vagabundo, ductu fluerent, aut rumperentur, aut implicarentur. Quatuor hæc vasa fœtu in lucem edito tanquam emerita degenerant in ligamentum.

Sub nomine ergo umbilici de quo in nostro textu, quatuor hæc vasa in unum coeuntia intelliguntur, quæ præcissa non esse dicit. Adaptatur enim sacræ scripturæ locutio his, quæ contingunt naturaliter. Et ut inquit Avicena fen. 3. primi doctrina prima capitulo primo; quod infanti dum primum fuerit in lucem emissus debet scindi umbilicus, seu vena umbilicalis dimittendo illam longitudinis quatuor digitorum.

Sequuntur verba textus: & aqua non es lota in salutem. Quæ etiam alludunt ad consuetudinem lavandi infantes recens natos. Sed an rationabilis fuerit consuetudo, & ex arte, & iuxta bonam praxim Doctorum non caret examine. Et primò sacræ scripturæ insinuatio non parum confirmat affirmativam partem, aut saltem, quod fuerit praxis illorum temporum, aut debuerit esse, recenset nanque opera, quæ exercentur ex necessitate naturæ circa corpus infantium nuper editorum in lucem: verba illa in salutem maximè denotant utilitatem, & salubritatem talis lotionis. D. Hieronimus ait lavantur infantes, ut in lucem exeunt, sub qua diligentia utilitas naturæ continetur, & ad quam alludunt verba Evangelij, nisi quis re-

na-

natus fuerit ex aqua,&c Quasi hæc renativitas sit ex aqua & Spiritu Sancto, ut prima fuerit ex sola aqua, quam quia mox attingunt infantes recenter nati ex illa videntur nasci.

VTRVM vero hæc lotio fuerit ex sola aqua eaque calida dubium est. D. Hieronimus ait, lavantur infantes, ut cruor tollatur ab illorum corpore, adeo nanque fędati, & conspurcati exeunt, ut parum à victima dissideant. Deinde etiam ut calida aqua extendantur membra; & ut caro etiam reddatur lenis, & mollis. Rab. David vertit non est lota ad lenitatem. Rab. Manahem non est lota ad delitias.

VERVM enimvero quamvis forsam fuerit ex usu, apud aliquos, lotio infantium ex aqua calida ad prædictos fines, nempè ad detergendas cruentas humiditates, & ad extensionem membrorum. Non erat hæc lotio communiter usualis, & salubrior. D. Hieronimus ad robur conciliandum (inquit) saliuntur corpora infantium. Itaque lotio cuius mentio fit in sacra pagina, proculdubio non erat ex sola aqua, sed ex aqua & sale. Non enim verosimile est, quod lavarentur ex sola aqua, & postea sale condirentur corpora, sed ex aqua modice salita.

ADDVCOR, ut credam ex his, quæ scribit Galenus 1. de sanitate tuenda cap. 7. in hunc modum. Ergo recens is natus infantulus, cuius corporis constitutio omni nota vacat primum quidem fascijs deligetur. Sed corpori prius toti sale modicé insperso, quo cutis eius densior solidiorque ijs, quæ intus sunt partibus reddatur. In utero enim æquè cum reliquis mollis erat: cum nec durus ullum corpus inibi contigerit, nec aër illi usquam frigidus inciderit; quorum comercio contracta densataque, & quam ipsamet prius, & quam reliqua membra densior duriorq; fieret. At quoniam iam editus infans in frigore calore, atq; inter corpora multo se duriora versetur necesse est ob

hæc

hæc ipsa nimirum naturale eius tegmen præparari quodadmodo á nobis reddique ad indolentiam tolerantiam quam aptissimum par est. Ita vero qui secundum naturā se habent infantes, vel solo sale præparati munitique abūde fuerint: quando qui siccorum mirti foliorum, aut aliorum id genus inspersione egent; ijs plané vitiosus status sit. Nobis vero ad præsens, de ijs qui optimo statu sunt differere propositum est. Ergo hi fascis (ut dictum est) involuti lacte pro alimento utantur, & balneis salubrium aquarum. Hæc Galenus. Aliquid etiam in veneris fabula adumbratum est, quandoquidem venus secundum Poëtas ex maris spuma nascitur ob quam causam aphroditē appellarunt. Ægypti, & Mexicani recens natos in frigidā immergunt, ex qua balneatione magis utili quam delitiosa robur corporibus conciliari meritò credunt, ut provinciales illorum testantur historiæ. Contestatur Virgilius.

Durum à stirpe genus natos ad flumina primum.
Deferimus, sævoque gelu duramus, & undis.

Avicena iubet lavari infantem recens natum muria, seu aqua & sale modico, ut cutis infantis indurescat, & ita minus sentiat impressionem frigoris, & caloris, aut fasciarū quibus involvūtur, ut sentiret si non induraretur ob molliciem quam educit ab utero. Qua causa omnia sentit infantulus frigida, aspera, & dura. Avila de Lobera lib. de regimine infantium, ait, quod his nostris temporibus non usitata est lotio infantium ex aqua, & sale, verum quod esset utilissimum ungere totum corpus infantium oleo ex glandibus, vel oleo mirtino, mox lavare aqua tepida.

VERUM si magis placet, quod corpora infantium salirētur, & hoc esse magis ad textum, salis naturam admirari licet, qui miros, & varios præstat in corporibus effectus. Et præsertim in infantibus recens editis in lucem. Sal enim calidæ est naturæ, unde Aristoteles 1. problematum 38. quærens cur dētium stuporem portulaca herba, aut sal tollere pos-

possit? De sale respondet, quia macerat liquefacitque, atque ita acorem quoque extrudit, innuens ob caliditatem, ac siccitatem salis absumi, exiccari, ac resolvi acciditatem, quæ dentibus inhærebat, & stuporē intulerat. Caliditati autem adiunctam esse siccitatem nemo inficias ibit cui præsertim constet salis generationem ex terrea & exusta materia cum aquea commixta emanare, aquea tamen vi caloris absumpta, & in habitum discussa terrena vero sicca remanente, ideo rectè dictum à nonnullis sali dum adhuc sit plurimum humoris, dum vero iam constitit, & concrevit plurimum siccitatis inesse. Hinc etiam pendet affinitas salsi saporis cum amaro, qui ambo adustam, & terream habēt materiam unde sępè salso amarū coniungi videmus, ut in mari, ut in cineribus, quāvis in amaro siccitas maior exuperet, in qua etiam sal vincitur ab aphronitro, cui vicissim sal in contrahendi facultate antecellit. Ex his quoque patet, cur in rebus aridis amari sensus evidentior sit. in aqueis vero, seu liquidis salsi. Quod postremo sal constringēdi vim possideat, aperte traddit Gale. de simpli. medi. 11. & 9. cap. de aphronitro. id quod ab effectu quoque abunde cognoscitur, nam quidquid in corporibus minimè compactum cōtinetur sua adstrictione cōtrahit, & ad unitatem deducit: & hęc omnino est causa propterquam Aristoteles 9. problemat. 1. ad vibices, vel sugillatā salis usum tantopere valere exaravit cum etenim ea, quæ contusa, seu collisa sunt, ratione cum doloris, tum caloris humores ad se se alliciant, sicq; in tumores elevētur, si sale perfricātur aceto præsertim addito ab affluentium humorem impetu, & consequenter ab inflammatione, & quovis tumore præservantur, adstrictis nimirum, & in unum coactis partibus laborantibus, & imbecillis. Quo nomine similiter sal carnes servat, & á putrilagine, & ac fędis vaporibus tuetur; unde Plinius loco nuper allato de sale verba faciens dicit, quod corpora

adstringit siccat, alligatque, & defuncta etiam à putrescendo vindicat, ut durent ita per secula. Quærentes nonnulli causam ob quã Recutitis sive Iudæis in sint a natura grassoniæ, nempé tetri odores corporis, respondent cum Cãpegio, quia Christum Salvatorem nostrum non colunt: At Ioannes Huchenus lib. de sterilitate scribit, hoc ideo in illis fieri, quod à sale salisque edulijs ex lege sua abstinere cogantur.

OMNES huiuscemodi facultatis congruentissimæ sunt, in recens natis. Nam primò corpora infantium exeunt humidissima quoniam toto fœturæ tempore novem mensiũ immersa sunt in balneo propriæ urinæ, & sudoris. Exeũt etiam ut plurimum adiposa, & pinguia circa habitum corporis & cutim, ut aliquando satis magna copia sebi ab illis possit extrahi; quod tamen mulierum vulgus perniciosissimum censet, nisi quod in corpore maneat illita, & inibi imbibatur. Ex quibus omnibus humidum redditur corpus infantium, & quodadmodo exiccari desiderat, quod commodissimè consequitur sale; siquidem virtutem habet exiccandi satis strenuam. Deinde etiam abstergẽdi vim habet efficacem, ut ostendunt vasa vitrea, quæ & sale etiam, & mox aqua mundificantur exactè, corpora vero infantulorum recens natorum sordidissima in lucẽ emittuntur: & non mirum cum uterus sit sentina omnium excrementorum totius corporis in quo conspurcati iacent novem mensium tempore.

IN tractatu nostro de variolis abundè monstravimus contra communem sententiam, causam variolarum consistere in excrementis tertiæ coctionis fœtus, quæ impossibilem habent expurgationem, & proinde manent in habitu corporis detenta, quæ deinde accedentibus concausis producunt variolas quibus etiam huiusmodi lotio, & salis inspersio multum prodesse potest; nam, & eruptis variolis prodest. Sal ergo, ut inquit Plato in Dialogo de natura

Deo

Deo amicum corpus, qui in omni oblatione iussum fuerat á Deo in lege Moysi, ut offerretur, ad condienda corpora infantium erat in usu. Mirabilem habet naturam, nã neque ad metalla referri potest, quia non dissolvitur calore, neque inter lapides recensetur, quia dissolvitur aqua, neque inter terræ genera, quia totus dissolutione abit in aquam, non quidem in ea subsidens, sed solutus in aquam crassiorem: neque vero est aqua, quia non absumitur ab igne, sed uritur potius ut terra. Quid ergo illũ esse dicas, nisi Autogenon, hoc est sui generis? Est enim quasi naturę balsamum, & omnibus mixtis illum immiscuit natura, ut ea condiat, & stringat.

SED hoc non caret controversia utrum sales in rebus illis è quibus eliciuntur in sint an vero ex illis fiant. Quam plurimi sunt, qui existimant sal re vera in rebus non inesse, sed generari ex mixto, & solum terrenas partes mutari propter igneam exhalationem in salsam qualitatem. Multi vero recentiores inter quos sunt chymici contra re vera salem rebus inesse, chymicam vero artem duntaxat eum separare affirmant. Quæ sententia verior censetur. Hinc illud Catuli Poetæ.

Non est in tanto corpore mica salis.

Insulsa nanque dicerentur talia mixta, nisi tali sapore condirentur. Quod etiam notat homerus.

Divino sale conspersit.

Etenim non solum ustione cineribus salsa qualitas ob igneas exhalationes inducitur; sed profecto sal verus, & naturalis latet atque inde elicitur, ut qui hoc iam negare audeat authoritatem, & fidem sensuum vocare videatur in dubium. Salem enim illum ante rebus fuisse, nec saltẽ terrearum partium adustione factum esse ex eo patet, quod ubi sal ex cineribus aquæ affusione diligenter est extractus etiam si reliquam terram uras, & aduras quantum potes & quantumlibet, ne micam salis inde elicies. Bené verum

est

est, quod si hanc terram soli exponas, tractu temporis virtute solis poterit iterum in ea sal generari præsertim si aqua humectetur, ad generationem enim salis aquea humiditas debet semper concurrere. Videmus enim abradi terram ad nitrum, & pulverem tormentarium efficiendum: terra autem quæ manet abrasa quamvis pro tunc maneat inutilis ad eundem finem & novam abrasionem, tractu tamen temporis utilis redditur, quoniam adustione sol concurrente humiditate novam efficit salis generationem.

PRÆTEREA non ex qualibet terra, aut re adusta sal, neque etiam ex omnibus eadem copia elicitur. Lateres qui maximo calore indurati sunt, & si terrantur, & aqua sæpius perfundantur vix aliquid salis supeditabunt. Ex plantis quibusdam magna salis copia extrahitur, ut ex sarmentis vitis absintio, & alijs. Aliæ contra, ut cucurbitæ, & similes parum, aut nihil tribuunt.

DEINDE non semper magna illa; & quæ ad incinerationem ducit ustione opus est ad salem eliciendum, & nō valdè magnus calor sufficit ad eliciendos sales votatiles, ut in succino, cornu cervi, & similibus videre est, tum quoq; sale illo, qui ex urina elicitur; imo sæpé nulla calcinatione, & ustione sales è plantis parantur.

PLVRIMÆ quoque terræ, ut & columbarum fimus solum aqua perfusæ nitrum, seu salem petræ suppeditant. Vinum sine externo calore sal tartari à se expellit, & ad vasorum dolia concrescit, quibus adhærescere reperitur.

Ex quibus concluditur, ut destillatæ aquæ, quæ ex plantis extrahuntur, nō caloris opera sunt, sed calore illo separantur: ita etiam sales non fieri per ignem, sed id officium solum ab eo præstari, ut partes reliquæ non fixæ separētur ut postea salsæ fixæ, & stabiles relicta aqua educi, atq; elui possint. Sunt quædā terræ, quę quia sunt salsuginosę, omnes fructus, & carnes, atq; alia alimenta producūt suaviora

quam

quam reliquæ insipidæ; indiciũ evidentissimũ, quod mixta illa omnia continent salem illum in generatione participatum. Sol enim quemadmodum aquas maris & stagnantes reddit salsas, ita etiam salem generat in mixtis, sine indigentia ignis artificialis.

SIT primum corollarium. Ex dictis colligitur, quod D. Chrysostomi, interpretatio fuerit magis consona textui. Nam verba immediaté antecedentia sunt hæc. Radix tua, & generatio tua de terra, Chanaã pater tuus Amorreus, & mater tua chetea. Et quando nata es in die ortus tui nõ est præcissus umbilicus tuus, &c. Dictio coniunctiva, &, unit omnia verba. Igitur ortus Israël videtur significari vocatio Abrahæ dum Iacob cũ suis descenderet in Ægyptum siquidem descendebat de terra Chanaam, & hanc illi proponebat radicem; postea vero hæc sequuntur verba: non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his misertus tui.

SECVNDVM corollarium. Vmbilicus est radix fœtus. Nam quemadmodum arbores per radices accipiũt nutrimentũ ex terra, ita homo dum fœtus est in utero (qui etiã arbor dicitur etiam extra illum) per umbilicum accipit alimentum ex matre. Dicit ergo quod non est præcissus umbilicus, quasi hoc modo adhuc esset eo tempore unita cũ matre, & terra Chanaam, & posset accipere pravum nutrimentum ex tali terra, nisi Dominus misertus fuisset illius. Ideo etiam dicit radix tua de terra Chanaam.

TERTIVM corollariũ. Dicit deinde, & aqua nõ est lota in salutem. In superioribus diximus, quod fœtus mox dũ in lucem emittitur, & dicitur infans lavatur, vel antiquitus lavabatur tum ad abstergendum cruorem tractum ab utero, tum etiam ad corroborandum corpus. Ait ergo quod non erat lota, & á sanguine terræ mundificata in salutem proinde paulo infra legitur: Transiens autem per te, ut vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi

cum esses in sanguine tuo. Vive dixi inquam tibi in sanguine tuo vive. Et inferius inter misericordias dicit: Et lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo.

CAPVT LII.

ET dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps Eunuchorum super Danielem, Ananiam, Missaelem, & Azariam: Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, & detur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum qui vescuntur cibo regio, & sicut videris facies cum servis tuis. Qui audito sermone huiuscemodi tentavit eos diebus decē. Post dies autem decem apparuerunt vultus eorū meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio Daniel. *cap.* 1.



NABVCHODONOSOR Rex Babilonis, ut habetur dicto cap. Danielis iussit præposito Eunuchorum, ut introduceret de filijs Israel pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma inter quos ingressus fuit Daniel, qui proposuit in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, neq; de vino potus eius. Pro quo rogavit præpositū qui respōdit timeo ego dominū meum regem, qui constituit vobis cibū, & potū, qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris

ado-

adolecentibus coevis vestris condemnabitis caput meũ Regi. Et tunc sequuntur verba textus, quæ protulit Daniel.

CIRCA textum vero dubium esse potest cur Daniel terminum decem dierum constituerit ad probãdum utrum ex ieiunio, vel abstinentia à cibis mensæ regiæ macilentiores evaderent, ut timebat princeps Eunuchorum, cur ex certo hoc termino deduci posset experimentum, quod manifestaret in facie, aut ieiunium, & abstinentiam, aut nutritionem factam ex cibo regio? Dicit enim tenta nos diebus decem, neque possuit plures, aut pauciores. Ieiunium, & abstinentia poterat reddere vultus macilentiores, hoc est extenuatos, quia defectus cibi non potest restaurare id quod per effluvium perenne triplicis substantiæ quotidie deperditur. Extenuatio autem ieiunij statim elucescit in facie, ut dicitur Matthæi 6. Cum autem ieiunatis nolite fieri sicut Hyppocritæ tristes exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Exterminare est extra terminos eijcere, eos nimirum quos habebat facies, quando habebat crassitiem naturalem proinde dixit, si viderit vultus vestros macilentiores.

CIBVS vero, & potus qui non erat de mensa regis, ubi selectior, delicatior, & laudabilior parari solet, veluti legumina, quæ postulabantur á Daniele poterat faciei colorem reddere peiorem, & minus decorum. Nam ut ait axioma medicorum qualis humor reddundat in corpore talis color efflorescit in cute. Constat autem quod ex edulijs, & cibis generantur humores qui redolent illorum naturam. Porro iuxta naturam humorum fit nutritio totius corporis, & tertia concoctio illius; ac subinde color cutis, ac præsertim faciei sapit naturam humoris nutrientis, qui si laudabilis fuerit, & euchymus gratus erit color faciei & cutis; si vero fuerit cachochymus, & pravus, erit ille ingratus & fœdus. Hoc apparet in viri-

ligine quę importat depravatum cutis colorem ex mala nutritionē.

HAS duas noxas vitatas in Daniele significat textus sub his verbis, post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio. Verbū corpulentiores significat non solum supplementum abstinentię, sed etiā carnium augmentum, nam corpulentia fit ex copia sanguinis laudabilis. Verbum meliores attestatur supra colorem quem significat non solum æque laudabilem, ac reliquorum puerorum, verum etiam gratiorem, & meliorem.

NVNC ergo numerus decenarius continet aliquod mysterium physicū? Pro intelligentia notādum, quod ad hoc ut alimentorum taliū usus possit immutare partes corporis requiritur certum tempus (non enim potest fieri in instanti) quod habet proportionem cum tēpore quo in prima hominis formatione illius partes fuerunt coagmentatæ, nam conservatio est continuata productio, quam proportionem mirabiliter insinuat textus noster.

SECVNDO notandum, quod & in numerandis fatalibus mutationibus, & in condendis legibus ad annorū curricula pertinentibus videtur in sacris literis (in quibus nihil non est perfectum, & cōcinum) semper habita ratio septenarij numeri, qui in decenario comprehenditur ob physicā rationem ut dicemus. Nam septimanis dierum redeuntibus tota vita, & secula omnia, ac totus mundi decursus constat: & hebdomadibus annorum redire voluit Deus, & terræ Sabbatha, & hebdomadarū hebdomadibus annos Iubilei. Sed & tempus Adventus Dñi nostri Iesu Christi à tempore quo Cyrus edicto iussit reedificari Templum, aut quo Esaias ædificandum prophetavit, numeratum est per hebdomadas annorum, ut constat Danielis 9. Hæc legalia respondent naturalibus. Nam ætates hominum per septenia recipiunt mutationes, & tota hominū vita

vita ſeptenijs numeratur. Vndè ſolemne fuit antiquiſſimis philoſophis clymactericos, ſeu ſcalares annos vocare quoſdam, quibus frequentius, quam alijs mori homines ſoleant, hi verò ſunt qui ſeptenijs clauduntur, in quibus præcipuè quadrageſimus nonus & ſexageſimus tertius, quod primus conſtet ſeptem ſeptenarijs, ſecundus novē ſeptenijs. Vocabant veteres hos annos ſcalares, quod vita hominis quaſi per ſcalæ cujuſdam gradus aſcenderet; gradus verò eſſent ipſa ſeptenia, & ſingulis gradibus, in ipſis inſignibus vitæ mutationibus contingeret multos decedere veluti in mortem præcipitatos, novis illis articulis vitæ occurrētibus morbis præcipuè verò ex ſeptimo & nono gradibus. Ac proinde celeberrimi clymactericorũ eſſe dicuntur quadrageſimus nonus & ſexageſimus tertius, & experimento dicitur cognitum his temporibus plurimorum hominum vitas concludi.

Et magis ad rem accedendo mundus totus ſeptē diebus conſiſtit, ut patet in principio ſacræ paginæ. Et mundus minor homo ſeptem diebus formatur, quoad adumbrationem & delineationem partium ſpermaticarum, ut colligitur ex Hyppocrate lib. de genitura & alijs in locis. Et quamvis plures recenſeantur hiſtoriæ de his qui diū ſine alimento vivunt, regulariter loquendo ſeptem diebus ſine refectione, cū exquiſita dieta durat. Ob hanc cauſam ſexto die apprehendit Angelus Domini Habacuc in vertice eius & portavit eum capillo capitis ſui poſſuitq; in Babilonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui. Quaſi iam inſtaret ſeptimus dies ultimus qui poteſt tranſigi ſine cibo, ultra quem ſi ſubſiſteret ſine illo non poſſet vivere. Puer ille quem ſuſcitavit Eliſeus quarto lib. regum 4. poſtquam aſcendit Propheta & incubuit ſuper eū ait ſacra pagina, quod oſcitavit puer ſepties apperuitq; oculos ſuos. Oſcitatio eſt oris apertio, & quaſi reſpiratio, actio quæ ſolet fieri, quādo à ſomno expergiſcimur, & cū ſom-

nus sit mortis imago appositissimè prima actio, quæ visa fuit in puero postquam resurrexit fuit oscitatio; quia prima, & præcipua actio vitæ est inspiratio quemadmodum ultima expiratio, & simillima inspirationi est oscitatio. Sed id etiam, quod astruimus confirmat numerus oscitationum; dicit enim, quod oscitavit septies, quia ut diximus homo septem diebus formatur.

His suppositis. Homo septem diebus organizatur, quoad fabricam partium spermaticarum, paulo vero post fit coagmentatio carnium; & cũ natura moveatur in suis operibus per dies decretorios rationi est consentaneum, quod undecimo die carnes iam sit coagmentatæ. Igitur cum conservatio nihil aliud sit quam continuata productio, eodem modo proporcionaliter se habebit nutritio partium spermaticarum, & carnosarum per alimentum. Primum enim septem diebus fiet reparatio spermaticarum, deinde usque ad undecimum carnosarum. Et quamvis non fiant de novo partes, restaurantur tamen, ita ut alimenti usus manifestam possit efficere alterationem, & immutationem his diebus.

PROPHETA ergo in textu consultô dicit, Tenta nos obsecro diebus decem alludens ad terminum illum quem sibi constituit natura, quasi in eodem termino si aliqua esset observanda immutatio ratione leguminum in vultu, foret de facto.

DEINDE quia numerus decenarius perfectus est. & summus, & ex quo omnes alij subsequentes componuntur, & de quo honorabilis fit mentio in sacra pagina; nam propter decem iustos promisit Deus non delere Sodomam, Genes. 18. & hic terminus fuit ultimus ex multis quos proposuit Deo Abraham. Signũ quod postulavit, Ezech. 4. Reg. 20. Salutis, & vitæ à Domino promissæ fuit, ut in horologio Achaz umbra retrocederet decem gradibus. Simile etiam est regnum coelorum decem virginibus.

PE-

PETRVS Galesinus citatus à Villegas in Floribus Sanctorum, fol. 112. ait, quod Deus tentavit Abraham decem vicibus Et ut vidimus, ex cap. 30. Genesis, Labã mutavit mercedem Iacob decem vicibus, & Iob. cap. 18. ait S. Iob, ad amicos. En decies confunditis me.

ET quod magis est, Sapientiæ cap. 7. dicit Salomon, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni convenienti. Sub hoc numero terminum partus significat, & perfectionis quemadmodum fuit primæ formationis in sensu supradicto. Nam etiam auctor libelli de carnibus, qui inter Hyppocraticos est, affirmat postremum finem quo mulier parere possit decimum esse mensem, neque ullam ultra id tempus posse parere, deceptasque esse omnes, quæ se undecimo affirmant peperisse, mensium suppressione anticipante conceptionem. Libello etiam de alimento Hyppocrates multos variosque pariendi fines connumerans postremum statuit trecentum dies, quos constat decem mẽses perfectos esse, aliquando Solares aliquando Lunares.

SIT primum corollarium. In hoc textu magnificè docemur medici non ob quamcunque finistram aut levem dispositionem eius, qui representatur ægrotans, præbere cõsilium vescendi carnibus in diebus quadragesimalibus & prohibitis: & tales ægrotantes non temere talem necessitatem debere referre. In hoc enim maxima est relaxatio, & abusus. Vrgentissimum, & sanctissimum est exemplum Danielis, qui noluit pollui de mensa regis: & quia urgebat præceptũ regalis cibi, & potus, ut fieret decorus forma, rogavit præpositum ut prius tentaret eos, & probaret decem diebus, & eis darentur legumina ad vescendum. Si levis est morbus non statim concedat medicus carnes, aut æger postulet, sed tentet decem diebus, aut pluribus, & non cum leguminibus, sed cum herbis salutaribus; ovis, & alijs edulis salubribus, & si omnino non cure-

tur morbus aut econtra exacerbetur carnes cōcedantur. Præ oculis habeat opinionē Alphonsi Chirini medici Regis D. Ioannis II. qui firmiter tenet nullum esse morbum lethalē ex carnium abstinentia, & nullam esse carnem talis virtutis necessariæ; atque si tanta esset carnium utilitas sufficeret virtus manducatarum tota hebdomada, & spes repetitionis ad supplendum diei veneris defectum. Sed consuetudo est antiqua, & prælatorum tolerantia tollit scrupulum, verum cautio adhibenda.

SECUNDUM corollarium. Magnam habuerunt Daniel & pueri fiduciam in Dño, quod vultus eorum non erant immutandi in peius ex esu leguminū: proinde dixit tenta & contemplare vultus nostros, & vultus puerorū, qui vescūtur cibo regio; non enim speravit futuros, sed æquales, aut meliores, & respondit effectus fidei siquidem dicitur, quod apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores.

TERTIUM corollariū. Proculdubio elevavit Deus, aut immutavit virtutem alimenti postulati à Daniele, ut foret prodigium apparuisse vultus Danielis, & puerorum speciosiores. Nam legumina sunt semina, quæ in siliquis nascuntur, ut cicer faba, lens, ervum, pisa; ex quibus pleraque sunt pravi succi, & omnia flatuosa, quapropter minimé conducunt ad bonum sanguinem gignendum, & consequenter neque ad creandam bonam carnem, & colorem, quæ ex sanguine producuntur. Duntaxat dici potest, quod abstinentia potuit meliorare succi pravitatem; quia in inedia calor per otium elaborat cibos, atque ita potest quodadmodo eos rectificare si pravi fuerint. Quod observamus in Monachis Cartusianis quorum aliqui aliquando sani existunt, & boni coloris supplente abstinentia cibi bonitatem, & carnium defectum. Verum enimvero prodigium, adest in nostro textu, tum quia bis dicitur, quod fuerunt le-

gu-

gumina quibus vescebantur pueri, quæ quia flatuosa incommoda sunt, ut diximus ad intentum Nabuchodonosor; neque fit mentio aliorum ciborũ boni succi qui possunt supplere defectum carnium, ut in nostris mẽsis amigdalatum, borrago, scariola, ova recentia, & alia id genus, quæ succi sunt inculpati, & inter Cartusianos carnes testudinum. Tum quia etiam abstinuerunt á vino, quod bonum colorem præstat moderate sumptum, ut patet ex verbis nostri textus.

CAPVT LIII.

EAdem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum, ut bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem Aquilarum cresceret, & ungues eius quasi avium. Danielis *cap.4.*



PPARET Nabuchodonosor in belluam conversus per septem annos in sacra scriptura siquidẽ, & figura illi mutata esse dicitur ab humana; nam paulo ante præscripta verba, ita dicitur in eodem capite, cũ feris pars eius in herba terræ. Alimentũ commune omniũ ferarum, & brutorũ est herba terræ, & Nabuchodonosor iure acquisivit partem in herba terræ, quasi in feram commutatus, & una factus ex illis. Et paulo infra in eodem capite dicitur: In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei decoremq; perveni, & figura mea reversa est ad me. Quasi scilicet, & figurã hominis amisisset, & sensum.

HVIVSMODI Metamorphosis fuit degeneratio Nabuchodonosor in morbum eum quem medici vocant melãcoliam, ita tenet Vallesius in sacra philosophia cap. 80. Quem sequuntur interpretes recentiores sacræ paginæ. Probatur, quia duo sunt signa pathognomonica melancoliæ scilicet timor, & mæstitia, ut ait Hypp. 6. apho. 23. Si metus, & mæstitia longo tempore durent melancolicum affectum significant. Hæc signa solent antecedere morbũ, sed quando sunt in debita intensione præsentem iã morbum denūciant, & pathognomonica dicuntur seu morbũ circumscribentia. Sic contingit in Nabuchodonosor: dicitur enim in principio dicti capitis. Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea. & florẽs in palatio meo somnium vidi, quod perterruit me; & cogitationes meæ in stratu meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me. Hîc significãtur duo signa, nempè timor, & mæstitia, in terrore, & conturbatione. Præterea, & actiones id etiam ostendunt, nam qui laborant hoc morbo insaniunt non eodem modo omnes, sed multifariam, ut sunt eius morbi multæ, ac longè diversæ species. Inter alia insaniæ genera illa sunt celebratissima, quod se in animalium aliorum formas mutatos esse imaginantur, faciuntque, & patiuntur omnia quasi re vera, ita esset: Alij in canes, & latrant: alij in Gallos, & cantant, & concutiunt latera: alij in lupos & exeunt noctu domo quæruntque sepulchra, & versantur libenter cum cadaveribus. Adeo sunt celebres hæ insaniendi differentiæ, ut ab illis indita sint morbis nomina. Vocatur enim canina melancolia, & lupina. Verùm plures sunt insaniendi modi quam morborum nomina. Nõ enim ullum peculiare nomen est eius insaniæ, qua se quis esse gallum putat, aut asinum aut bovem; est tamen omnibus his commune nomen insania ex melancolia.

HIC Nabuchodonosor haud dubie neque canem se, neque lupum se esse imaginabatur siquidem fugiens sem

per

per homines vitam agebat in silvis, & vescebatur herbis, quod neque Canū, neque Luporum est, sed Onagrorum, aut Boum: aliquid igitur tale esse seipse putabat, appetebatque belluinam vitam, & victum.

Hic non intendo medicum agere, & omnia quæcunq; dici possunt de melancolia dicere. Sed solum illa, quæ physica sunt, & quarum probatio pendet ex sacra pagina, quę ut à prima veritate dictata est, ita veritatibus aliarū scientiarum authoritatem præbere potest.

PARTEM affectam omnes cum Galeno, fatentur esse cerebrū in quo sedes est melancoliæ. Verumtamē procul dubio compatitur cor necessario, ita ut sit veluti secunda pars affecta. Hoc primus notavit Avicena fen. 1 tractat. 4. lib. 3. cap. 18. Et quandoque ait fit propter causas alias infrigidantes, & exiccantes, non ex corde solum, cum tamē non sit possibile, ut fiat absque communitate cordis imò fortasse magnitudo causæ in ipso erit corde, & propter hoc necessarium est, ut associetur, vel continuetur cura cordis cum cura cerebri in hac ægritudine: & scias quod sanguis cordis quando est tersus subtilis, clarus, letificans resistit corruptioni cerebri, & ratificat ipsum, imò non est mirum, si sit secundum plurimum principium illius ex corde, licet non confirmetur ægritudo, nisi in cerebro. Hæc Avicena.

Hoc idem confirmatur ex nostro textu sacro; in quo eodem capite ita scribitur: Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei. Et negari etiam non potest, dum iracundia doloribus, gaudio, metu, cæterisque eiusdē animi perturbatibnibus concutimur, conspicuè atque insigniter cor in nobis opprimi & gestire, animique perturbationes in corde fieri, quæ omnia accidentia manifeste conspiciuntur in melancolia.

QVA ratione autem spiritus, ac vapores melācolici tristitiam, ac merorem efficiant, alterum problema est: quia

in-

inter Galenum & Averroem controversia est. Galenus 2. de sympto caus. cap. 6. ait: Ex humore melancolico timorem & tristitiam oriri nihil mirum: siquidem etiam eorũ quæ extra corpus sunt nihil videmus, quod nos perinde terreat ac tenebræ. Ergo cum tenebræ rationalis animæ parti sunt circumfusæ necesse est hominem timere, ut qui semper una cum corpore sui timoris causam circũferat. Averroes vero 3. colliget cap. 40. irridet hanc Galeni philosophiam, quasi dixerit verba cantionum: cerebrũ enim inquit nõ videt sine oculis, ac subinde nihil interest, quod tenebræ rationalis animæ parti sint circumfusæ, cum videri non possint.

PLERIQVE recentiorum tenent Galeni sententiam, sed cum hac explicatione, quod coloris & tenebrarum mentione intelligatur illius naturalis puritatis ac luciditatis amissio seu spirituum obscuritas impuritas & tenebricositas. Sicut enim spirituum opticorum ad videndum requiritur luciditas, & oculus nisi lucidus sit naturalem suam constitutionem non habet; ita & spiritus animales si non lucidi & puri verum oppaci & obscuri, & quasi tenebricosi sint actionibus illis principalibus, non rectè inserviunt. Et quamvis illa oppacitas spirituum oculis primo non videtur & hinc ad imaginationem defertur, tamẽ imagines per sensum perceptæ repræsentantur imaginationi & ratiocinationi per spiritus obscuros & oppacos sicut imagines, quæ visui per coloratam corneam, aut humorem aqueum fumis inquinatum aut vitrum coloratum transmissæ colorem induunt. Quod si sit ob illam oppacitatem qua species & imagines quasi inficiuntur nõ mirum est timorem & tristitiam oriri.

SED hæc explicatio non satisfacit: si enim requirit spiritus luciditatem, & si eam non habet non potet inservire actionibus principibus; ergo cum spiritus sit instrumentum si optimam constitutionem non habet; omnes actio-

nes

ties principes nulla excepta depravatæ fient:& non redditur ratio cur in specie timor,& tristitia. Videmus melancolicos plures actiones habere inculpatas; quod fieri non potest si spiritus omnis ineptus fuerit ex mala constitutione, ut actionibus inserviat.

INTENDAM explicare Galenum ut vindicem eum à calũnia Averrois,& pateat solutio problematis. Verũ quidẽ est cerebrum non videre colorem aliquem sine oculis,tamẽ dantur in eo species tenebrarum,quæ cũ sint privatio repræsentãtur per species alienas,nimirũ per quasdã nebulas,& caligines nigras. Præterea humor melãcolicus producit vapores,& spiritus obscuratos,& crassos similes prorsus speciebus quas de tenebris habet cerebrũ;siquidẽ ergo tenebræ terrent per has species,quæ in colore crassitie, & caligine nihil differunt à vaporibus melancolicis; mirum non est,quod hi etiam timorem causent,& tristitiam ob analogiam,quia quãdo meminimus tenebrarum, quæ iam transierunt contristamur, cum tamen tunc nihil videatur per oculos. Excitat ergo nigredo,& crassities melancoliæ analogia species tenebrarum,& cõtristat. Vt species rei rubræ visæ excitat furorem in tauris, & elefantis. Vide Valles sacr. philosof. fol. 100. Et hoc est, quod dicit Galenus. Ergo cum tenebræ rationalis animæ parti sunt circumfusæ necesse est hominem timere, ut qui semper una cum corpore sui timoris causam circumferat. Hæc est causa utriusque symptomatis timoris,& tristitiæ,nam timoris seorsum potior est causa frigiditas humoris melancolici, ut dicit Averroes, tantum enim unumquenque habere audaciæ ait, quantũ habet caloris; unde & mulieres viris pueri adultis, senes iuvenibus timidiores sunt. Quod & illo probare volunt, quod melancolicos calfacientibus, & humectantibus Galenus curandos statuit, & vinum tristitiam adimit non propter colorem suum, sed ob caliditatem, & humiditatem. Itaque alia causa est

tri-

tristitiæ, alia timoris, alia utriusque timoris, & tristitiæ.

CAVSAT etiam timorem, & mæstitiam, & potius hanc, tēperamentum siccum cerebri, & licet dicatur senem biliosum siccius habere cerebrum ab ætate, & natura, & tamen non terreri: hoc non obstat, quia senex siccior est nativa siccitate non tamen acquisititia, sed magna humiditate madet. Humor autem redundans ad actiones animales facit, & ob id temperatus homo humiditatibus scatens in cerebro diminute exercet actiones animales principes.

PRÆTEREA generat etiam timorem, & mæstitiam tenacitas obiecti metuendi; cum enim spiritus in melancolico sint crassi retardant discursum, ut ad rationes, quæ timorem tollunt, & ad obiecta iucundiora convertatur. Quapropter ponderato maximè obiecto timoroso timorosius ipsum censetur, & iudicatur, ad quod etiam confert siccitas acquisita ex tali conatu.

TANDEM causa mæstitiæ in melancolicis est inopia spirituum. Ex humore enim melancolico pauci generantur, utpote inepto: iste enim est crassus, illi vero tenues, hic oppacus, illi perlucidi. Hoc patet in inedia, quæ mæstos reddit homines quoniam præ defectu alimenti pauci spiritus generantur. Et hæc etiam est causa ob quam pondere superat homo ieiunus cibo refectum, quia ille paucos habet spiritus, qui levitate faciant corpus, ex quo magis melancolicum, & ponderosum; hic vero ex alimēto generat spiritus, qui leves cum sint corpus extolūt. Porro quodlibet corpus requirit certam mensuram spirituum ad actiones, quia etiam magna pars virium consistit in genere spirituoso. Et confirmatur, quia vinum ideo tantum lętificat cor hominis, non quia calidum, & humidum, aut temperatum, quia plura dātur calida, & humida, & temperata, quæ non pariunt letitiam; sed quia ex vino plures generantur spiritus, qui corpus irrorant letitia.

SIT primum corollarium. Estimabilia sunt verba nostri

stri textus. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor. Quæ hora fuit hæc? profecto hora superbiæ. Dicebat enim: nonne hæc est Babilon magna quam ego ædificavi in domum Regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Nam statim subiungit textus, cumque sermo adhuc esset in ore Regis vox de cælo ruit: & facta comminatione, illico dicit. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor. Completa superbia completum est flagellum, & proinde dicit cumque sermo adhuc esset in ore regis; & postea; eadem hora sermo completus est: quasi sermo superbiæ sit sermo flagelli, & sermo belluarum in quarum speciem fuit conversus Nabuchodonosor.


SECVNDVM corollarium. Figura fuit mutata Nabuchodonosor, non quidem penitus in belluinam, sed parum aberat, & in magnam deformitatem, & faciem ab humana diversam, corporis tota cute durata, & infecta à rore cœli cum versaretur nudus ortisque pilis crassissimis, ut quodadmodo imitaretur plumas. Proinde septuaginta interpretes pro aquilarum habeant leonum. Quod sane ab eiusdem morbi causa fiebat à copiosa scilicet fuligine crassissimæ melancoliæ. Vngues quoque illi creverunt factiq; sunt, ut rapacium avium, ob copiam crassi terreique alimenti, & ob tam longam amputandi cessationem. Et quia Nabuchodonosor rapuit bona omnium proinde assimilatus animalibus rapacibus, ut aquilis, & leonibus.

TERTIVM corollarium. Dubitari potest utrum salus Nabuchodonosor supernaturaliter fuerit cœlitus immissa. Crediderim quod sic, quia videtur insinuare textus, dũ ait: Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cęlum levavi, & sensus meus redditus est mihi. Neque tanta deformitas, unguium, & plumarum poterat naturaliter, ita breviter expurgari nisi accederet divina voluntas. Vlterius dubitatur utrum intercesserint cau-

sæ naturales in restituenda sanitate. Profecto quàvis prodigiosa fuit sanatio Nabuchodonosor, aliquid permisit Deus operari causis naturalibus: id circo dicit Vallesius, quod duravit morbus hic annos septem. Quod tempus multis morborum longissimorum est fatale, & decretorium ob vim septenarij. Igitur critice fuit iudicatus. Potuit expurgari corpus regis à crassissima melãcolia per poros, ungues, cristas, & pilos spatio septem annorum. Dicunt enim auctores, & præsertim Arabes, quod bruta liberantur à variolis morbillis, & alijs morbis expurgata materia in cornibus, unguibus, & pilis crassissimis.

CAPVT LIV.

IN *tempore illo percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi; nec ultra potuit loqui verbum, & mandare de domo sua. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno.* 1. Machab. *cap.* 9.



NON Est in animo omnia, quæ possent dici de paralysi hic enarrare, sed solũ ea, quæ necessaria sunt ad textus explanationem, aut ea, quæ antecedenter textus explanat. Notum est, quod Alcimus fuit correptus paralysi. Sed dubium est qua ratione fuerit privatus Alcimus motu animali, ut impedita fuerint opera illius, & os eius clausum, ut nec potuerit ultra loqui verbum; & non fuerit privatus sensu; siquidem dicit textus, quod mortuus fuit Alcimus in tempore illo cum tormento magno, hoc est cum

tormento magno, hoc est cum dolore. Et ubi adest sensatio tristis ita magna ut efficiat tormentum magnum videtur quod possit esse superstes aliquis motus.

In partibus quæ moventur, & sentiunt ratione eorumdem nervorum ut sunt omnes musculi, qui habent nervos à spinali medulla potest diminui motus illæsso sensu & deperdi motus non deperdito sensu, sed solum diminuto. Contra vero diminuto sensu diminuitur motus, & deperdito sensu motus deperditur. Hæc conclusio est Galeni 1. de loc. aff. cap. 6. post medium, & 1. de sympto. cau. cap. 5. contra quam sentiunt aliqui, ut refert Vallesius 5. controversiarum cap. 10. qui volunt in eodem nervo posse perire sensum servato motu.

Probatvr manifesta experientia, pluries enim videre contingit motum brachij, vel cruris, &c. diminui & benè sentire, item deperdi, & tamen adhuc sentire aliquātisper, ut contigit Alcimo in nostro textu. Nec unquā visum est diminuto sensu non diminui simul motum, aut deperdito sensu, non simul aboleri eiusdem partis motum.

Secvndo probatur ex Galeno loco citato: motus, & sensus fiunt mediante virtute animali spiritibus medijs, quorum maior copia debet influere pro motu qui roboris fit nixu (hoc est pluribus adhibitis spiritibus, & ideo in violentiori motu citius defatigamur, quia plures exolvuntur spiritus) quam pro sensu ad quem præstandum, minor sufficit copia, cum non roboris fiat nixu, nec sola fit & mera actio, ut est motus, cuius potentia, ab obiecto non patitur sicut sensus. Ergo diminuto motu possunt facultas & spiritus sufficientes ad sentiendum transmitti, deperdito vero motu, qui solum ad diminute sentiendum suppetant; ex quo fit si sensus deficiat, deficiant omnino spiritus ad movēdum necessarij, & diminuto sensu spiritus pro bona motione deficiant.

SED insurges primo argumento eorũ, qui voluerũt posse remanere motum deperdito sensu alicuius membri per eosdẽ nervos sentientis, & moventis se. Molles nervi sunt ad sensum aptissimi, ineptissimi ad motum. Contra duri ineptiores ad sensum aptiores ad motũ; quare si nervus durus mollis fiat omnino nõ valebit movere, ergo si mollis fiat durissimus non valebit sentire, & poterit movere, ergo dabitur motus sine sensu. Respondetur nõ posse nervum ita durescere ut non sentiat, & motum præstet, ut patet experientia. Quare negatur prima, & secunda consequentia, nimia enim durities, & sensum, & motum excludit, cuius rei argumentum necessarium debet esse, quia ligamentum ob nimiam duritiẽ, quæ tamen non longè superet nervorum duritiẽ, privatur omni & sensu & motu.

Insurges secundo per diversos spiritus fit motus, per alios sensus; ergo idem nervus per quos distincti spiritus influunt; poterit modo motum sine sensu, modo sensum sine motu tribuere pro ratione horum, vel illorum spirituum defectu. Respondetur negando antecedens, spiritus enim omnes specie non differunt, & saltem spiritus animales, qui in eodem fiunt cerebro, & & ab eadem cerebri facultate, inter se non differunt. Adde cum nervus idem moveat & sentiat, utrumque eodem spiritu medio debere effici.

IN partibus, quæ per eosdem nervos sentiunt, & moventur dum naturaliter nervi duriores fiunt augetur motus non aucto sensu, sed potius diminuto. Hæc assertio patet experientia in infantulis, qui grandiores facti melius moventur, ob nervorum, quam acquirunt naturalem duritiem; nec exquisitius sentiunt, eo quod supra dictum est, duritiem ad recipiendum, non satis esse idoneam, quam receptionem supponit sensus. Verum non possunt durescere nervi quousque priventur sensu, illæso motu, ut dictum est conclusione præcedenti.

In partibus, quæ sensum habent, & motum, eosq; per distinctos nervos exercent ut oculi & lingua, cuius membranam tertia cerebri coniugatio pertexit, subiectos musculos non attingens, quibus inseritur secunda coniugatio ut motum præstet; potest deperdi sensus non deperdito motu, & econtra; & multo magis diminui sensus non diminuto motu. Hæc assertio est Galeni 1. de loc. affectis cap. 6. & 1. de symptom. cau. cap. 5. Probatur primo experiẽtijs allatis dicto loco: quibus addi potest, quod plures vidimus linguæ paralysi affectos sapores dignovisse, & strabismo correpti multi sæpius apparent motum oculorum non ad libitum efficere, cum visio oculorum ratione sui non depravetur, sed solum quia quoquoversum moveri non possunt oculi.

SECVNDO, quia prædicta membra sunt organica, & per diversas partes, in quibus diversi inseruntur nervi duri propter motũ, & molles propter sensum, movẽtur, & sentiunt, ergo potest lędi una pars, ad læssionem huius nervi, & non illius, mollis, v. gra. & non duri, vel contra, ac proinde diminui, vel deperdi sensus, illęso motu, vel contra, & ideo lęssis nervis opticis potest adhuc oculus moveri, quod si secundæ coniugationis nervi solum lędantur immotus oculus videbit.

IN toto corpore excepto capite potest diminui motus animalis non diminuto sensu, & deperdi motus adhuc sensu remanente saltem diminuto. Assertio probatur, quia in hoc casu spinæ vitium est ob quod totum corpus dempta facie motus patitur vel diminutionem, vel deperditionem, & pariter sensus, vel diminutionem, vel abolitionem. Et magis requiritur ad motum quam ad sensum, hoc est plures spiritus sunt necessarij ad movendum quam ad sentiendum, quapropter ex spinæ vitio potest denegari spirituum influxus, non sufficientium ad motum perfectum, vel qui nullum mo-

tum præstent, qui tamen sufficiant ad perfecte sentiendum: vel saltem diminute sicut dictum est propter nervi vitium quo medio fit sensus & motus posse diminui, & deperdi motum illæsso vel diminuto solum sensu in particula.

POTEST totius corporis simul, & faciei & capitis motus animalis deperdi, remanente sensu diminuto tum partium tum cerebri. Hanc conclusionem manifesta docet experientia. In Catocho enim seu catalepsi auditus, & visus, & memoria aliquatenus servantur motu animali omnino deperdito: ut constat ex Galen. in 1. prorret. commẽtario 2. tex. 56.

OMNI deperdito sensu tum totius corporis tum faciei, tum cerebri omnis deperditur motus animalis. Hãc etiam assertionem ostendunt casus plures, qui quotidie observantur tum in apoplexia, tum in epilepsia, qui affectus sunt deperditiones sensus, & motus. Et ratio est manifesta. Cum enim motus animalis fiat prævia cognitione, & appetitu sensitivo, deficiente sensu deficit consequenter appetitus sensitivus, & consequenter animalis motus, qui ab appetitu imperatur, & impellitur, ut constat unicuique.

SED insurges contra dicta. In Catocho Epilepsia, & apoplexia saltẽ ea, quæ non est fortis servatur respiratio, quæ motus est animalis. Fit enim medijs musculis, qui sunt organa motus animalis, & ab animali facultate id circo enim possumus respirationem cohibere, & eam tardiorem & crebriorem efficere ad libitum, ergo, &c.

VT respondeant aliqui negant respirationẽ esse motum animalem, sed naturalem motum faciunt. Quos facillimũ est convincere. Alij negant in epilepsia, & apoplexia deperdi sensum, quia si hi pungantur quandam efficiunt contractionem. Quæ responsio est contra experientiam. Sed esto responsionem concedamus veram esse adhuc urget

get argumentum. Nam sensus hic est valde diminutus, motus autem animalis respirationis est omnino perspicuus manifestus, & perfectus: cum autem magis requiratur ad motum quam ad sensum; si respiratio sit motus animalis integer, & perfectus in eisdem respirationis musculis, multò magis dabitur integer sensus contra experiētiam in prædictis casibus.

PROBABILIS est responsio, duplicem esse motū animalem, alterum merè, & omnino animalem, hoc est, qui fiat non solum per animalia instrumenta nempè musculos, & ab animali facultate motiva, sed etiam ab animali appetitu semper eliciatur, & imperetur, quales sunt motus brachiorum, & similes, qui non nisi prævia cognitione, & appetitu animali fiunt; & tales motus deficiunt, deficiente sensu sive particulari, sive totius, vel etiam diminuto, ut satis constat experientia in Catocho, Epilepsia, & Apoplexia. Alius motus est non merè animalis, quia scilicet fiat medijs musculis, & ab animali facultate motiva, tamen naturaliter non elicitur, & imperatur ab appetitu sensitivo neque prærequirit cognitionem, qualis motus est respiratio, quæ hac ultima cognitione privatur, quia deservit naturalibus operationibus expulsionis fuliginum cordis & attractioni aëris.

INSTABIS respiratio absolutè est motus animalis licet non sit meré animalis; ergo maior requiritur animalium spirituum copia pro ea exercenda, quam pro sensu eliciē do; ergo vitio existente in cerebro, & impedito trāsitu spiritum, ut patet in Catocho impedietur multo magis transitus spirituum facientium ad motum animalem respirationis, quod est contra experientiam. Respondetur probabiliter negando instātiam. Et propositionem illam (magis requiritur ad motum, quam ad sensum) solum verificari de motu merè animali qui prærequirit cognitionē & appetitum animalem ut fiat, non de motu non merè

animali qualis est respiratio. Quamvis efficaciter obijci potest; nam quicunque sit motus respirationis magis requirit de virtute animali, quam sensus, & hoc malé negatur, quia negari non potest.

APTIVS multò responderi potest principali argumento. Quod respiratio servatur ob maximam necessitatem quoniam servit facultati naturali, quæ secum rapit animalem. Perperam autem negatur, ab appetitu nullatenus imperari: atque ut imperium pateat, & in hoc etiam animalem esse facultatem cognoscamus. Notandum maximè est, quod ex infinitis actibus respirationis imperatis ab appetitu præcedenti cognitione habitus generatur in potentia appetitiva, ratione cuius naturaliter fertur in imperium, & imperat respirationem, etiam si non præcedat cognitio ut in somno, Catocho, Epilepsia, & Apoplexia.

SIT primum corollarium. Percussus dicitur Alcimus in textu, quia paralysim qua dissolutus fuit præcessit apoplexia quæ fere semper præcedere solet, & in paralysim terminari. Et quia apoplexia Græcè dicitur, quoniam homo ceu fulmine ictus subito concidat, proinde dicit, quod fuit percussus.

SECVNDVM coroliarium. Non meminit textus privationis sensus, imò dicit, quod fuit mortuus cum tormento magno, quod sensationem tristem significat. Sed solum privationis motus; quam manifestè declarant verba, & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius. Quod est iuxta bonam medicinam; nam inquit Galenus 3. de locis affectis cap. ultimo. Itaque nervorum resolutio potissimum dicitur, ubi motus deperditus est. Vbi vero partium aliquarum sensus perit, eam partem sensus expertem esse, resolutam vero non adeo dicere consuevimus, quanquam sunt nonnulli, qui hanc affectionem sensus resolutionem vocitant.

TER-

TERTIVM corollarium. Alcimus habuit noxam in cere bro, vel in nervis septimæ coniugationis. Nam inquit tex tus, & occlusum est os eius. Per occlusionē oris non debemus intelligere, quod labia fuerint coniuncta, seu quod coalverint, sed quod fuerit privatus loquela, ut indicant verba sequentia; nec ultra potuit loqui verbum, & mandare de domo sua. Sermonis vero privatio arguit necessario noxam in cerebro, aut in nervis septimi paris. Nam lingua ut constat ex anatome sensum gustandi accipit per nervos tertiæ, & quartæ coniugationis; motum vero ad loquelam, & sermonem per nervos septimæ. Et cum huiusmodi paria nonducant originem ex spinali medulla, sed ex ipso cerebro, aut in illo habuit noxam Alcimus, aut in ipsis nervis divaricatis.

QVARTVM corollarium. Mirabiliter est significativus textus sacer cum dicit, & dissolutus est paralysi. Cōmuniter apud Galenum, & medicos paralysis dicitur resolutio nervorum, id est, quasi enervatio, & debilitatio; & quamvis resolvere idem fere sit, quod dissolvere nimirū, quod ligatum erat solvere, iuxta illud Ovidij 1. Metamorpho.

Et velate caput cinctasque resolvite vestes.

Melius dissolvo significat solvere, quod ligatum erat iuxta illud Ciceronis de senectute opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit natura optime dissolvit. Et Hispanico sermone vocamus mulierem verecundia non ligatam, dis soluta, Danielis 10. dicitur, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ. Et Esaiæ 35. confortate manus dissolutæ. Nam cum musculi actio sit contractio ad originem, & in paralysi non possint musculi contrahi versus cerebrum non servant cum suo principio unionem, & colligationem; proinde dicit dissolutus est paralysi. Avicena, & eius interpretes paralysim mollificationem nominant. Vallesius etiam 5. controversiarum cap. 17. Asserit humorem humectantem nervum, in eoque intemperiem ma-

gis, & mollitiem, quam morbum compositionis producentem esse causam paralysis, & in hoc differre à convulsione ex plenitudine, quod hæc sequatur morbum in compositione. Quam Vallesij opinionem videtur sequutus Ioubertus lib. de paralysi. Et quidem quamvis paralysis consistat in impedimento transitus facultatis animalis, sine aqua moveri non potest, neque sentire pars. Verumtamen laxitas musculi multum facit, ad impotentiam motus. Non raro contingit paralysis à dolore colico per solam translationem humoris ab intestinis in genus nervosum; quo tempore descendit facultas, quia nulla est noxa in origine nervi, & tamen ob laxitatem partis factam ab humore nō potest moveri membrū. Sed obijcies qui à laxitate nervi pendent morbi non cito fiunt. Paralysi autem fere momēto videmus corripi homines præcipuè eos, qui superveniente paralysi ab apoplexia liberantur. Amplius, laxitas, & mollities nervorum nō tollitur brevi tempore, at paralytici quidam mensis intervallo solent curari ut testatur Ioubertus, qui libro de paralysi refert quendam quolibet novilunio paralysi linguæ affectū fuisse, plenilunio liberatum integré. Respondetur, quod ut diximus sine facultate moveri nō potest, nec sentire pars, in quo paralysis consistit, quæ breviter corripit accedente humore qui impedit transitum. Cæterum laxitas, & mollities deinde auget impotentiam motus. Dices secundo non raro paralysis provenit, ab humoribus acribus; ergo non semper ab humoribus pendens paralysis fit propter humectationem mollitiem, & laxitatem nervi ab humoribus productam. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam humores acres etiam habēt humiditatem actualem, quæ potest laxare, & emollire.
Quæ est causa cur in cibi fastidio nō potest aliquādo fieri deglutitio? Respondet Garcia Complut. quia ordinatur attractrix ventriculi appetentiæ. Sed hoc non satiat, & hoc

opus

opus hic labor est. Nam si fit musculis deglutitio estque actio merè animalis, quare non possumus deglutire etiam si velimus? Respondemus ergo, quod ad hoc ut fiat deglutitio non solum concurrunt musculi sed etiam circulares fibræ vētriculi ab ore debent contrahi: & cum in cibi fastidio laxentur fibræ, quemadmodum etiam orificium ventriculi contrahi non possunt, atque ita impeditur deglutitio; laxatio verò talis ut plurimum fit ab humore bilioso & acri. Itaque ab eodem potest etiam fieri laxatio tendinum & nervorum, & eodem modo impediri contractionem eorum versus principium, ut fiat motus animalis.

VLTIMVM corollarium. Difficilimum est qua ratione mortuus fuerit Alcimus cum tormento magno, hoc est cum dolore magno. Nam ex assertionibus supradictis cōstat quod quando datur omnimoda privatio motus, licet servetur sensus, sit tamen hic diminutus. Nam quamvis maior facultas requiratur ad motum quam ad sensum; si tota illa deficiat, non potest superesse ad validam sensationem. Qua ergo ratione fuerit mortuus cum tormento magno seu dolore? Dices Alcimus forsam habuit paralysim in uno latere, & in altero potuit habere sensationem & dolorem. Verum impedita fuerunt opera illius; & si non fuissent nisi in altero latere, non ita indefinite & universaliter diceretur impedita fuisse opera illius. Tum in paralysi alterius lateris, non omnino tollitur loquela, ut fuit sublata in Alcimo. Igitur vel voluntate divina fuit illi servatus sensus in flagellum, eo quod destruxerit muros domus sanctæ interioris & impedita sunt opera illius, eo quod destruxerit opera prophetarum. Vel, ut præsumpserim passus fuit etiam convulsionem. Adducor ut credam. Primo quia ratione causæ non differunt convulsio & paralysis, unicus enim humor pituitosus utriusque est causa; solum enim differunt quod humor in paralysi imbibitus est in medullari nervi substan-

tia

tie quam ideo laxat; in convulsione verò aliquantulum crassior insinuatur inter filamentosam nervi substantiam, & ita abreviat longitudinem & latitudinem extendit, & subinde irritat cerebrum. Secundo quia convulsio est affectus dolorificus; & media irritatione poterat in cerebro causare dolorem, vel in parte non paralytica. Tertio quia paralysis nullum interficit; at mortuus fuit Alcimus. Nec valet quod interfecerit novus paroxismus apoplexiæ ut solet, quia apoplexia occidit sine dolore, & Alcimus fuit mortuus cum tormento magno.

CAPVT LV.

IAm verò qui videbat Sũmi Sacerdotis vultum mente vulnerabatur. facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorẽ. Circumfusa enim erat mæstitia quadã viro & horror corporis per quæ manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur. 2. Macha. 3.



PLVRA Mysteria physica insinuantur in textu. Energia compassionis consensus & sympathiæ. Intensio doloris non solum corporis sed animi. Et expressio illius manifesta in partibus corporis. Cum enim summus Sacerdos Onias Helidiorum Templum profanaturum videret tã acerbissimo correptus fuit dolore, ut omnes ipsum vidẽtes traheret in consensum compassionem & sympathiã. Quam doloris acerbitatem manifestissime representabat in facie & in corpore. Hæc physica connotantur, & præcipuè dolor, de quo in gratiam textus merito nunc iam disputamus.

AR-

ARDVA quidem si quæ inter omnes quę in medicina exagitari solent est quæstio huiusmodi in qua tractatur de doloris generatione & natura siquidem non modo Averroes, Avicena, & Galenus dissidere creduntur, sed etiam recentiores Medici, & Philosophi qui in varias incertæ navigationis ventis agitati abeuntes opiniones & veritatis Provincias, rem adeo difficilem nulloque puncto fixam dereliquerunt ut nullus investigationi præfinitus supersit locus. Nam quemadmodum ut inquit Paulus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascēdit quæ præparabit Deus diligentibus se; quæ verba de summa illa, & inexplicabili voluptate quæ accedet sensibus in beatitudine explicantur. Ita vice versa dolor voluptati contrarius damnatos extorsurus (faxit Deus ut ab illo liberemur) nec explicari potest quantus sit nec qualis, nec qualiter divina vi qui procedit ab igne inferno attingat spiritualem animam. Scio & gaudium cæleste & dolorem inferorum altioris esse ordinis quam corporeum, sed tamē quodadmodo conveniunt in ratione doloris & voluptatis inexplicabilis. Itaque dolor accidens est quod in hac vita & in futura fere in explicabilem habet naturam. De dolore igitur nostro mortali qui vel ad supplicium, vel ad delicias à Deo Optimo Maximo immititur, excitatur cōtroversia utrum in illo sensorium corrumpat sensum ut communiter circumfertur.

DVO sunt maxima pūcta quibus innititur pondus difficultatis, alterum est ad quam actionem symptomatum pertineat læsam, vel abolitam, vel depravatam, alterum est quod causas doloris instituit explicare. Ex quibus deinde accōmodatior elicietur doloris definitio.

SVPPONIMVS dolorem esse quipiam præternaturam cum labefactet vires naturamque corrumpat, atque perpetuo insequatur aliquod morbi genus ut umbra corpus. Id circo ex hoc principio ducti investigemus tandem quis

aste-

affectus sit præternaturam. Morbus certè non fuerit. Primo quia omnis morbus diathesis est quasi dixeris affectus quispiam aut constitutio corporis præternaturam denotans vestigium affectionis post actionem atque passionē relictum. Verum dolor post affectionem non est, quoniā eius essentia est in ipso (quod aiunt) fieri ut cum Platone dixit Galenus qui generationem doloris semper quidem esse, at verò essentiam nunquam apertissime scripserunt.

DEINDE neque convenit illi particularis aliqua morbi differentia, nec actiones proxime lędit, quæ duo forent necessaria si dolor in morborum numero collocari deberet. Neque etiam causa morbi dici potest quia causæ propriū munus est præcedere morbum, dolor tamen sequitur nō præcedit. Quam obrem relinquitur sub tertio genere rerum præternaturalium esse reponendum. Sed quia hoc etiam triplex est; in primis manifestum sit dolorem sub excrementorum genere ac sub exeuntibus permutatis haud esse collocandum. Sed non est perinde certum sub qua differentia ex duabus postremis redigi reponique debeat, nam alij aliter sentiunt; at verò quidquid alij dicant sentiendum, dolorem non esse qualitatem permutatam, est enim qualitas ex numero permanentium dolor minime: mox qualitas sensibilis est, dolor non sentitur, sed causa doloris estque sensum movet hoc modo Galenus hanc Hyppocratis sententiam interpretatur. Quicunque dolentes parte aliqua corporis dolorem non sentiunt ijs mens ægrotat: per dolorem hoc loco declarat dispositiones á quibus dolores fiunt. Qua significatione usus est etiam alibi cum docebat, In Cranone novos dolores calidos antiquos frigidos esse. Relinquitur aliquampiam esse ex actionibus læsis.

NOMINE actionis more medico intelligimus quidquid suam essentiam habet in fieri, ut comprehendamus etiam omnes alterationes, quæ sunt circa sensus, quas Aristoteles

les

les ac peripatetici vocant passiones, Græci verò Pathos nuncupare consueverunt; neutiquam in rigore philosopho in quo per actionem dumtaxat concipitur motus distinctus à passione, quamvis fortasse sola ratione differant.

PORRO ulterius progrediẽdo restat explicare, quæ sit particularis actio læsa. In primis itaque immutatio, quę corpori dolore molestato contingit, reduci nō potest ad actionem abolitam, quia in hac nullus fit sensus nullus etiā dolor nulla immutatio, quod non fatebitur, qui dolorē patitur. Deinde vero hæc actio qua sensus tactus, vel alius quivis qualitatem molestantem percipit non est debilis, ut sit actio diminuta: quoniam apparet percipere obiectum tale quale est sine difficultate aliqua, quæ res in actione diminuta minimé contingeret; ergo reliquum est ut reducatur ad actionem depravatam.

HVCVSQVE cū plerisq; sentimus in doctrina tradita: nūc autem incipit opus incipit labor, qua ratione actio sit depravata dolor. Rem enim diversimode declarant recenciores. Quidam nanq; dicunt actionē depravatam esse triplicem. Alia enim naturam sequitur vi tamen ipsa coactā quia movetur à causa morbifica ut in tussi, oscitatione stornutamento singultu. Alia morbidos sequitur affectus nihil ad ipsorum generationem conferente natura ut in cōvulsione, palpitatione. Alia fit ubi ad opus efficiendum simul coeunt natura, & morbus ut in tremore rigore, horrore. Ad primam ergo actionem redigunt doloris symptoma, eam quæ naturam sequitur, irritatam tamen à causa quapiam præternaturam. Hæc autem qualitas est sensibilis violenter in sensum agens, ut continuitatē sensiterij divellat. Hęc igitur causa in sensum agēs permutat sentiēdi actionē: quandoquidem fit cum tristitia, & perturbatione, & corruptione sensuum: atque hac sane ratione actio dicitur depravata. Hæc est summa totius responsionis.

SED

SED in eo displicet hæc sententia, quod inconstáter respondeat, & firmiter non assignet in quo consistat depravatio actionis in dolore. Insurgamus sigillatim in partiales responsiones. In primis insinuare videtur depravationem consistere in eo, quod actio quamvis fiat à natura, fiat irritata á causa præter naturã. Hoc enim nequaquam depravare potest actionem. Rectè enim potest natura opus suũ perficere sine vitio quamvis non nihil irritatio det occasionem actioni; nam in excretione critica, & naturalissima quæ fit præcedentibus signis coctionis in febribus verbi gratia putridis, accidit causam præternaturam irritare facultatem, nempe humorem calidiorem & mordacem, hoc autem non tollit quod actio excernendi critica sit & naturalis nihil habens præternaturam. Igitur quod actio dolorifica, quodadmodo irritetur à causa præternaturam, non est in causa, quod sit præternaturam, & symptoma.

DEINDE dicunt opinantes, quod hæc causa in sensum agens permutat sentiendi actionem quandoquidem fit cũ tristitia, & corruptione sensuum. Hoc etiam depravatam non efficit actionem: quia quamvis fiat cum tristitia dolor, percipit sensus obiectum ut in se est. Si causa parum divellit, ut parum divellens percipit obiectum, si nimium divellit nimietatem percipit; ergo si potentia non aberrat in apprehensione sui obiecti, actio illa non potest esse depravata. Tristitia accidit sensationi, est nanque pathema altioris potentiæ.

NON negamus, quod natura corrumpatur in dolore, negari enim non potest; asserimus tamen, quod cum potentia attingat obiectum eo modo, quo attingere debet sine errore non depravatur in actione. Sit exemplum. Nõ enim perinde, quia potentia visiva album colorem ceu disgregantem visum percipit cum tristitia (complicatur nanque dolor, & displicentia) dicitur depravare percipere seu videre. Dices dolor quamvis reperiatur in visione non est pro-

propius potentiæ visivę, sed sensus tactus per illam ut per omnes sensus dissemiŋati. Nihil inter est, nam neque sensus tactus in oculo desinit percipere obiectum album non solum divellens, sed tanto gradu divellens prout plus minusve visum disgregaverit; igitur sensat tactus exquisitè ac proinde depravate non sensat.

ALII dicunt, quod actus quo sentimus causas inferentes dolorem naturalis non est, quoniam egreditur limites naturales in sentiendo. Rem à simili declarant. Tussis motus est depravatus, quia est vehemens quædam efflatio qua thorax nititur expellere, quod illi nocuum est. Porro motus idcirco depravatus censetur, quoniam sano existẽte corpore, nunquam vehemens hæc efflatio accidit. Si quã do igitur excedit limites naturales, amittitque formam suã quam habere secundum naturam debet, sane tunc actio depravata censetur.

EXEMPLVM nullam habet vim, neque huiusmodi explicatio. Nam in tussi dilatatur thorax magis quam quieti naturali conveniat: ast in dolore nec citra subsistit potentia tactiva, nec ulterius progreditur quam opporteat pro perceptione sui obiecti. Si leviter molestat obiectum levis dolor percipitur, si mediocriter mediocris; si maximè maximus. Ergo potentia exquisitè attingit suum obiectum, atque non perinde depravate dicetur sentire. Qui ut Linx videret acute, ut Cervus audiret, ut Canis olfaceret, ut Simia gustaret exquisitè, non diceretur depravate sentire; ergo qui ut aranea exacte tangat causam doloris non dicetur agere depravatè.

ALTERVM exemplum ponũt in fame intensa; hęc enim ubi paululum augetur, neque adhuc suam propriam formam amissit inter actiones naturales numerabitur, verũ ubi nimium aucta fuerit, ut speciem amittat suam, quę accidit in bulimo, id est in fame canina, tunc actio dicitur corrupta. Idem in dolore accidere dicunt. Vbi enim fuga ap-

pe-

peritus sit medioeris ut in lenibus accidit doloribus non depravatur eius actio, ubi vero modum excesserit, ut in magnis doloribus, qui sensibiles à medicis vocantur, tunc actio depravata dici potest.

IDEM videtur obijciēdum, quod in tussi nam in Bulimo etiam appetimus plus quam par est; ast in dolore non sentit potentia plus quam par est, sed id præcisè quod molestat, & gradum molestiæ, nisi mens aliô diversa sit. Ex his manent impugnati modi dicendi in assignanda depravatione, quæ accidit actioni dolorificæ penes quam dolor symptoma dicitur in actione depravata. Restat ut nostrũ modum proponamus pro tenuibus viribus explicantem difficultatis nodum.

PRO veritate notandum naturam conservari cum servat mediocritatem in sex rebus non naturalibus, inter quas animi Pathemata habent locum, ceu quæ possint ad salutem conducere si modum servaverint, & mortem inferre si excesserint. Gaudium ergo vel voluptas, & dolor sunt pathemata contraria, quæ ambo mortem solent causare, ut docet Galen. de sympt. cau. c. 5. Natura itaq; sentientes posuit in medio quodam centro inter extrema voluptatis, & doloris, quod versus quodlibet moveantur immoderate, tendant ad corruptionem. Opportuit enim hominem, neque doloribus nimium contristari, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam; neque voluptatibus luxuriari, ne homo summi, & delectabilis boni obliviscatur. Quando ergo potentia nimio dolore afficitur depravate movetur versus extremum corrumpens, atq; ita actio hęc erit depravata. Quemadmodum é contrario nimia voluptas cum vires labefactet, & naturam corrumpat symptoma etiam erit in actione depravata, quia contrariorum eadem est ratio.

DICES semper natura movetur ad percipiēdum suum obiectum in quo non potest esse culpa. Respondeo. Natu-

ra

ra quamprimum sentiat obiectum dolorificum apponit concursum animæ, & spiritum animalem ad partem ut ferat auxilium, ex quo acrior fit sensatio & molestia; in quo depravate movetur, itaque cum illustratione, quæ aponitur parti feruntur spiritus animales, ut cum lumine solis circumfertur ignis. Spiritus animales analogia ferunt vitales, & hi sanguinem. Hoc modo tractatione augetur dolor in quo depravate movetur. Non secus vigilia refertur ad actionem depravatam, quia facultas animalis nimirum movetur ad exteriora. Verum quoniã omnis actio ad aliquam facultatem pertinet facultates autem sunt tres, naturalis vitalis, animalis, dolor sub aliqua ex his debet referri: at quia omnium iudicio, non est naturalis, non vitalis facultatis symptoma, erit certè læsa animalis functio, non quidem motus non rationis, sed sensus extrinseci. Hanc quidem sensuum extrinsecorum actionem depravatã Galenus vocavit tristem sensationem.

Ex quibus verbis deducitur cum potentia tactiva aliam concurrere superioris ordinis, quam indicat tristitia, nam facultas sensitiva apprehendit proprium obiectum sensibile qua ratione sensibile est, ut verbi gratia frigidum, calidum, humidum, siccum, utrum vero huiusmodi obiectũ prosequendum sit vel fugiendum, adhuc ambigitur quousque appetitus sensitivus vel amore; prosequitur, si habeat rationem convenientiæ, vel fugit & detestatur si sub ratione nocentis apprehendatur. Qua ratione dolor fuga appetitus nuncupatur, voluptas vero blanda sensatio. Hanc rem declarat Aristoteles 2. de anima 27. dicens: animalia enim omnia unum habent sensum tactus cui autẽ sensus inest, huic lætitia & tristitia, dulce & triste quibus autem hæc & concupiscentia hæc enim delectabilis appetitus. Clarius eodem lib. loquens de insectis: sensum habent utraque partium & motum secundum locum, si autem sensum, & imaginationem, & appetitionem, ubi enim sensus

dolor atque voluptas consequitur ibi aut hæc & ex necessitate cupiditas. His non obstantibus adsunt recentiores asserentes dolorem esse actionem appetitus sensitivi inter quos noviter sunt Rosellus com. in lib. Gal. de dif. sympt. cap. 3. q. 25. Senertus institutionum lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. Verum enimvero sententia Galen. probabilior est, qui libro de diff. sympt. cap. 3. inquit: tactus egregium præter cæteros sensus in actione sua symptoma possidet dolorem lib. 2. de loc. pati. ait: quippè dolor tristis sensus est, sicuti voluptas blandus sensus. Idē affirmat. 1. de cau. sympt. 7. de decretis Hyp. & Platonis.

PRO intelligentia notandū ad dolorē cōcurrere tres potentias; nimirum sensum tactus, sensum communem seu phantasiam, & appetitum sensitivum. De sensu tactus, & appetitu sensitivo nulla est dubitatio. Cæterum sensus cōmunis, seu phantasia necessario concurrit; cui datum est iudicare de actibus sensuum externorum. Idcirco, qui ingrediuntur certamen cum vulnerantur dolorem non sentiunt; quia nimirum sensus communis aliorsum divertitur, & cum aliquid vehementer contemplamur ea, quę ob oculos sunt non percipimus.

PROBATVR sententia Galeni quia quāvis tactus tactilia primo, & per se percipiat, quæ diversa videntur à iocūdo, & molesto. Cæterum quando sensibile est vehemens, & molestum etiam percipitur á tactu, quia ex natura sua est molestum, atque tactus obiectum, in quo consistit dolor. Confirmat Arist. 3. de anim. cap. ultim. ubi ait: Exuperatio enim sensibiles cuiusvis sensus destruit instrumētum, quare & tangibile exuperans ipsum destruit tactum.

DEINDE Arist. 3. de ani. c. 7. quod in sensu voluptas, & dolor est; hoc in intellectu esse bonū, & malū affirmat: Igitur quemadmodum intellectus proponit bonum, & malū volūtati, ipsa autem protinus illud prosequitur, hoc vero fugit: ita sensus tactus proponit appetitui voluptatem, & do-

dolorem tanquam bonum, & malum; appetitus autem am plectitur voluptatem, respuit autem dolorem.

ISDEM Arist. eodē lib. c. ultim. probat maximè propriè inditū esse sensum tactus animātibus, ut fugerent noxia, ergo illa percipit sensus tāquam obiecta, in quo est dolor.

TVM facultates suam distinctionē capiunt in ordine ad actiones quas edūt, & ad obiecta in quæ tendunt, ac proin de unica facultas nō potest habere diversas actiones, & diversa obiecta: ergo appetitus sensitivus, cū fugiat aut prosequatur voluptuosum aut dolorosum, hæc erit eius unica actio sicuti conveniens, aut disconveniens unicum obiectū sub ratione fugitivi aut appetitivi. Igitur perceptio noxij, aut utilis aliam potentiam constituit nempé tactivam.

DEINDE appetitus medio tactu attingit noxiū ut fugitivum, nā nisi hic adsit nō datur talis perceptio; ergo noxiū ut noxiū est obiectū tactus, in quo cōsistit dolorifica sensatio, quia propter quod unū quodq; est tale, & illud magis.

DICES appetitus prosequitur, aut fugit cōveniēs aut disconveniens, ergo tanquam obiectum propriū. Respondemus specificū obiectum tactus esse tactile conveniens, aut disconveniens sub ratione tamen cogniti aut sensati à potentia. Conveniens autem aut disconveniens, ut bonum appetitivum, aut malum fugitivum obiectum appetitus.

PORRO adeo coniugitur appetitus sensitivus cū dolore ut illius organū, & sedes ubi collocatur tangendi potētia collocetur, quocirca iunior quidā affirmat duplicē debere distingui appetitum sensitivum; alium exteriorem consequentem cognitionem externorum sensuum; alium interiorem consequentem internam sensus cognitionem. Et probat divisionem ex Arist. 2. de anima citato text. 20. Vbi est tactus ibi dolor, & lætitia ubi autem hæc ibi appetitus. Secundò, quia apparet decisam lacertæ caudam moveri fit autem is appetitu præcedente, & veluti cognitione, alia autem cognitio in lacertæ cauda non est, nisi sen-

sus tactus tristis seu dolor; is igitur appetitus non erit nisi exterior externum sensus tactum consequens qualis exterior appetitus tum tactus tum pariter cæterorum sensuum in cauda non decisa in alijs sensibus in sanis animalibus omnibus concedendus est. Demum appetitus datus est ut eo medio sequamur convenientia, fugiamus contraria, sed singuli externi sensus sua habent contraria, & convenientia sibi ipsis; ergo singuli externi sensus externos sibi proprios, & peculiares debent habere appetitus, quibus ea fugiant, vel prosequantur. Sed duplicem hunc appetitũ excludimus super cap. 8. Tobiæ.

Ex quibus omnibus elici potest definitio doloris. Et quãvis definitionem Galeni amplecti possis, quę sensationem tristem assignat. Verumtamen, quia tristitia accidens videtur superioris potentiæ, & neque exhaurit doloris essentiã siquidem Martyres tormenta passi sunt sine tristitia quin potius cum gaudio; nisi dixeris duplicem concedi debere tristitiam, unam sensitivam, & exteriorem alteram interiorem, quod tamen quia multiplicat sine causa accidentia libenter non audimus. Ea propter aptius definieris dolorem quod sit: sensatio obiecti tactilis appetitui disconvenientis. Per huiusmodi notionem, vel per notionem Galeni habebis doloris cognitionem.

SED tempus iam est, ut de causis doloris disputemus. Et in primis non de qualibet causa, sed de efficiẽte dumtaxat vera ac propria atque proxima sermonem instituo. Certũ videtur ex Peripateticis decretis cuiusq; rei effectę proximam quandam immediatam vocant statuendam esse causam, quæ semper unica esse debet, siquidẽ is effectus unicam naturam & rationem obtineat. Causas porro remotas alicuius effectus multas esse posse nemo diffitetur. Cum ergo dolor sit effectus quidam unus unicam proximã causam obtineat opus est. Perperam ergo communiter geminam causam illius constituendam putatur, altera;

rationem scilicet seu intemperiem, & solutionem continui. Hoc sit pro ratione dubitandi: Secundum quam si unica causa agnoscenda est in dolore illam intemperiem esse profitemur, solutionem vero continui omnino excludimus à ratione causa.

HANC sententiam confirmamus sic. Quod facit dolorem, id agat in sensum necesse est, neque in quemcumque sensum, sed in sensum tactus cuius esse symptoma probavimus. Sed solutio continui non agit in sensum tactus, ergo non est causa doloris. Maior probatione non indiget. Minor probatur, nihil enim agit in sensum quod non sit obiectum sensibile proprium, sed solutio continui tale non est; ergo non agit. Maior docetur á Galeno libris de symptomatum causis, sunt enim correlativa obiectum & potentia; adeo ut potentiæ solius obiectum sit obiectũ, potentia vero non possit cognoscere, nisi id quod habet rationem obiecti, id autem est sensibile proprium eius potentiæ.

Hoc argumentum Averrois valorem quidem videtur præ se ferre; cui addi etiam potest solutionem cõtinui nõ solum non esse obiectum propriũ, sed neq; etiam commune, quia non est numerus, non magnitudo, non figura, nec aliud eiusdem generis. Respondent esse motum. Averroes tamen non dixit esse motum, sed fieri cum motu. ita enim scribit cap. 31. & solutio continuitatis non est causa doloris, ut Galen. dicit, sed solutio continuitatis est causa complexionis, quæ facit dolorem, quod est quia solutio continui est cum malo motu, & conveniens est ut talem motũ sequatur mala complexio. Hæc Averroes.

SED admittamus solutionẽ continui esse cõmune quodã sensibile aut numerũ, ut alter dicebat (licet proprié faciat numerum non tamen sit numerus) aut motum ut alij. Tũ sic. Quod in virtute alterius sentitur, & per accidens, non est proxima, & verè efficiens doloris causa, atque

solutio continui sentitur mediante alio dolorem efficiente ac peraccidens. Non igitur erit proxima & verè efficiēs causa doloris. Præterea si esset etiam commune sensibile, (quia hoc in sensum non agit, nisi mediante proprio) causa actionis huius referri opporteret ad proprium sensibile; nam sensibilia communia apprehenduntur solū à sensibus mediaté, dolor vero est quædam affectio materialis corrumpens organum.

GALENVS lib. de loc. affectis scribit. Is doloris modus qui à motu procedit (ut in arterijs contingere diximus) à re quidem media dolorem efficiente pendet. Ergo motus immediaté non facit dolorem, sed mediante alia re ipsum efficiente. Declarans deinde quæ sit ista res media asseruit esse quæ vulnerant, contundunt, findunt, tēdūt, in summa refert secūdas qualitates tāgibiles, quæ verê dolorē efficere dicūtur, ut primę si de sensus tactus dolore sermo sit.

PRÆTEREA ostendo solutam unitatem non esse causam doloris, quia potest solvere continuum Deus in instāti per solam substractionem auxilij conservantis pūctum indivisibile continuans partes quantitativas viventis, sed tunc non datur dolor, ergo non fit á soluta unitate. Maiorem norunt Theologi, & christiani. Minorem probo, quia vel daretur in indivisibile continuativo, vel in partibus divisis; non in indivisibili, quia iā non est, neque in partibus divisis, quia nec alterantur, nec corrumpuntur, nec quicquam agitur circa illas, sed solum corrumpitur indivisibile continuans, & producuntur terminantia. Quin etiam postea non afficiuntur dolore, etiam si sint divisæ dū sunt cicatrizatæ: ex quo elicitur præcissam divisionem nō causare dolorem. Hæc est divisio facta, neque fiens, quia illa fuit in instanti, ast dolor est actio, & fit cum malo motu, ut inquit Averroes, ergo non potest sensiri in instanti.

Hoc totum affirmari non potest de intēperie seu alteratione quam deinde assignabimus immediatam causam

do;

doloris, quia putaverim non posse intemperiem introduci sine dolore absque nova suspensione doloris, quia effectus caloris est calefacere, qui si non suspendatur, ut in camino Babilonis sequitur necessario ad introductionem caloris, calor enim tam excessivus ignis non potest non alterare, & corrumpere naturam.

PRÆTEREA in sanitate versus omnẽ positionem partem sentientem movemus introrsum, versus latera comprimentes, & dilatantes mediocriter, & tamen absque dolore. Ast minor partium solutio, minor compresio, minor dilatatio in affectione morbosa dolorẽ causat; ergo signũ est, quod præcisè solutio continui non est causa doloris immediata, quia in sanitate partem contrectamus dilatantes, & comprimentes sine dolore. Si vero huiusmodi compressio, & dilatatio fiat ab humore in adversa valetudine multo minor, causabit dolorem ut in phlegmone contingit. Loquimur hic de solutione continuitatis non manifesta qualis fit à secantibus, sed de altera quam obscuram vocant, quæ reperitur in omnibus tumorum generibus, & cæteris doloribus quæ contingunt à causa intrinseca.

RVRSVS dentes seccãtur dividuntur, sine dolore tamẽ ullo; ergo signum quod soluta unitas non causat immediatè dolorem, nam posita causa deberet poni effectus. Scio quid communiter respondeatur minus tamen exactè quã pro vi argumenti, nempè dolorem reperiri in nervis propaginatis ad dentes, non in dentium substantia. Hoc est manifestè contra Galenum 5. de comp. med. Secundum locos cap. proprio, qui hæc verba habet contra hos præcipuè opinantes. Etenim cum ego aliquando dolerem diligentem super me ipso animadversionem habui, utpote qui iã audieram de hac dubitatione percer, quę manifestè nõ dolentem modo, sed etiam pulsantem dentem quemadmodum carnosæ partes inflammatione vexatæ consueverũt. Paucis interpositis verbis, ait Galen. At vero, & nervi qui

ad radicem dentis enatus, & substratus est dolorē aliquādo fieri nervo imaginationem cōfusam, & indiscriminatam incertamve apud plerosque exhibente tanquam ipse dens doleat consentaneum rationi est, nam & huius rei manifestum periculū aliquando in me ipso feci. Hæc Gal. Porro etiam est contra experientiam responsio nam Hæmodia est affectus proprius dentiū, in quo dentes ipsi apparēt prolongari. Hoc autē symptoma tactus est, ut inquit Gal. 1. de sympt cau c. 5. qui ait. At hęmodię sive dētium stuporis, tum nomen tū symptoma uaius tangendi est virtutis. Ergo cum sensatio molesta in hæmodia manifestè percipiatur in ipsa dentium substantia nulli dubiū sit quod dolor reperiri possit in ipso dente, ac proinde cum ab intēperie hi dolores proveniant & nullus à soluta unitate potius intēperies quā soluta unitas erit causa doloris immediata. Præterea si nervus inseritur; g. ut sentiat dentis substantia: nervi enim dumtaxat sunt delatores sensus.

ALTERA etiam experientia in corroborationem adduci potest. Nā si ab acutissima novacula subito seccetur particula, & citra obstinationem adversaria opinio mentem adhibere velit cognoscet in ipsa subitanea sectione nullum dolorem reperiri, nisi paulo post quando incipit pars distēperari, manifestum (ni fallor) indicium solutionem continuitatis præcisè causam non esse doloris, sed distemperiē, quia quando incipit hæc incipit dolor. Experientiam non ignoro, quod protervi audebunt negare, sed non semel, sæpius in me ipso observavi fortè fortuna dum panem in mensa seccarem non statim sensisse dolorem, sed paulo post & quilibet, hoc idem observaverit.

DEMUM ex compressione carnis, etiā in prospera valetudine producitur dolor, non solū in parte, quæ tactu præcisè, & circūscriptione cōprimitur, sed & in partibus vicinis, & quādoq; remotioribus. Loquor de valida cōpressione, ergo harū dolor cū nō fiat à soluta unitate siquidē partes

tes viccinæ, & remotiores nullatenus comprimūtur restat ut fiat ab intemperie quatenus nempè calor sanguinis expressi à parte cōpressa ad remotiores, illas intime alterat.

HACTENVS probavimus solutionē cōtinuitatis non esse immediatam causam doloris in quo cum aliquibus recentioribus consensimus. Dissentimus vero quoniā affirmāt causam agentem esse qualitates, modum vero ac rationē qua faciunt dolorem esse continui solutionem. Nos vero in dictis persistentes asserimus, qualitates esse causas efficiētes doloris, quia obiectum sunt proprium tactus, modū vero ac rationem qua faciunt dolorem neque esse continui solutionem. Philosophi cum Aristotele cognoscunt in efficiente causam, & causalitatem; causa est substantia rei efficientis, causalitas vero est ratio formalis sub qua efficiens efficit effectum, ut materia prima est causa formæ materialis, causalitas vero est receptio, quia sub receptione materia causat formam. Præter causalitatem cognoscunt etiam conditionem agendi, quam vocant sine qua non, hæc extra essentiam operationis subsistit, quia dumtaxat iuvat agens vel passum; ut approximatio ignis ad stupam est conditio sine qua non, quia non est causalitas media qua ignis agat, sed conditio iuvans ignem illum approximando ad hoc ut operetur.

DE causa doloris nō dubitamus cū his opinātibus, quod sint qualitates: dubium potest esse de causalitate; quā negamus esse solutionē continuitatis. Quocirca cum inquiunt causam esse qualitates modum vero ac rationē qua faciūt dolorem esse continui solutionem, idest causalitatē minus rectè loquūtur, quia qualitates præsertim primæ quas verā, & immediatam causam doloris monstravimus esse, nullā aliam causalitatem habent nisi alterationem qualitativam in calore calfactionem, in frigore refrigerationem; solutio autem continuitatis nihil horum est.

QVID ergo erit solutio continuitatis? Profectò ad cōditio-

tionem sine qua non reduci potest, conducit namque maximè ad illationem doloris. Pulcrè quidem confirmat hoc Galenus lib. de constitutione artis medicæ cap. 9 in hunc modum scribens. Neque enim animo capi potest, ab hac in hoc loco accensa flamma posse ea, quæ in Ægypto sunt alterari, sed si id quod transmutat aliquid illud tangendo alterat, necesse etiam habet, ut per aliquas tactiles qualitates hoc agat. At quid est deinde, quod vetat quin eas omnes examinemus? Sanè acutum seccat id cui occurrit nequaquam tamen ipsius substantiam alterat, quemadmodũ & grave quid, & ipsam contundit, ut nullam tamen in universum rei patientis inducat transmutationem: neque durities eam vim habet ut possit rem viccinam in aliam mutare speciem. Calor autem, & frigus totam proximam rei substantiam alterare possunt: simili etiam modo humiditas, & siccitas, quamvis hæ non æque cito, ac priores, attamen & ipsa tandem subiecta transmutant. Hactenus Galenus.

ITAQVE ad conditionem agendi ad summũ reduci potest soluta unitas in casu saltem quo qualitates primæ in omnium sententia inferũt dolorem. Neq; enim si media contusione non approximaretur sanguis fluens ad partem contusam cuius qualitas calorifica causat dolorem in parte, hæc non ageret, ergo est conditio sine qua non agendi.

VLTERIVS in Plethora sanguinea, vel biliosa reperitur soluta unitas vasorum distentorum, si non manifesta saltem obscura, ea videlicet, quæ sufficit aliàs in inflammationibus, verbi gratia, dolorem causare. Præterea est intẽperies calida (supponimus excitatam fuisse febrem) ergo neque alteratio causat dolorem media soluta unitate tanquam causalitate propria.

SED videmur contradictionem pati, nam neque intemperiem causam admittimus doloris, quandoquidẽ in Plethoj-

thora illam admittimus sine dolore. Et sane intemperies non erit causa, nisi insignita conditionibus quibusdã agen di. Et pro maiori intelligentia proponamus conclusionem in hunc modum.

SVBITA alteratio qualitativa calorifica ab affluxu humoris causata est causa doloris. Examinemus verba, quibus finitis finietur controversia. Debet esse subita alteratio, ad causandum dolorem, nam in plethorica febre, & in acutis datur alteratio qualitativa caloris sine dolore tamē quia non est subita. Nam dolor communiter describitur, quod sit subita mutatio a statu secundum naturam ad statum præternaturam. Conditio subita adeo propria est doloris, quod mutatio á statu præternaturam ad statum secũdum naturam aliquando solet esse dolorifica, ut in his qui ex ingenti frigore subito ad ignem calfiunt. Doctrina est Galeni 1. de sympto. cau. cap. 5. ubi inquirit causas voluptatis & doloris. Sanè communis (inquit) ea est quam Plato in Timeo reddit, sic scribens. Violenta passio, quæ præternaturam est cum simul multa, & celeriter fit dolorem adfert.

DEBET esse alteratio qualitativa, nam ut diximus abũdè sola ea est, quæ potest terminare tactus potentiam tanquam obiectum proprium in illam agens. Debet esse non tantum alteratio qualitativa, sed calorifica, hoc est procedens à calore. Quod quidem maiorem habet difficultatem: siquidem omnes qualitates primæ videtur admitti ab omnibus, ut causæ doloris. Quod calidum & frigidum dolorē afferant certius putant quam ut ostendi debeat. De humido admittunt controversiam an dolorem causet: partem negativam videtur amplecti Galenus tum 1. de cau. symptom. cap. 9. tum 2. de compositione medic. loc. cap. 1. estq; in promptu ratio, nam dolor fit ab his, quæ confestim, & violenter agunt, sed humidum non potest hac vi præditũ esse. Si dicas contrarium Galen. docuisse lib. 2. de rat. vic. in

morb.

morb. acut. ab humido scilicet fieri dolorem, scire oportet rem alio modo se se habere, quoniam eo loco dixit fieri dolorem tum à continuum divellentibus; tum ab alterantibus sensum. Postea vero inter ea, quæ sensum alterant, etiam humidi meminit nō dixit ab omnibus quæ alterant, sed indefinitè locutus est, postea universaliter explicavit, quæ alterant.

De sicco autem alia ratio est, quoniam ipsum dolorem afferre pro certo habent: quia potest per se cōtinuum divellere ut inquit Galenus 12. met. med. cap. 7. & loco citato de compositione medicam. local. in quo asserit fieri moderatos à sicco ab activis qualitatibus maximos, ab humido ut humidum est minimè dolorem effici, nisi replendo morbum effecerit partium instrumentalium quod profecto est ex accidenti. Potest enim siccum violenter agere, & & continuitatem dividere.

Verumtamen iuxta ea, quæ diximus asserimus nunc à solo calore propriè, & per se, & non ex accidēti fieri dolorem, ab alijs autem qualitatibus fortasse ex accidēti. De humido nanque nulla est dubitatio, ut nuper ostensum est. De sicco sic ostendo ex Galeno 1. de sympt. cau. cap. 6. ubi à sicco non fieri dolorem docet, nisi primis qualitatibus iūcto, ubi sic scribit. Quippè humidum, & siccum si ab sint calefactio, & refrigeratio citra violentiam corpus contingunt. Quid clarius? eandem sententiam tenet Avicena, lib. 1. fen. 2. tracta. 1. cap. 19. ubi dixit, à sicco ex accidenti dolorem fieri ea ratione, quia continuum dividat.

Si à sicco fieret dolor in hectica febre ingentissimus esset, quia insignis est siccitas, nullus tamen reperitur. Dices siccitatem in hectico æqualem esse. & factam dolorem autem fieri ab intemperie, quæ non dum facta est, sed adhuc fit. Sed contra, quia saltem fierent dolores dum siccitas illa morbosa introduceretur.

Quid ergo respondebimus Galeni authoritatibus pro al-

altera parte allatis. Dicendum quidem his in locis Galenũ solam siccitatem non dixisse causam doloris, sed coniunctam cum activis qualitatibus. Siccitas autem quia lima caloris dicitur exacuendo secundario, aut per accidens dici potest causa quantum importat opem medici, ut illã corrigat, ad quod respexit Galenus.

RESTAT ergo ut de frigiditate verba agamus utrum sit causa doloris. Communiter ita affirmatur, quia est qualitas activa, ast activis qualitatibus acutiorem dolorem ascripsit Galenus, ut patet locis allatis.

SED neq; frigiditas primo, & per se rigide loquendo dolorem producit, quamvis ad ipsum conducere videatur, & quatenus ad medicum spectat curetur tanquã causa. Etenim vivente animali possitiva frigiditas nõ datur tãta quæ possit dolorẽ efficere, nam neq; per se divellit neque corrũpit, neque subito alterat naturam. In rigore loquendo totũ quod tribuitur frigiditati, veré, & reipsa remissiori calori acceptũ debet referri, nã in arte medica minus calidum pro frigido habetur. Sic partium omniũ expirationes ad cerebrũ minus calidũ elatæ á frigido dicuntur concrescere. Insuper frigiditas per se solitariè sumpta nõ potest efficere dolorẽ, quia potius illa aufert sensum omnino sine quo nullatenus dari potest dolor; nam frigida omnia per exuperantiam inter Narcotica cõnumerantur, quibus inest facultas potius tollendi dolores quam illos producẽdi. Rectè ergo dictum est quod qualitativa alteratio causa doloris, debet esse calorifica, nam si rẽ expendamus à solo calore, vel intenso vel remisso fit dolor.

VLTIMA verba sunt (ab affluxu humoris causa) neque illa impertinenter sunt adiecta, nam alteratio quã primũ ab affluxu necessario erit repentina quam in superioribus requisivimus ad dolorem; quia in doctrina Galeni morbi qui subito fiunt & subito solvuntur ab humore fiũt, quod non evenit his qui ab intemperie.

CON-

CONFERT etiam quod affluxus sit humoris, quia alteratio dolorem productura non migrat sine subiecto, atque cum sanguine deferatur attrahitur ab intimis partibus, & exactissimè penetrat, quod non facit intemperies nuda, quæ per continui alterationem migrat. Et hæc est ratio propter quam magis calfacit aqua fervens eodem tempore quam flamma quia scilicet aquæ humor magis se se insinuat quam flammæ calor. In suppuratione contingit magnus dolor quia pus in unam se vult intromittere cavitatem.

SED percontaberis cur pars quam attingit alteratio nō dolet. verbi gratia humor dolorem effecturus cum ex venis in aliquam particulam confluat cur media alteratione non causat dolorem in venis? Nunquid meatus magni uti sunt venæ assueti sunt magno calori, & ideo nullam patiuntur alterationem, at dolitura pars subito debet affici?

HVMOR igitur sua corpulenta substantia distendit partem quam influit ut alteratio penetret, quemadmodum etiam alteratio partem quodadmodo dilatat ut humor liberius possit penetrare. Itaque hoc etiam modo solutio continuitatis est conditio agendi tenens se ex parte causę nimirum alterationis seu intemperiei, quandoquidem humor solvens continuum partem dilatando approximat calorem parti dolituræ, ut magis patiatur. Ob hanc causam dolorem capitis, quodadmodo mitigat lenit seu remittit redimiculum capiti arctè deligatum, quatenus partem, & poros comprimit, quo minus humor, vel pravus vapor partem alteraturus ad dolorem, penetret. Et hęc sufficiant de hac controversia.

SIT primum corollarium. Tantus erat erga Oniam Pōtificem totius populi affectus, quod qui videbat Summi Sacerdotis vultum mente vulnerabatur. Duo requiruntur ad compassionem amoris affectus erga eum qui patitur; & sympathia imaginationis. Primum quia inimico pa-

tien-

tienti non compatimur; debet ergo assistere imaginatio, ut appetitus sensitivus iudicans malum proprium, quod est alienum illud possit fugere: quam appetitus fugam subsequitur spirituum motus ad intra, ex quo dolor, seu tristitia in mente; quippé cum spiritibus recurrit intro tum sanguis tum spiritus flatuosus, qui solent mentem suffocando vulnerare. Sympathia etiam imaginationis requiritur: nam viso malo in tertio applicatur imaginatio ad sentiendum malum proprium, quod antea non sentiebatur propter illius abstractionem. Ita audito sternutamento ad illud irritamur, & qui videt alium mingere, statim mingit, quod magis observatur in brutis, quia in his fortior imaginatio. Sic etiam acerbitatem persentit in dentibus, qui videt alium cibos acerbos comedentem; & qui videt alium ex frigore rigere protinus quasi rigore corripitur. Et experimento compertum est quod per lignum angustum in terra proiectum currit aliquis velociter, quia non imaginatur casum á ligno; si vero fuerit lignum supra flumen, neque audet currere nec transire, & si transit cadit quia imaginatur casum. Multa alia de sympathia experiuntur. Pariter populus, qui videbat Oniam dolentem simul dolebat, quia convertebatur ad causas doloris alias latitantes propter absentiam, & abstractionem imaginationis.


SECUNDUM corollarium. Populus videns faciem Oniæ mente vulnerabatur, quia facies representabat dolorem internum. Proinde cap 12. Ecclesiast. vocatur platea humani corporis facies, quia illic sunt omnes sensus omnesq; cordis affectus facies declarat. Quo pertinet illud Poëtæ. O quã difficile est crimen non prodere vultu. Ecclesiast. quoq; 13. dicitur cor hominis immutat faciem eius sive in bona sive in mala. Certè cũ in toto corpore sit anima in facie multo evidentius se prodit: ideo cap. 2. Gen. dicitur, quod inspiravit in faciem eius; quasi ibi sigilletur anima. Et 4. Reg.

Reg.4 ait Eliseus ad Giezi, pones baculum meum super faciem pueri: quasi inde sumeret initium resurrectio pueri. Quo fit ut optimè docet Vallesius, quod merito censeatur adeo contumeliosum in faciem cedi, quādoquidem in ipsos sensus, atque adeo in ipsam animam videtur illata plaga. Et non solum facies, sed, & color immutatus declarabat internum animi dolorem. Quippè facies in substantia præter colorem exhausta, & quasi sucta solet esse in maximo dolore, ex retrocessu calidi influentis ad cor dolens, tū ratione doloris, tum ratione mæstitiæ, & timoris, quæ cōiunguntur cum dolore. Ob easdem causas color faciei solet immutari; neque enim apparet ut solet in sanitate roseus, & vividus, sed aut pallidus aut lividus; quoniam doloris acerbitas absumptionem facit spirituum; atque ex varia agitatione eorundem quæ solet contingere in animis pathematibus fit coloris mutatio in facie. Certum est autem, quod in dolore dantur timor, mæstitia, & quādoque ira.

TERTIUM corollarium. Prosequitur textus. Circumfusa enim erat mæstitia, & horror corporis: Ecce quod nuper dicebamus animi pathemata quæ complicantur cum dolore. Mæstitia non solum aderat in corde Oniæ Pontificis, sed erat circumfusa in toto aspectu. Per horrorem nō intelligimus exquisitum quem medici sola remissione distinguunt à rigore, sed tremorem, nam sæpissimè æquivocātur apud Galenum, & Hyppocratē tremor, rigor, & horror. In quo sensu Virgilius 4. Æneid.

Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

Et Iob 7. in eodem significato; terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.



CA-

CAPVT LVI.

IGitur his erga Nicanorem gestis, & ex illis temporibus ab Hebrais civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis. Et siquidem benè, & ut historia competit hoc, & ipse velim; si autem minus dignè, concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam contrarium est, alternis autem uti delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo non erit gratus. Hic ergo erit consumatus. Vltima verba libri secundi Machab.



PLVRA Continet textus, quæ ad literas tum medicas tum humanas pertinent; de omnibus aliquid dicemus, & plus de medicis Nam ut insinuet promiscuum historiæ stylum sumit similitudinem ex vini usu, qui alternatim delectationem affert, & continuatim contrarietatem. Quod quidem magnam ingerit difficultatem qua ratione vini usus temperatus salubris semper non fuerit.

VINVM ex opinione Empedoclis genus est aquæ; quam etiam opinionem visus est confirmare Aristoteles libr. 4. topicorum in fine capitis sexti, qui vinum definiens ait vinum aquam esse in lignis vitis putrefactam. Nomen porro putrefactionis Empedocli, & antiquis philosophis significabat concoctionem. Et Hyppocrates appellare solet ventriculum, ubi fit concoctio putrefactorium; ita ut

vinum ex illius opinione sit aqua cocta in ligno vitis v erba Empedoclis hæc sunt:

Vinum est putrescens ligni sub cortice lympha.

Quemadmodum Plutarchus testatur quæstione 2. & vigesima octava naturali.

SED Aristoteles videtur sibi contrarius. Nam quamvis afferatur 4. topicorum pro Empedoclis opinione, eam tamē hoc in loco impugnat. Verba Aristotelis sunt hæc. Nivem enim dicunt esse aquam congelatam, lutum vero terram humido temperatam. Est autem neque nix aqua, neque lutum terra: quare neutrum assignatorum generum erit genus. Opportet enim genus semper verificari, de omnibus speciebus. Similiter autem neque vinū est aqua putrefacta sicut Empedocles dixit.

In ligno putruit unda,
Nam simpliciter non est aqua.

Verumtamen in lib. 4. metheoror. Aristoteles apertissimè videtur scribere vinum esse speciem quandam aquæ. Verba eius in hunc modum habent. Exiccantur autem quæcunque sunt aqua aut aquæ species, aut aquam continent seu adventitiam, seu nativam. Adventitiam dico qualis in lana, nativam, ut quæ in lacte. Aquæ autem species sunt, vinum lotium serum, & omnino quæ nullū aut exiguum habent sedimentum non propter lentorem. Nā quibusdam causa est lentor cur nihil subsideat ut oleo, & pici. Hactenus Aristoteles.

GALENVS 3. de ratione victus in morbis acutis cōmentario vigesimo, agens de vino aquoso asserit ipsum levissimam in ligno vitis habuisse transmutationem, & levissimam quoque alimenti terrei permistionem, quod ut aqua foret parum terreæ calidæq; substantiæ occupavit; atque in horum coniunctionem levissima indiguit cōfectione.

RECENTIORES inter quos præcipuus Horatius Augenius

nius tomo 3. Epistol. lib. 9. Impugnat hanc opinionem Empedoclis multis rationibus, & præcipué. Nam cui ratio generis non convenit ei nulla ratione convenire potest ratio speciei. At qui vino minimè convenit ratio generis, quod illi assignat Empedocles; igitur illi convenire non potest ratio speciei, quæ sub assignato continetur genere. Non habet maior aliquam difficultatem quia cui non convenit ratio animalis ei convenire non potest ratio hominis, aut leonis, aut ovis, aut alterius speciei, quia in specie prius inest genus. Minor probatur, quia aqua putrefacta, seu concocta est species aquæ simpliciter consideratæ. Quædam enim aqua est concocta, quædam cruda, quędam crassa, quędam tenuis, & sic de alijs; ergo aqua est genus harum specierum seu differentiarum seu passionum. Quamobrem si rectè diceretur, vinum esse aquam putrefactam prius rectè dici posset vinum esse aquam. Hoc autem constare affirmabit nemo quia aqua, & vinum contraria sunt. Hoc & alijs argumentis diffusé impugnat opinionem.

Et quamvis hęc in rigore logico, vera sint, quia vinum simpliciter non est aqua. Non est prorsus absurda locutio Empedoclis. Et philosophi antiqui non ita stringebantur rigoribus logicis, allegoricè enim, & figurate sępissimè loquebantur.

Et Horatius ipse Augenius postquam impugnat Empedoclem; eius verba affirmat bonum posse habere sensum, quia eius propositum fuit docere materiam ex qua vinum fit, quam Poetarum consuetudine, & suo more circumscribit elegantissimè illo carmine. Siquidem fit vinum ex humido illo substantifico ligni vitis transmisso in cavitatem uvæ concocto, & maturato à calore vitis proprio (qui primum hanc molitur coctionē) mox à calore ambientis aëris. Istud humidum substantificum residet in carne uvæ ex quo expresso postea fit vi-

num. Hunc succum vocavit Empedocles Lympham id est aquam, quod aqueam, id est evaporabilem habeat naturam, at non absolutè, sed putrescentem, id est concoctam ac maturatam à duplici, ut prædiximus calore. Dum vero addit sub ligni cortice, intelligit corticem uvæ; nam cortex illius meritò appellari potest cortex ligni vitis, cuius pars totus racemus est, huiusque particula accinus. Quod autem nomine corticis intelligi non possit corpus illud lignosum, & durum, ac inæquale ambiens totam vitem eo potissimum colligi potest argumento, quod sub eo nullus adest liquor concoquendus, & in materiam vini transmutandus. Hæc est explicatio Augenij, quæ extra mentem est Empedoclis, aliud enim voluit ille significare, ut monstrabo.

PRIMVM enim quamvis verum sit, quod fiat vinum ex humido illo substantifico, transmisso in cavitatem uvæ concocto, & maturato. Verumtamen humidum illud substantificum includit necessario aqueam, seu elementalem humiditatem, ratione cuius ut mox ostendemus Empedocles vocavit vinum aquæ speciem. Nam in universum omne mixtum, quod habet fluxibilitatem continet in se aquam; igitur humidum illud substantificum cum fluxile sit aquam includit. Antecedens est notum in doctrina Aristotelis, qui capite 10. libr. quarti metheororum, sic scribit: Humidorum ergo quæcunque evaporant aquæ sunt. Igitur omnia fluxibilia pertinent ad aquam, seu includunt aquam ex qua habent, quod male contineantur termino proprio. Cumque humidum illud substanficum uvæ sit fluxile necessario habet aquam quæ mixta cum terra attrahitur tanquam alimẽtum à vite. Ob id agricolæ expetunt paulo ante vindemiã pluvias, ex quibus magnum proventum vini sperant futurum ut contingit, nam pluviæ augent succum uvarum. Et constat experientia, quod si supra modum pluat in ipso vinde

miæ

mix tempore conficiuntur vina debilia, & quæ aquam nõ sustinent, quia iam sunt ipsa diluta aqua illa pluviali; ut intelligatur aquam ex necessitate esse vino incorporatam semper.

DEINDE dicit Augenius; hunc succum vocavit Empedocles Lympham, idest aquam, quod aqueam, idest evaporabilem habeat naturam. Non enim Empedocles Lympham vocavit, quia evaporabilem habeat naturm, sed quia continet in se intrinsecus aquam. Diverso ergo modo sumenda est causalis illa. Nam natura non est aquea, quia evaporabilis, sed econtra est evaporabilis, quia aquea, ut inquit Aristoteles loco citato. Reliqua quæ explicat Augenius vera sunt circa corticem, nempè, quod intelligatur cortex uvæ, & non ligni, lignum enim quamvis præbeat alimentum, succum non attingit immediatè, ut folliculus. Plutarchus bis meminit de hoc Empedoclis decreto. Primò ut ostendat nomen putredinis antiquis cõcoctionem significasse citat eius verba. Secundo ut reddat causam quæstionis huius, cur vitis affusso vino ad eius radices marcescat maximè si affundatur, quod ipsa produxit vinum: huic quæstioni satisfacit his verbis. An quia calidum est natura putrefactionem generat, ut est apud Empedoclem.

Vinum est putrescens ligni sub cortice lympha.

Quoties igitur extra vino perfunditur, admovetur viti ignis atque humidi, quod lactescit vim pervertit omnẽ. Ratio Plutarchi sic habet: Vinum est calidum, quia est lympha putrescens, idest cõcocta. Omne calidum additione calidi exarescit. Vitis igitur exarescit ac moritur affusso vino, quod ipsa fecit ad suas radices.

SED problema hoc non rectè solvitur à Plutarcho. Nã vitis non exarescit, ac moritur, ex affussione aliarum rerum calidarum, aut ad motione stercoris putrefacti quamvis calidum sit; nisi solum ex affussione vini, quod ipsa

ipsa fecit; alia est ergo particularis causa. Exarescit, & moritur vitis afusso vino, quod ipsa fecit defectu alimenti; nam vinum proprium incommodat terram, ut sit alimentum vitis. Probatur à paritate, nam homo, verbi gratia chylum facit in ventriculo ex sanguine arietis leporis, ovis, & cuiuscunque alterius animalis, & optimè nutritur ex illo; verumtamen sanguinem quem ipse fecit non commutat in chylum, nec ex eo nutrietur, atque si aliud nutrimentum non haberet exaresceret defectu alimenti. Quod vero sanguinem proprium non commutet ex eo constat quod ex sanguine proprio extra vasa effusso in ventriculum sæva symptoma emergunt quousque vel dissolvitur vel vomitu eijcitur. Et hoc ex ratione contingit, nam sanguini ultimam iam manum dedit natura, quocirca retrocedere non potest, ut de novo accipiat formam chyli, quam semel iam accepit, & omnino assimilatus fuit, & simile non agit in simile. Pariter vinũ, quod iam confecit vitis amplius commutari non potest ab eadem vite, atque ita terram ineptam reddit, ut sit alimentum cuius defectu exarescit.

DIXIMVS ergo, quod non sit absurda locutio Empedoclis dicentis vinum esse aquæ speciem, quod ex dictis infertur. Nonne cerevisia est aqua cocta ex ordeo, vel tritico, & lupulis, ut etiam aqua cinamomi, & quæcunque alia quæ ad usus medicos usurpatur? Differunt dumtaxat, quod quæ ex tritico vel ordeo, & lupulis concoquitur, ut sit cerivisia finitur adhuc effervescere, & coqui amplius in vasis & defœcari. Cumque ostensum sit hic cum vitis intrinsecus continere aquam proculdubio hæc coquitur ex humido substantifico vitis, quando maturatur, & imbibit virtutem primas, & secundas qualitates huius, ut aqua quæ coquitur ex cinamomo imbibit illius qualitates. Differunt dumtaxat, quod aqua cinamomi arte coquitur facta elixatione ab igne: aqua vero vitis co-

qui-

quitur à natura, ideſt à calore naturali rei quæ concoquitur, iuvante calore ſolis.

ACCEDAMVS iam ad explicationem textus. Sicut enim vinum ſemper bibere aut ſemper aquam contrariũ eſt. Et omiſſa vini immoderatione, quæ ſemper contraria eſt, ut quæcunque alia, nam omne nimium inimicum naturæ, ut inquit Hyppocrates. Moderatus vini uſus videtur, quod contrarius non poſſit eſſe, ſiquidem adeo familiariſſimum eſt, & infinitas penè utilitates poteſt corpori afferre iuxta omnium ſententiam.

VERVMTAMEN ſemper ſemper continuus, & non interruptus uſus merito taxatur à ſacro textu. Et ratio efficax ſumitur ex neceſſitate naturali potus. Vſus illius eſt ex Galeno ad delationem alimenti, & vehiculum; & ad reſtaurandum ſeroſam humiditatem exiſtentem in omnibus partibus corporis. Et quāvis primus uſus vino exerceri poſſit, quod quatenus tenues habet partes poteſt præbere alimento penetrationem; adhuc in hoc imperfectè operatur ipſum ſolum, quia cum ſit familiariſsimum attrahitur ab omnibus partibus, ex qua parte quodadmodo impeditur delatio, & ſi vinum ut diximus non haberet ab aqua fluxibilitatem prorſus impediretur.

ALTER uſus potionis eſt ut reſtauret ſeroſam humiditatem exiſtentem in omnibus partibus corporis cuius officium eſt temperare actionem caloris, & efficere quo minus excandeſcat, quo nomine temperat effluvium continuum, & tuetur humidum ſubſtantificum. Hic uſus vel non exercetur à vino vel malé. Patet nam cum vinum calidum ſit, non poteſt temperare calorem quo minus excandeſcat: & conſequenter neque tuetur humidum ſubſtantificum, aut effluvium minorat, quinimo auget, ut faciũt omnia calida tenuium partium, & vinum eſt diaphoreticum. Dices non intelligitur quod vinum bibatur merum, ſed aqua temperatum. Sed ſi vinum dictos effectus

producit, aqua temperatum eosdem efficiet remissiores, non tamen ex diametro contrarios.

COR pars principalior nostri corporis est appositissimũ exemplar, quod circũdatum est nõ vino sed aqua pericardij; hęc enim temperat illud, ne conflagret ex motu & minus celeriter effluvio dissipetur. Et usum quem habet aqua pericardij eundem habet serosa humiditas in omnibus partibus corporis existens. Et mirum est, quod quamvis aqua pericardij conservetur ex illo, quod transcolatur in potu per rimulas Epiglotidis, inebrijs, & vinosis qui vix aquam degustant, adhuc sit aqua & non vinum. Ob hanc causam dicit noster textus, quod vinum semper bibere cõtrariũ est, quia prædictos effectus exactius aqua molitur.

ADDIT quod semper bibere aquam etiam est contrariũ. Nam tot sunt excellentes utilitates vini, ut eas aliquando non consequi contrarium sit. Nam vinum ingenium illustrificat fidelem reddit animum, & mansuetiorem, animam dilatat spiritus confortat, letitiam multiplicat, & amaritudinem tollit animi. Proinde dicebat Zeno, quod sicut lupini amari aquæ infussione dulcescunt, ita animus vino & Aristoteles in problematis ait, quod vinum homini præbet ardorem, & spem.

PROSEQVITVR textus. Alternis autem uti delectabile. Hoc est delectationem affert non semper bibere vinũ, aut aquam, sed aliquando vinum, aliquando aquam. Vinum pro remedio, vel alicuius partis ut ventriculi, ut dicebat D. Paulus Timot. utere pauco vino propter stomachum; vel mæroris, ut dicitur Proverb. 31. Date syceram mœrenti bus, & vinum his, qui amaro sunt animo. Aquam pro necessitate naturæ, ut dictum est, & confirmat Avicena, qui in medio prandij iubet aquam bibi ad extinctionem sitis, vel præsentis, vel imminentis. Plinius etiam scribit, quod bibere aquam mane ieiuno ventriculo bonum facit facici colorem. Antiqui huiuscemodi alternatione utebantur,

nam

nam semel in mense inebriantur, ut subsecuto vomitu ex crementa pellerentur.

HYPPOCRATES aphor. 50. secundæ sectionis, ait. Quæ longo tépore consueta sunt etiam si deteriora sint minus molestare solét insuetis, opportet ergo ad insueta permutari. Galen. in com. ait esse dictũ, gratia salubris securitatis ne incidentes aliquando repente in nobis in sueta magno pere offendamur, satius esse inquit omnia tentare. Fit autẽ hoc nõ inhærẽtibus nobis, ait Galen. semper his, quibus assuevimus, sed nonnunquã contraria tentantibus. Igitur qui bibit vinum transeat aliquando ab bibẽdam aquam. Et qui bibit aquam transeat aliquando ad bibẽdum vinũ. Nam & qui bibunt aquam aliquam coctam gratia sanitatis, verbi gratia, salsæ parillæ consulto aliquando illã omittunt ne vertatur in naturam, & amittat virtutem alterativam qua indigent. Hoc est quod consulit textus.

SIT primum corollarium. Plures opinantur vivaciores esse abstemios vinosis, in cuius confirmationem insurgũt rationes supradictæ. Nam mors invadit ob duplicem causam, aut propter consumptionem humidi substantifici, aut propter multitudinẽ excrementorũ suffocantium calorẽ nativum. Prima causa melius impeditur aqua quàm vino quia illa retardat consumptionem humidi substantifici, & excandescentiam caloris; vinum autem accelerat dissipationem suo calore diaphoretico, & auget excandescentiam. Dices secunda causa melius impeditur vino. Concedimus, sed illa exposcit vinũ pro remedio digerẽte multitudinẽ excrementi; remedium autem non debet usurpari in continuo, & communi usu, ut dictum est; ne connaturalicetur, & tandem nihil alteret. Quam ob rem consiliũ textus est divinum & admirabile, ut elicitum è sacro dictamine, scilicet alternis uti, aliquando vino aliquando aqua. Hoc saltem urget me, quod ante Noe vini inventorem pro trahebantur vitæ hominum ad septingẽ-

tos

tos annos, & plures; à diluvio vero, & Noe vitæ sunt res strictæ, ad centum septuaginta annos plus minusve. Et mihi non est abs re suspicari illam longitudinem in abstinentiam à vino; & hanc brevitatem in abusum vini referendas esse. Scio Dei voluntatem, & præscriptum hos terminos possuisse. Sed Deus etiam causas secundas finit operari; neque illa longitudo fuit miraculosa sicuti neq; hæc brevitas.

SECVNDVM corollarium. Non solum non est contrarium alternis uti aqua, & vino, sed delectabile, ut dicit textus. Plures sunt qui post longam vini potionem haustũ aquæ suaviter appetunt; & alij qui post longam vini abstinentiam pauco vino recreantur. Naturæ nanque pulchritudo in varietate consistit. In hoc tamen magis naturalem esse usum aquæ quam vini elucescit, quod nullus est adeo vinosus, qui aliquando aquam non degustet: & sunt plures abstemij, qui non solum eligant siti cruciari, aut ægrotare quinimo, & mori potius quam vinum degustare. Sunt & alij qui sub eadem pæna nollunt bibere aquam in vase, quod aliquando vinum continuit. Novi ego alium, qui vel nullis precibus exoratus voluit æquester, ut brutum portaret vini utriculum, adeo est mira naturæ varietas. In hoc tamen ostendit ipsa potum qui sibi magis arridet. Plura sunt sacræ scripturæ loca, quæ docẽt exhibendum esse vinum pro remedio alicuius passionis, aut morbi, ex quibus elicitur non esse habendum in communi, & continuo usu. Vt est illud Proverbiorum 31. Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius. Et Reg. 2. cap. 16. Vinum autem, ut bibant si quis defecerit in deserto.

VLTIMVM corollarium. Similitudo transfertur ad historiam, & ita dicit: Ita legentibus si semper exactus sit sermo non erit gratus. Non intelligas, quod in sacra pa-

gina non sit semper exactus sermo, sed quod locutio non sit semper æqualiter gravis: patet ex alijs verbis textus, ubi ait: Si autem minus digné. Aliquando enim figura retorica elevatur à minori ad maius, & aliquando in musica consonantia minus fina interponitur ad elevationem perfectioris.

CAPVT LVII.

SVrgens autem Jesus de Synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea, & stans super illam imperavit febri & dimisit illam. Lucæ *cap.*4.


RINCIPIVM, Et complementum sanationis socrus Simonis fuit ingressus Domini nostri in domum Simonis, & ægrotantis, ut doceamur tam medici quam ægrotantes complere Decretum sanctissimum Pontificis de confitendis peccatis, & recipiendo Viatico quam primum adest febris. Pulcherrimum enim, & sanctissimum est hoc exemplum, nam etiam veniebat Dominus de Templo, & Synagoga, & ingressus fuit domum infirmæ, quæ sanata fuit. Quia ut dicitur Ecclesiast. 38. Filij in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Insignis est morbus febris, & cui præcipuè hypotecatus videtur medicus. In honorem ergo textus auream, & selectiorem eligimus controversiam de principio febris.

CELEBRIS est quæstio, & quæ recentiorum ingenia torquet, nam antiquiores, vel nihil excogitarunt, vel fide tran-

transfegerunt. Fundatur in illa particula definitionis Avicenæ (extraneus) ita quærimus nunc utrum calor febrilis, omnino sit extraneus, quia disconveniens est naturæ, & extrinsecus venit; vel solum sit extraneus, quia alienus est à natura, & disconveniens, non sit vero extraneus, quia oriatur in ipso corde à principio interno.

PRIMA est communis opinio antiquorum, & recentiorum quorundam, calorem febrilem nullatenus esse cordi naturalem asserentium. Quo circa verba Avicenæ, & præcipuè verbum (extraneus) in suo rigore intelligūt, videlicet quod prorsus extraneus sit, quia extra cor oritur. Fundamentum huius opinionis est, quam calor febrilis affectus est præter naturam, quia morbus; ergo nō secundum naturam; ergo non potest oriri à principio interno, quia alias esset naturalis, & potius haberet vicem remedij, quam morbi. Hæc sententia expendenda est, quoniam ex parte veritatem aliquam habet, quamvis in eo sensu, quo ab Auctoribus proponitur, & iuxta illorum intentum omnino sit falsa. Inferius, vel corroborabitur, vel evertetur.

OPPOSITA sententia est aliorum asserentium, & hi sunt plurimi recentiores, calorem febrilem à principio cordis interno ortum habere. Probant suam opinionem, quia videtur impossibile posse in nostro corpore aliquid generari, sive per ustionem, sive per putredinem, sive alio modo, quod corde calidius sit, & quod illius calorem valeat intendere usque ad intensionem febrilem; & cum actio fiat à proportione maioris inæqualitatis, vel nunquam intendetur calor cordis, vel si intenditur erit à se ipso.

DEINDE, quia si aliquid in nostro corpore posset generari, quod cor accendere posset, & producere febrem, maxime essent fuligines, quæ secundum communem sententiam elevantur, vel ex alimento, vel humoribus, alijsve

ve

ve contentis actione caloris nostrarũ partium, & præsertim calidioris cordis. Sed fuligines non possunt esse corde calidiores, igitur neque ipsum excalfacere, atq; ex consequenti, neque febrem generare. Minor probatur, quia ita se habent fuligines nostri corporis respectu cordis sicuti, quæ elevantur ab igne externo, sed istæ non sunt igne calidiores, sed ipso multo frigidiores, cum à fuliginibus ignis extinguatur, & rursus adhuc ignescant; ergo quæ in nostro corpore elevantur similiter non sunt corde calidiores.

CONFIRMATVR, quia fuligines elevantur à calore cordis; ergo nequeunt esse ipso calidiores; patet, quia aliás effectus evaderet sua causa perfectior, & in effectu aliquid esset, quod in causa efficienti non contineretur.

PRÆTEREA, quia quando aliqua pars, quæ distat á corde inflammatione obsidetur excitatur febris, sed hæc non contingit propter fuligines, elevatas ab ipsa inflammatione, & delatas ad cor; ergo illæ non sunt causa febris; patet, quia aliás partes intermediæ, calfierent prius quam cor afficeretur, quod non experimur, cum in corde prius quam in alijs partibus calor vigeat.

DEMVM probant, quia cor, & arteriæ motu compressionis moventur ad expellendas fuligines, ergo prius extra corpus pellentur, quam calorem permanentem in corde valeant producere, & ex consequenti non erunt causa febris

HIS præcipuè rationibus inixi tenent Auctores prorsus non esse calorem febrilem extraneum cordi, quin potius à principio interno enasci á propria cordis forma.

VARIANT tamen Auctores in philosophando. Gomezius namque Pereira in sua nova medicina cap. 7. existimavit, ex eo cor esse causam efficientem caloris febrilis, quia cum motus sit causa caloris, ex Aristotele, fit vt cor motu contractionis, & dilatationis concitato, quam par est

cali-

calidius reddatur. Ex quo fundamento conatur elicere propriam sententiam in hunc modum. Quando cor ab aliqua causa contra naturam irritatur, statim ad expulsionem eius quod sibi molestat, veloci ac concitato motu movetur, atque cum motus sit causa caloris producitur intensior calor, quam antea erat, & ita oritur à principio interno. Atque eo modo contingere dicit in febribus vulnerum, & inflammationum, ex quibus aliqua portio humoris pervenit ad cor, & ipsum irritat ad expulsionem, & subinde ex motu incalescit, ut concoquat causam morbi.

ADIUNGIT causam propter quam in laborantibus febre sæpè videmus, animal non febricitare; tum quia pau latim fit putredo, tum etiam quia causa, quæ putrescit ad eo exigua est, ut ex ipsa ad cor non possit aliquid elevari, quod ipsum adeo irritet, ut velociter moveatur. Ex quo (inquit) fundamẽto oritur, ut qui sunt propè mortem exigua febre laborent, quia propter debilitatem facultatis vitalis cor non potest adeo celeri, & concitato motu moveri, ut excandescat in febrem.

SED hæc opinio Pereiræ absurda prorsus est, & neque verisimilitudinem habet, nam licet vera sit illa propositio, motus est causa caloris, habet tamen tantas limitationes, quod in præsenti casu admitti non possit, & omissis pluribus rationibus; quæ illam evertere possunt, unam, aut alteram proponamus, ut valedicamus sententiæ. Sequeretur enim, quod cor ex continuo motu incalesceret, & tandem febricitaret sine causa alia præter naturalem motum, & vitalem. Dices non incalescit febriliter, nisi concitatus sit motus. Cæterum ex continuo motu aliquis gradus caloris acquireretur, qui ulterius posset intẽdi ex incessante motu.

VLTERIUS plurimi sunt cacochymi, qui longum tempus transigunt sine febre, in quibus multi sunt humores acres, & mordaces, qui possint irritare cor ad ad expulsionem,

nem, qui quidem necessario febricitarent, nam ut ait Pereira, irritatum cor concitato statim motu movetur ad expellendum, ex quo necessario incalescit usque ad febrem. Contrarium autem experimur. Huiusmodi ergo opinio Pereiræ improbabilis est.

ALII diverso modo philosophantur. Asserunt nãque, quod febrilis calor à principio interno semper generatur, quia ab extrinseco non potest, eo quod nihil in nobis corde calidius possit generari. Igitur, vel augeatur caliditas per putredinem, vel per ustionem, vel per alium modum nunquam erit tanta, quod superet caliditatem cordis, & ex hac inæqualitate illud calfaciat.

SED huiusmodi philosophia falsa est, & falso nititur fundamento. Etenim aliquando potest dari casus, in quo generetur causa præter naturam calidior illo, & quæ possit illius calorem intendere.

NIMIRVM quamvis regulariter loquendo, cor sit omnium partium calidissimum, ut inquit Galenus libr. de temperamentis, aliquando potest combinari hypothesis, in qua cor sit aliquanto frigidius, hepar calidius, & ventriculus, & aliæ partes ad pensum calidiores etiam solito. Tum sic in hoc casu ab hepate calidiori calidissima generatur bilis, quæ deinde putrescere potest, costat autẽ, quod ex putredine acquiret maiorem calorem extraneum; atque ita eo temporis bilis illa putrida proculdubio intensiorem habebit calorẽ corde, ac proinde poterit introducere, in illo gradum illum intensiorem, & ex consequẽti falsum est, quod supponit opinio, nempè quod non possit generari in corpore causa aliqua præternaturam corde calidior. Pariter etiam in hoc casu non erit opus, quod à principio intrinseco ipsius cordis oriatur calor febrilis, & præternaturam.

QVID est, quod possit negari in Hypotesi; passim observamus in complexionibus huiusmodi inæqualitates,

cor

cor calidium, hepar frigidum; econtra cor frigidius hepar vero calidius, & sic de reliquis partibus. Affirmat Galenus totum 3 de præsagat. expulsi. 3. vbi scribit: non nunquam percipitur in corde huiuscemodi pugnantia temperamentorum, nam modo frigidius visceris corpus æquo est, & in ventriculis contenta substantia calidior, modo è diverso substantia frigidior, cor autem calidius. Nec prodest si dicas hanc frigiditatem cordis dici respectu maioris caliditatis, quam solet habere. Est enim cor frigidius contenta substantia in ventriculis, quæ calidior est. Colligitur ex verbis sequentibus, dum scribit. Vbi etiam pulsus fiunt moderatis similes, nam medius quodadmodo status hic efficitur ex duobus contrarijs conflatus. Ecce contraria nempe frigiditas cordis, & caliditas contentæ substantiæ. Idem affirmat cap. sequent. dicens. Nam cum facultas plurimum laboret, & si coniuncta sit frigiditas pulsus quidem extreme pauci fiunt, sed non tardi extreme, imo nonnunquam moderatis similes crebritatem tamen non abijciunt pristinam, sed etiam adaugent. At ubi paululum facultas debilitata sit, & frigiditas vigeat plurimum, longissime ad raritatem pulsus deflectunt, parum ad parvitatem medio modo ad tarditatem. Eodē etiam arteriæ modo si in nativo temperamento constent movebuntur. Nā si cum cor sit frigidius, hæ calidiores æquo sint, cordis pulsum tantum alterabunt, quantum de natura desciverint. Hactenus Galenus.

PRÆTEREA huiusmodi opinantes principij intrinseci caloris in febribus affirmant, quod dum animal optima fruitur sanitate cor non habet formaliter tam intensum calorem, sicut continet eminenter, quéque potest á principio interno producere; produceret vero ni talis calor à frigiditate aëris ambientis per respirationem, & pulsum attracti remitteretur. Ex quo sequitur, quod nihil extra cor potest esse per se causa efficiens febris. Quod huiusmodi

exem-

exemplo confirmant. Putrefiat humor, verbi gratia, intra vasa; iste humor, & fuligines ex eo elatæ per putredinem redduntur calidiores, quam antea erant, & ita calfaciunt aërem attractum, tuncque talis aër calefactus, cordis calorem non potest refrigerare, ut solebat. Quapropter detracto illo gradu pristino frigiditatis pululat intensior calor à principio cordis interno, cum absit impedimentum; & ita respectu illius novæ caloris intēsionis, in corde productæ, quæ febrem constituit, causæ illæ aërem attractum calfacientes se habent per accidens, quatenus removent prohibens, frigiditatem scilicet ambientis, quæ impedimento erat quo minus cor ad intensiorem calorem se reduceret. Et quo fit, ut causa efficiens per se illius ulterioris caloris febrilis de novo producti, nulla alia sit præter ipsam cordis formam; omnem enim qualitatum reductionem formis deberi Philosophi docent.

HÆC est summa fundamenti opinionis, asserentium produci ab intrinseco calorem intensiorem febris. Quæ opinio plura continet libenter dicta, & præter firmum fundamentum. Sed ostendamus, quod minus consequenter loquantur hi Auctores. Etenim frigiditas aëris ambientis respirati, & transpirati non potest impedire productionem ulterioris caloris illius; nam si causa efficiens est forma cordis, extrinseca frigiditas aëris nihil agit in formam cordis, nec eam destruit, neque corrumpit; ergo continuò producet calorem, quod falsum est. Non enim reddunt rationem adæquatam, cur privetur forma continua productione.

SI dixissent, quod frigiditas corrumpit gradum illum, quem cordis forma produceret, iuxta meliorem philosophiam loquerentur, nam frigiditas virtutem habet calorē destruendi.

DEINDE variato discursu dicunt, quod per tale refrigeriū detrahitur aliquis gradus de cordis calore, ne au-

rem detrahatur ille gradus, qui simpliciter necessarius est, ut animal vivat, & benè se habeat, natura provida cõcessit cordi principium intensioris caloris internum, ut gradus ille, qui per respirationem necessario remittendus erat detrahatur, & non alter qui naturæ ad operari expediens est. Et ita natura in hoc casu inter ea, quæ potuit, quod melius est fecit.

SED non est intelligibilis huiusmodi circulus, nam si aliquis gradus detrahitur de cordis calore, qua ratione dicunt, quod ne detrahatur gradus, qui simpliciter necessarius est, ut animal vivat natura concessit cordi principium internum intensioris caloris.

ETIAM si verum sit, quod gradus corrumpatur caloris per refrigerium respirationis habebit calorem animal simpliciter necessarium, ut bene se habeat, quia ut aer attrahatur per respirationẽ, & transpirationem ad detrahendum gradum caloris, necessario requiritur tempus. Cor vero continuo excandescit ab intrinseco: & hoc non adnotarunt hi Auctores; igitur non est curdicant, detrahitur, & mox non detrahitur.

SED in quo magis displicet hic modus philosophandi, quod non reddat causam finalem propter quam natura cordi concessit virtualem caloris continentiã in mensura intensiori, quam viventi expediat dum salubriter degit, cum semper natura agat propter finem, ut inquit Philosophus.

RESPONDENT enim huius rei rationem esse, quia calor cordis necessitate naturæ agendo in alimentum sua actione ex ipso, & ex ipsa materia qua nutritur debet elevare fuligines, quæ fuliginosa excrementa debent expelli tum, quia suis qualitatibus nostram naturam calfaciunt, tum etiam quia sua corporatura calidum influens suffocant. At qui cum istarum expulsionem non aliter natura consequi possit, nisi compressione cordis arteriarum, & tho-

thoracis, & iste partes comprimi non possint, nisi prius dilatentur fit, ut ad harum partium dilatationem necessario ingrediatur aër, qui per inspirationem, & transpirationem attractus cor refrigerat. Sed omnino ab re est responsio, & absurda, ut quisque iudicare potest.

NAM hic inquirimus causam finalem, propter quam natura cordi concessit virtualem caloris continentiam in mensura intensiori, quam viventi salubri expediat. Ast dilatatio arteriarum, & inspiratio habent pro fine calorem illum internum refrigerandum, nam propter calorem quem producit cor ab interno dilatantur arteriæ, & thorax in inspiratione, & non econtrà propter dilatationem arteriarum, & pectoris cor producit intensiorem calorem; igitur confundunt hi Auctores naturæ opera, & quod est posterius in intentione illius, faciunt prius, & posterius, quod prius est faciunt.

DEINDE inaniter arripiunt ad responsionem necessitatem expurgationis fuliginum; posset enim natura moliri talem expurgationem sine attractione aëris, & sine dilatatione arteriarum, nam unumquodque opus habet suum finem partialem; propter attractionem aëris dilatantur arteriæ, & propter expulsionem fuliginum adinvenit, & formavit natura compressionem. Posset quidem natura dividere huiusmodi actiones, & unam sine alia exercere, atque si non esset necessitas aëris attrahendi, non intenderet dilatationem quantumvis essent expellendæ fuligines.

PRÆTEREA alias dubitationes incurrit hic modus philosophandi, non facile solubiles. Primum enim asserit cor continere illum intensiorem calorem eminenter. Ex quo infertur quod actu non contineat. Tum sic propriũ est cuiuscumque causæ, quæ virtutem habet eminentialem, & non actualem, ut illud, quod producit, quoniam habet eminenter producat extra se, & non in se; ergo cor

non habet virtutem ad producendum suum calorem, & in se. Antecedens ostenditur inductione. Deus continet eminenter creaturas in se, non tamen eatenus, quod creaturæ sint in sua essentia, aut intra se, sed quod habeat virtutem eas producendi extra se.

PARITER sol calorem, quem producit continet eminenter, non quia habeat in se calorem, hoc enim falsum est, & contra bonam philosophiam, nec quia valeat illum producere in se, sed in alijs; aliàs cor esset productivum sui ipsius. Si aër attractus per respirationem, & transpirationem nõ temperaret, & corrumperet quatenus frigidus caliditatem, quæ sensim producitur à corde iuxta dictam sententiam, plurimum incalesceret cor.

VIDETVR ergo his concessis, quod cor suum proprium calorem producat & seipsum perficiat, quia ad agendum cum maiori calore modo non sit febrilis perfectius se habet, quod admodum difficile apparet.

DEMVM à forma inquiunt cordis producitur calor; igitur semper producetur intensus, & summus; patet consequentia, nam cum huiusmodi forma cordis, non sit à quo coarctetur ne remissiorem, producet gradum intensiorem, nam ex Philosopho agens naturale agit quantum potest debite applicitum, & cum requisitis circunstantijs Deinde etiam continuò aget, & producet cum idem sit cor, nullatenus debilius; nam idem secundũ idem semper est aptum facere idem, ut alibi etiam, inquit Philosophus.

VEL debent explicare Auctores, cur tantum calorem producat, neque maiorem, neque minorem. Vis argumenti magis elucescit in sanitate, quam in statu præternaturam, poterunt enim dicere, quod fuligines elevatæ ex humore in febre humorali sunt in causa; ut tantus calor producatur, vel calfaciendo cor, vel aërem attractũ, ne refrigeret quantum expediebat cordis attemperationi; ac

iux-

juxta fuliginum calorem dicent, quod accenditur cor magis, vel minus, quatenus attemperatio est inæqualis. Atque cum hunc modum non solvat, nec solvi possit ex deductis ab opinione ipsa, crediderim, quod ea non possit, ita liberè sustineri, atque ita novus modus philosophandi fuit excogitatus, ut puto veritati consonus.

TEMPUS ergo est, ut nostram proponamus sententiã, quam digerere libet per quasdam conclusiones claritatis, ergo.

PRIMA conclusio. Aliquando calor febrilis omnino extraneus est cordi, ut non sit opus, quod oriatur à principio interno illius.

PROBATUR conclusio. Tunc enim prorsus extraneus est calor febrilis cordi, quando venit ab extrinseco nimirum à causa calidiori corde ipso, & non est opus, quod oriatur à principio illius; sed datur nonnunquam causa præternaturam calidior, ergo cordi communicata, tum erit febrilis calor, tum etiam prorsus extraneus. Maior est manifesta, quia namque existimarunt Auctores, quod est impossibile dari in corpore rem calidiorẽ corde, venerunt in eam sententiam principij intrinseci. Minor probatur, primo auctoritate Galeni 3. de præsagatione expulsibus 3. & 4. superius allata, ubi cępimus ostendere, quod aliquando dari potest proculdubio contentum aliquod in corpore calidius formaliter cordis viscere. Hic repetere opportet, quæ ibi diximus, & adijcere, quæ scribit in arte Medicinali traddens signa cordis frigidi. in frigidiori vero corde pulsus minores existunt, quam modo naturæ conveniat; non tamen necessario tardiores, vel rariores: respiratio autem siquidem tanto thorax minor extiterit, quanto cor frigidius pulsibus erit proportionalis. Si vero maior fuerit, quam pro frigiditatis vehementia, non minor est tantum, sed etiam tardior, & rarior. Tales autem timidi natura sunt, & sine audacia, &

frigides, & nudum pilis habent pectus. Hæc Galenus. Ecce cor frigidius.

PASSIM experientia fit compertum, quod in corporibus dantur temperamenta partialia diversa, & inæqualia, ut quando hepar calidissimum est, ventriculus est frigidus, cerebrum calidum cor frigidius, & econtra; ob id namque omnium partium Galenus scripsit signa temperaturæ, nempè ut cognoscantur, quæ diversæ solent esse. Formemus igitur hoc modo Hypothesim. Sit Hepar calidius; cor iusto frigidius, & ventriculus medio modo se habeat. Sit temperatus homo ingerat alimenta calidiora ut mel in multa copia, & frequenti usu, necessario in illo multa quantitas calidissimæ bilis accervabitur, quia dulcia ut mel bilescunt in hepate calido. Putrescat hæc bilis ingēti putrefactione æstate media præsertim si iuvenis fuerit homo (omnia enim hæc possibilia sunt, & frequenter contingentia) ex huiusmodi putrefactione bilis acquiret multò maiorem calorem, & necessario si copiosa sit circa viscera febrem generabit ardentissimam. Nemo sanæ mētis negabit in hoc casu, quod calor bilis erit maior cordis calore, atque ita poterit esse causa univoca eius quem introducet in illo. Maiorem̄ partem doctrinæ docet Galenus lib. de curan. rat. per sanguinis missionem capit. 5. dum ait: At quęcumque ex materia calida putrescunt calidiora etiam evadant, calidior quoque erit proinde sanguis putrescens. Hic autem ubi calidior fuerit calidior quoque sensibiliter pars in qua putrescit evadet. Porro autem quoniam à notabiliter calidis, una quæ viccina sunt incalescunt, una quoque cum sic affectis partibus, quæ circumquaque sunt incalescunt idque calore acri, & mordaci, eiusmodi enim est, qui à putredine proficiscitur; ergo si pars quæ hoc pacto incaluit insignis sit, aut calorem suum in cor protendere valeat, sive quod viccina sit, sive quod ex principalibus, sive quod calida una ipsum accen-
det.

dет. Hactenus Galenus. Omitto febrem, quæ poteſt accendi ex ingeſto veneno acri, & erodenti, in calidiori natura, in qua etiam calor veneni à naturali actuatus neceſſario intenſior erit calore cordis. Igitur proculdubio aliquando poteſt dari in corpore cauſa præternaturam calidior, quæ ſit univoca eius, qui introducitur in corde febrilis, quo tempore opus non eſt, quod oriatur à principio interno.

SECVNDA concluſio. Plerumque calor accēdens cor in febrem, cauſa eſt æquivoca gradus febrilis, ideſt minorem habet intenſionem, quam cordis calor. Hæc concluſio etiam eſt manifeſta, & à pleriſque conceditur. Probatur, nam verbigratia, in febre quotidiana ex pituita putreſcente calor putredinoſus remiſſior erit calore cordis, præſertim ſi in eo caſu cor intēperiem patiatur calidam, & pituita aggregata ſit ex erratis victus, & alimentis frigidioribus in ætate conſiſtente, & hieme media. Etenim per putredinem acquiritur maior calor, verum ſemper iuxta naturam humoris putreſcētis, tam qualitate, quam quantitate. Itaque ex putreſcente bile, eaque calidiſsima ingens calor putredinoſus conſurgit, & quia illa acris eſt, & mordax, pariter & calor putridus mordax erit. Ex ſanguine putreſcente moderatior calor acquiritur halituoſior, & benignior, quia talis eſt ſanguis.

HINC eſt, quod in quotidiana febre calor lentus ſit, & appareat moderatus, eo quod humor qui putreſcit frigidus eſt: Idcirco exiſtimare oportet, quod in hoc caſu quantumvis putreſcat pituita, calor elevatus remiſsior ſit cordis calore. Adde, quod in febre epiala calor putredinoſus non poteſt vincere frigiditatem, neque calfacere partes corde frigidiores; ergo multo minus calidius cor. Atque in hoc puncto dicti recentiores inſtabunt ſua opinione, ut negari non poſſit emanatio caloris ab interno principio, pro quo ſit.

TERTIA cōclusio. Cor quemadmodum quodlibet mixtum præter calorem actualem dici potest potestate calidum, & actuatur, seu reducitur in actum à calore omniū partium corporis, vel alterius substantiæ calidæ.

HÆC conclusio debet explicari, quoad terminos antequam probationem ineamus. Atque ita notandum, quod licet actu calidum sit cor, vt ex tactu deprehendi posse cēset Galenus, potentia vocari calidum potest, quemadmodum omnia medicamenta, quæ potestate talia dicuntur, & à nostro calore reducuntur in actum, ut piper, cinamomum, mel, & quæcumque huius census alia. Igitur sicuti piper calidum dicitur secundo, vel tertio gradu, potestate tamen, quia ingestum in ventriculum à nostro calore alteratur, & reducitur de potentia in actum caloris proprij. Ita pariter cor nostrum potestate dicetur calidum, quoniā actuatur à calore partium circumiacentium corporis, aut cuiusvis substantiæ calidæ. Habet ergo calorem actualem, quia ex parte reductum est, de potentia in actum. Cæterum, quia in totum actuatum non est, calorem qui possit erumpere adhuc habet iuxta quem potestate calidū vocari potest. His ita intellectis, ad probationem pergo.

ET primum non eget probatione, quod cor habeat calorem natiuum actualem, quia sensibus est notum, quod omnia calent in corpore. Monstrandum est ergo, quod præter hunc calorem actualem habeat potentialem, illum quem omnes concedunt in medicamentis, ad cuius mensuram dicuntur calida, vel frigida, primo, vel secundo gradu, aut tertio.

ET hoc etiam facillime probari potest, quia omnia mixta habent symetriam primarum qualitatum, & illarum temperaturam. Cor autem mixtum quis negabit? & evulsum à corpore erit medicamentum, quemadmodum piper, cinamomum, & devoratum poterit reduci de potestate in actum à calore devorantis ventri-

cu-

culi. Idem dicendum de corde, & partibus brutorum, verbi gratia, pulli columbini, cuius cor vivente animali calorem habet actualem, simul autem habet, & potentialem, quia mortuo pullo, & evanescente actuali calore, restat potentialis, ratione cuius si devoretur actuabitur à calore ventriculi, non secus, ac piper, & evadet calidum actu, & calfaciet ventriculum.

POSTREMVM, quod restat probandum, est, quod à calore omnium partium corporis, vel alterius substantiæ calidæ, reducatur in actum calor potentialis cordis. Videtur enim asperum, quasi dixerit quispiam partes corporis concoquere cor, quemadmodum ventriculus cibos. Sed ostendo id, quia omnia mixta dicuntur calida, frigida, humida, sicca ad calorem nativum collata, quicumque is fuerit, sive ventriculi, sive hepatis, sive aliarum partium. Patet manifestè, nam omnia medicamenta cuti illita reducuntur in actum, non secus ac in ventriculo; igitur quicumque calor nativus virtutem habet actuandi quodcumque mixtum, & ita levi præcedenti cutis frictione melius operatur medicamentum.

CONFIRMATVR, nam aliquando manus eius, qui laborat difficultate coctionis alimenti, cuiuspiam ventriculo admota proprio suo calore coctionem molietur, & si ingesseris opium, aut arsenicum citius operabuntur si manum ventri applicueris: igitur evidenter apparet, quod una pars suo calore potest iuvare aliam. Tum etiam cum alia pars mixta sit, & habeat calorem, aut frigus potentiale, & præter id à quocumque calore possit alterari, ut ostendimus, tandem concludimus calorē omnium partium nativum, actuare potentialē cordis, & è converso calorem cordis actualem potentialem aliarum partium adinvicem adeo, ut se mutuo reducantur omnes partes in actum. Calor excrementorum idem facit.

NEC obstat minor, aut remissior calor aliarum partiū, vel

vel substantiarum calidarum, quia ad actuandum sufficiet; nam ut inquit Galen. 3. de temperamentis, nihil miri est si aliqua exiguum consecuta auxilium maximam à priori mutationem habent. Sicut in Mysia stercus columbinum conflagravit nullo admoto igne à solo calore solis.

HINC etiam oritur radix mortis inevitabilis, nam partès adinvicem se actuant in calore, & præsertim ignobiles sensim, & paulatim reducunt de potentia in actum calorem potentialem viscerum, & cordis, atque ad ultimum actum extinguitur animal, etiam si nulla ægritudo præcesserit quoniam exhalat calor ille nativus, cum triplà ci illa substantia in cuius absentia langor vitæ consistit.

ET hoc est commune omnibus mixtis, quæ vetustate conficiuntur, ut quo vetustiora eo remissiorem habeant calorem nativum, quia ipse qui erat in potentia omnino actuatus exantlavit. In Pharmacopolijs observamus medicamenta vetustiora, quæ citius consenescunt in loco calidiori quam temperato, aut frigidiori, quoniam calor ambientis prorsus actuavit internum mixti calorem.

EA propter aromata, ut ambarum moschus diutius cõservantur in loco fętido, quia per quandã veluti antiparistasim proprius calor aromatum in sua potentia conservatur, absque eo, quod in actum reducatur, in quo opere necessario exhalat, & dissipatur.

FRICTIO etiam, ut inquit Hyppocrat. lib. de Medici officina, si diutina sit carnes minuit, ex eo quod actuat calorem carnium ad dissipationem usque. Ad evitandam huiusmodi actuationem natura formavit respirationem, & traspirationem, attemperando namque partes calidas, quodadmodo reprimitur.

HÆC est nostra sententia, ex qua ut putamus facilius respondebimus ad plurimas difficultates, quæ se offerunt. Nam primæ opinioni dicimus, quod calor febrilis, quatenus immoderatus, etiam si de potentia reductus sit, præ-

ter-

ternaturam est, quia tendit in corruptionem nimiũ actuatus, quoniam dissipatur. Iuxta naturam enim ligatus est calor nativus exteris qualitatibus, & benè commixtus, dissolvitur autem dicto modo.

Ad argumenta asserentium manare à principio interno calorem febrilem, quatenus possint impugnare nostram conclusionem, facilis est responsio, quia manifeste probavimus posse generari in corpore causam corde calidiorem.

Svperest, ut aliqua argumenta Ludovici Mercati diluamus lib. suo de febribus, ait: Certissimum est apud omnes Philosophos nullam simplicem emanationem prodire in exitium eius à quo emanat, at calor febrilis est in exitium; ergo non est emanatio. Omitto responsionem in altera sententia, & respondeo negando emanationem, quia est actuatio facta à calore partium, quæ cum sint extrinsecæ cordi possunt exitium inferre, & ad illud disponere. Calor nativus absumit humidium substantificum, & disponitur ad interitum. Quo magis actuatur calor cordis magis pergit ad exitium, quia magis exhalat cum sua triplici substantia.

Deinde arguit, quia neque actiones ledit si à principio extrinseco procedit, & sequeretur cor naturaliter febrire. Sed dicimus, quod actiones ledit in quantum est maior, quam pro natura. Et ut nuper dicebamus, calor nativus per accidens disponit ad exitium, consumendo humidum. Cor naturaliter non febrit, sed habet calorem, qui si erumpat in actum, erit febrilis.

Tertio, si calor febrilis oriretur á principio interno, & illi esset naturalis, & non contra naturam, sequeretur non indigere curatione, neque si ea opus esset per contraria debere fieri; patet, quia in curatione per contraria, potius aufertur id quod naturale est iuxta dictam opinionẽ.

Respondetvr, quod caro supercrescens in vulnere,

pendet à principio intrinseco naturæ generantis carnem, & tamen morbosa est, & sui ablationem indicat.

CONFIRMANT præterea, quia constat febrilē calorem sæpius ab innato, quam ab externa frigiditate restingui, quod non fieret si oriretur ab interno. Huic argumento satisfaciemus adæquatè cum disputarimus utrum calor febrilis sit compositus ex naturali, & febrili. Interim tamē dicimus, quod ablata causa febrem conservante natura medijs facultatibus se reducit ad pristinam temperiem medio calore, qui quatenus moderatus, est secundum naturā ; iuvat attemperationem aer frigidus attractus per inspirationem, & transpirationem.

HÆC argumenta Mercati plus faciunt contra alios opinantes, quam contra nos, sed quia quodadmodo nos urgere possunt, ea proponimus, & respondemus.

QVARTO inquit hoc deliramentum ortum duxisse ex ignoratione eius beneficij, quod ex ventilatione aeris frigidi calor innatus suscepat; negat enim hic Auctor, per respirationem & pulsum detrahi aliquem gradum caloris, sed potius per ventilationem fieri, ne calor cordis intendatur, aut efervescat, quod ostendit, quia in refrigeratis, pulsus, & respiratio reperiuntur, & tamen in his perperam detraheretur gradus caloris.

RESPONDETVR, quod immerito negat corrumpi gradum caloris ab aere inspirato, nulla enim alia ratione potest fieri, ne calor intendatur, nisi detractione caloris, nam frigiditas aliud nescit nisi contraria calori, & illum corrumpere. Nam si remissum remittit intensum, qua ratione aer frigidus per inspirationem attractus non remittet? Remissio autem nulla fit, sine corruptione alicuius gradus contrariæ qualitatis. In refrigeratis, quamvis humores crudi, & frigidi vigeant in corpore cor intemperie laborat calida, quod refrigerari expostulat ; inditium est, quod in hoc calor febrilis solet exercere vicem nativi, quia concoquit humores crudos.

ALII

ALII etiam sic argumentantur, quia sequitur, non solum febrem dimanare à principio interno cordis, sed etiam quamlibet intemperiem calidam, sed hoc est falsum, ergo & illud ex quo sequitur; maior est certa, quia non est maior ratio cur febris oriatur à principio interno, non vero aliæ intemperies calidæ.

TOTVM conceditur argumento, nam in ira, quæ non ultimatur quoad calorē, quem producit, idest citra febrem excandescit cor, & augetur illius calor, qui nonnunquam quamvis non sit febrilis ledit actiones, atque subinde est præter naturam, & quædam intemperies calida,

SECVNDO arguunt, quia ex dicta opinione sequetur in febrium declinatione esse calorem intensiorem, quam in summo vigore, quod repugnat experientiæ. Probant sequelam, quia minor quantitas aëris refrigerantis, attrahitur in declinatione, quam in alio tempore, ut patet in pulsu, & respiratione. Respondetur, quoniam in declinatione est remissior calor ex absentia materiæ conservantis illum, minor quantitas aeris attrahitur per respirationem, & pulsum.

TERTIO, quia si febris esset calor cordi naturalis, sequeretur, hominem in primo instanti generationis laborare febre, quod est à ratione alienū. Probatur, quia quodlibet corpus naturale in primo instanti sui esse habet omnem dispositionem connaturalem in summo, & perfectiori gradu sibi debito, & sic in corde debet esse summa caloris latitudo, quæ illi est naturalis, & ita tunc temporis necessario febricitare dicendum est, quod rationi non videtur consentaneum.

CONFIRMANT, nam communiter dicitur ex eo calorem febrilem habere ortum à principio interno, quia aër per respirationem, & transpirationem attractus, non ita refrigerat cor sicut antea, quia ab humoribus, & fuliginibus ullis calfit, & non potest cōpescere cordis calorem.

Sed

Sed contra est, quia cum tales humores, & fuligines, in illa opinione sint minus calidi, quam cor ipsum non poterunt aerem calfacere ad præsentiam cordis agentis potetioris.

RESPONDETVR ad præcipuum argumentum, negando sequelam. Ad probationem concedimus antecedens, nam corpus in primo instanti habet omnem calorem, quem postea habiturum est, licet sit in potentia. Et ita Galenus 1. de elementis, ait. Cum volumus calfacere talem eligimus medicinam, in qua maior sit portio ignis, quam contrarij elementi. Actus vero caloris sensim, & paulatim secundum naturam debet pululare, & non subito in gradu intensiori, quam expediat, quia tunc est febris. Ad confirmationem dicimus, quod quando causa efficiens febrem magis calida, quam cor est, febris excitatur quoniam multo magis actuatur calor potentialis cordis à maiori calore. Causa vero etiam, si cor calidius sit, calfacere potest aerem inspiratum, & transpiratum, quia distat à corde, & ita non est in præsentia; tum etiam aer inspiratus nō pervenit ad cor frigidus actu, compescit vero illius calorem, quia remissum remittit intensum, quod si amplius calfiat, non erit remissum, nec remittet, quia quamvis aqua tepida calidissimam remittat, eam vero, quæ ut quinque calida est, non remittet quæ fuerit calida ut quatuor etiam si misceatur, vel satis parum.

QVARTO arguunt, quia sequitur non posse cor interire in febribus vi illarum, quia in omnibus dispositionibus naturalibus hoc reperitur, ut dispositiones formam consequentes potius conferant ad conservationem in materia, quam ad corruptionem. Respondemus negando sequelā. Ad probationem, quod dispositiones formæ sunt, quæ sensim actuant, non autem subito, & in intensionem immoderatam. Calor nativus sensim absumit humidum substantiale; cæterum si subito, & multum consumat, inducit marasmum, & mortem.

Po-

POSTREMO dixerit quispiam. In febre iam est actuata multa pars caloris: igitur non potest reduci de actu in potentiam; sed permanebit cor calidum, & non corrigetur febris. Respondemus, quod calor reductus de potentia in actum, non potest redire in potentiam rursus; non autem permanet, quia in reductione exhalat cum triplici substātia bona pars illius, reliqua atemperatur, tum aere inspirato & transpirato, tum à natura, modo quo explicabimus infra. Et ita post magnam febrem, quamvis hæc tollatur cor & partes, non ita vigoratæ restant sicut antea erant, sed plurimum amiserunt, quemadmodum omnes, qui etiam in sanitate quotidie infirmiores reddimur, & imbecilliores ad mortem usque.

EPILOGVS. Iugiter, & assiduò calor omnium partium, & cuiuscumque substantiæ actuat calorem cordis, usque ad mortem: pro naturæ tamen modo. Quando vero talis calor excedit, febris accenditur. Tum quia repente, & plurimum actuat (nam ætativa actuatio exigua est, & paulatina.) Tum quia impedit quo minus cor à respiratione, & transpiratione refrigeretur, quia aer inspiratus, & transpiratus ab illo calfit. Porro is calor remissior est cordis calore, nam quando intensior, omnibus his modis accendit febrem, & præter hos sua propria intensione.

SIT primum corollarium: Tantus est morbus febris, quod significetur in textu, nam ad illam curandam primū stetit Iesus, & postea imperavit febri. Stare est vacare principem patrocinio subditorum. Cicero de clar. orato. Nemo à senatu, & á bonorum causa stetit constantius. Antiquum erat axioma.

Oportet imperatorem stantem mori.

Danielis 12. legitur. In tempore autem illo consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui. Hoc est defendit illos. Absalon 2. Reg. 15. ambiens regnum patris dicitur quod stabat iuxta introitum portæ in via, & om-

omnem virum, qui habebat negotium vocabat. Et Esaiæ cap. 3. Stat ad iudicandum Dominus. Esaiæ 47. Stent, & & salvent te augeres cęli qui contemplabātur sydera. Igitur stare magnam habet energiam, & significat dominiū, & principatum ad patrocinandum. Stetit ergo Iesus deinde vero imperavit febri, & dimissit illam in hoc significatur gravitas morbi. Nam in alijs egritudinis imperabat egrotanti, ut quando dixit paralitico tolle garbatum tuū & ambala in alijs dumtaxat volens curare, ut quando dixit volo mundare, in alijs ut Lucæ 4. manus imponēs curabat eos. in nostro vero textu imperavit febri

SECVNDVM corollarium. Etiam verba, & dimissit eam coherent cum supradicta doctrina. Nam quia calor febrilis oritur à principio intrinseco quatenus calor cordis, qui est potentialis actuatur magis quam opportet proinde ita est radicata febris, ut tenere videatur egrotantem, & illum dimittat si curanda est. Morbus fuit exactissimè curatus, ut à fonte, & principio æterno salutis sine convalescentia; dicitur enim in textu, quod continuo surgens ministrabat illis.

TERTIVM corollariū. Ait textus, quod tenebatur magnis febribus; non febre in singulari. Quod quidem est intelligendum; vel quod haberet febrem complicatam: vel per magnas febres sint intelligendæ accessiones. Et hoc forsam probabilius, quia etiam si complicentur febres ut quotidiana, & tertiana in rigore una febris coalescit nam in corde unicus est calor in individuo nullatenus in se diversificatus, & per inde est dicere magnis febribus; ac magnis accessionibus, nam, & communiter dicitur: *Fulano tiene grandes calenturas*. Atque etiam videtur curata socrus Simonis vespere cum omnes morbi solent exacerbari, & quando accessiones solent corripere: statim enim postquā fuit curata habet textus: Cum autem sol occidisset omnes qui habebant infirmos varijs langoribus ducebant illos ad

eum.

cum. Moses in Pathologia cap. 44. tenet hanc febrem qua laboravit socrus Simonis fuisse hecticam, quod conforme non est Galeno: tertio enim de præsagatione expulsibus cap. 4. expresse dicit, quod nulla febris hectica magna est. Sacra vero pagina, ait, quod laboravit magnis febribus.

CAPVT LVIII.

Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis Deus, qui fecit mũdum, & omnia quæ in eo sunt. Hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis Templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo cũ ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. Actuum Apostol. 17. *cap.*



IDETVR, Quod unum, & idem sint vita, & inspiratio; nam ut ait Galenus, impossibile est viventem non respirare, & respirantem non vivere; atque ita ad invicem convertuntur, ut vita consistat in respiratione, & respiratio sit actio vitalis. Cur ergo dicit textus, quod Dominus det omnibus vitam, & inspirationem, quasi duo sint dona? Certè divinus auctor profundius quid insinuare voluit, neque enim frustra sunt verba, nec virgulæ in sacra scriptura.

VT hic locus illustretur necessarium est disquirere, utrum vita incipiat ab expiratione, vel ab inspiratione: nam respiratio motus quidam est complexus, & conflatus ex inspiratione, & expiratione; ille est motus foris intro hic vero intus foras.

ARISTOTELES lib. de morte & vita opinatur, quod inceperit natura à dilatatione. Et probat sic, quia in morientibus postremus motus est compressio, & expiratio; ergo post primum instans nostræ naturæ prima operatio fuit dilatatio, & inspiratio propter legem contrariorum. Hoc argumentum non immeritò fallax censetur; & consequentia falsa, quia poterit aliquis dicere, quod illa ultima compressio non est motus factus ab anima, sed purus descensus membrorum à propria gravitate, quæ sola operatur post illud instans mortis. Præterea nullam habet connexionem necessariam (licet concedamus ultimo fieri compressionem) hæc consequentia; compressio fuit ultima, ergo dilatatio fuit prima. Quia non benè sequitur: in ultima parte vitæ fuit maior necessitas expellendarum fuliginum; ergo in prima parte vitæ fuit maior necessitas attractionis aëris. Præsertim cum posset fieri ratio efficacissima ad probandum non esse maiorem rationem de uno quam de alio. Anima enim desserit cor cum accedit dispositio sub qua non potest esse, & immediatè ante illam poterat esse. Sed sic est, quod in tempore immediato ante hoc instans non potest constare cuius motus sit maior necessitas, quoniam accedente dispositione ultima corruptiva, ita poterit corrumpi animal, sive immediatè ante indigeret dilatatione, sive indigeret compressione. Ergo non est maior ratio, quare unus motus sit ultimus, & alter non.

HANC sententiam sequitur Sanctacruz lib. de Hyppocratica philosophia tex. 42. licet impugnaverit argumentũ Aristotelis. Et probat; nam incipit natura ab attractione, quia cum tota ratio existentiæ animæ in corpore pendeat materialiter, ex certa ignis & aquę commensuratione, & hæc facile obsolescat, nisi adventu similis cõservetur, hinc est ut (reliquis oblitis) attractionem prius agrediatur natura, quod declarat textus Hyppocrates prædictus 42. lib.

lib de dieta, ubi scribitur loquendo de semine: movetur ab igne, motum vivificatur, & alimentum attrahit, ab ingredientibus in mulierem cibis, & spiritu. Et sic ait Sanctacruz, prior fuit dilatatio quã compressio, & inspiratio cordis quam expiratio.

SECVNDO probat, quia generatio spiritus tam essentialem partem habet in causa finali pulsus, ut propter illam reparandam, non quascunque differentias efficiat natura, sed laboriosas admodum, ita ut pulsum maximũ postremo apponat connatu. Sed sic est, quod post illud instans generationis maior se offert necessitas generãdi spiritus vitales, & animales; ergo propter hũc finem incipiet prius natura á dilatatione.

D. Moles in philosophia naturali Sacrosancti Corporis Christi, dubio 3. Hanc difficultatem ex professo disputat, & tenet primum cordis motum omnium viventium non esse determinaté dilatationem, vel compressionem, sed in aliquibus esse dilatationem, in alijs compressionem. Probat nam uterque motus est secundum naturam pro fine pulsus consequendo. Ergo in animali in quo post primum instans instabit finis compressionis, erit primus compressionis motus, sicuti in illo in quo finis dilatationis dilatatio. Nihil enim mirum, quod natura in aliquibus animalibus prius cor moveri per dilatationem incipiat, in alijs per compressionem; quia ex præsuposita mixtione, resultant excrementa ratione quorum, cor alicuius animalis non indigeat in primo motu dilatatione, sed compressione perfici incipiat, vel ita existat alterius animalis cordis caliditas intensa, ut nullum existat excrementum, quod ante primum motum calor elementalis illius mixti non resolverit, aut consumpserit. Constat enim nam si alicui contingat sincopale accidens à causa suffocante factum, (casu posito, quod tũc moveri inciperet) certum est, quod

á compressione initium deberet sumere, ut media ipsa nociva & suffocans materia pellatur. Et econtra si syncopale accidens à resolvente causaretur causa; à dilatatione suum inciperet facultas vitalis cordis facere motum, ut intemperies exolvens calida melius succurratur. Ergo id ipsum contingere est existimandum in primo cordis motu Et hoc non solum verificatur in animalibus diversæ speciei, sed adhuc in illis, quæ sunt eiusdem speciei ut homo: nam hominum temperaturæ sunt quam valdè diversæ pro diversitate mixtionis elementorum, quorum in aliquibus prædominatur ignis, in alijs aqua, ut ex redundantia humoris, celeritate, vel pigritia actionũ colligitur.

SED hic auctor dubiam adhuc relinquit controversiam, & nihil enodare videtur, quoniam ipsa non loquitur, de vivente in statu præternaturam, & morboso existente, nam status morbosus pervertit ordinem naturæ. Sed de vivente secundum naturam exordiente vitæ cursum; nec quærimus de eo, quod aliter potest contingere aliquando. Sed regulariter loquendo, & ut plurimum aquo motu exordiatur natura an à dilatatione an à compressione.

GENTILIS lib. 3. Aviconæ fen. 10. tractat. 10. cap. 7. dubio 6. existimat prius naturam à compressione initium sumere, nam quod noxium est potest vitales actiones perturbare, vel impedire; ergo prima naturæ actio debet esse illa, quæ excrementitium, & noxium expellit: & ex consequenti primus cordis motus erit compressio; nam media illa noxium illud fuliginosum, & excrementitium ebullitione elevatum pellitur. Secundo, quia si cor prius indiguit dilatatione erit, quia esset in ipso aliquis calor præternaturam, ratione cuius refrigeratione media dilatatione indigeret. Sed in illo primo instanti non fuit productum cor cum dispositione præternaturam;

er-

ergo non fuit necessaria dilatatio. Restat igitur, quod sit primus motus compressio.

Hic est status controversiæ, & hucusque perventum est recentiorum disputationibus. Expendamus utrum ulterior progressus sit possibilis. Omnes huiusmodi sententiæ sunt de veritate suspectæ interim dum non cõstet, utrum cor fœtus moveatur in utero. Si enim non movetur nulla opinio istarum vera est: Et frustra quærunt recẽtiores an cor in primo instanti sui esse fuerit productum, vel cum urgentia fuliginum, vel caloris, ac subinde urgeat dilatatio, vel compressio si in toto gestationis tempore nõ movetur. In quo casu aliter accipiendus est status controversiæ, & dubitari potest; an edito in lucem fœtu, quando cor incipit moveri utrum exordiatur à dilatatione, vel à compressione.

PROBABILIVS est in fœtu vitalem hanc facultatem non lucere, nec moveri cor propria, & insita virtute, nihilo tamen minus vivere ipsum. Probatur primo. Movetur cor ut vitales gignat spiritus, eosque è sinistro suo specu tanquam è perenni fonte, in arteriæ magnæ canales dispergat, quo caducus singularum partium status simuletur. Hæc incessantis illius motus est necessitas hæc causa finalis. At in ventriculis cordis nulla fit vitalium spirituum generatio, nec à corde infantis vitalis spiritus corrivatur; nullus est ergo cordis motus in fœtu. Maior propositio clarissima est; certum est enim per diastolem utranque spiritus materiam, aërem, & sanguinem in cor trahi; aërem per arteriam venosam in sinistrum ventriculum, sanguinem per venam cavam in dextrum, per systolẽ vero, & expurgari fumosos vapores, spirituum recrementa, & pelli vitalem spiritum in arteriæ canales, & aquæductus. Minor propositio probatur. Vitalis spiritus ex aëre, & sanguine simul mixtis generatur. Vtraque materia antequã perveniat ad sinistrũ cordis sinũ præ

paratione indiget. Aër in pulmonis substantia cõvenienti mora connaturalem qualitatem futuro spiritui acquirit; sanguis vero in dextro sinu præparatur. In fœtu nec aër copiosus in pulmones fertur oriatur enim arteria aspera, nec sanguis in dextrum sinum effunditur, ergo deficit officina. Quod aër,& sanguis in cordis ventriculos non ferantur, vasorum structura in fœtu declarat: uniũtur enim vasa illa, vena quidem,& arteria venosa per foramen amplissimum; arteria magna, & vena arteriosa per canalem arteriosum. Itaque vena cava non in dextrum sinum, ut nobis iam editis, sanguinem effundit, sed in arteriam venosam per foramen illud ad pulmonis nutritionem. Arteria venosa non aërem, sed sanguinem defert eũque crassum: arteria magna non á corde spiritum haurit, sed ab arterijs umbilicalibus, quę per canalem interiectum, in venam arteriosam effundit. Quod si vitalis spiritus in sinistro cordis ventriculo generationem haberet, quid eo canali opus esset cum patentissimum adsit in corde vas per totam pulmonum carnem sparsum, arteriam nempé venenosam? Hoc argumentum est palpabile, quia pandet ex anatome, ut doctissimè demonstrat Andreas Laurentius, cui in hac parte lucem debemus,& doctrinam.

DEINDE nulla in fœtu communis illius spirituũ officinæ est necessitas; sanguinem enim arteriosum, & cum eo vitales spiritus uberes, ac purissimos geminæ suppeditant umbilicales arteriæ. Respondebis inutilẽ esse arteriosum cum matris sanguinem, & minus ad fœtus vitalitatem idoneum propterea nova cordis coctione indigere. Sed debent ostendi viæ per quas arteriosus ille sanguis in lævum cordis sinum transmitti queat. Hoc satis superque ex dicta anatome demonstratione matematica ostenditur. Vivit itaque cor fœtus propria vita, sed nec novos gignit spiritus, nec motu cordis utitur. Non tamen propterea otiosum dici debet, quia otiosum est, id quod cum debet

bet

bet aut poteſt agere, non agit. Cor fœtus nec debet, nec poteſt novos vitales ſpiritus conficere. Non debet, quia puriſsimum,& copioſiſsimum geminæ ſuppeditant umbilicales arteriæ. Non poteſt defectu materiæ, aërem enim non habet quem trahat. Vt ergo nec generatio chyli, nec ſanguinis cognoſcitur in fœtu, ubi enim chyloſis,& ſanguificationis recrementa per novem menſes aſſervarentur? ita nec novam vitalium ſpirituum officinã in embrij corde admittimus.

CONSEQVENTER etiam neque debet reſpirare fœtus in utero neque poteſt. Non debet, quia vitalis facultas in ſanguineis, & calidiſsimis animalibus duobus indiget ad ſui converſationem reſpiratione,& pulſu. Exanguia vero, & imperfecta, & quæ parum habent caloris ſola arteriarum tranſpiratione contenta vivũt. Sic animalia quæ per hiemem in latibulis degunt tranſpirant non reſpirant. Fœtus quia parum habet caloris, eſt quæ in utero ante diem partus, velut imperfectum animal ſola tranſpiratione cõtentus eſt, itaque ſpiritum per os non ducit, neque thoracis,& pulmonum opera utitur. Quin etiam ſolius cordis gratia inſtituitur reſpiratio, ut ſcilicet aëre quaſi flabello quodam refrigeretur, expurgetur,& reficiatur ſpirituoſa ſubſtantia, quæ in ſiniſtro cordis ſpecu fervidiſsimo, & æſtuante ſtabulatur; at nulla fit vitalium ſpirituum generation in fœtu, ut probavimus. Non ergo reſpirat fœtus, quia non debet.

SED neq; etiam, id poteſt nã materno concluſus utero, & membranis circum ſeptus, ſi ore aperto ſpiritum duceret, cum aëre aquas quibus innatat, ſimul traheret,& primo hauſtu haud dubie ita ſuffocaretur, ut qui in fluvium demerſi obrui ſolent. Præter id, quod aërem non habet, quem ore trahat infantulus; nullum enim in utero ſpatium eſt, quod non impleat; uteri vero oſculum interius, ita conivet, ut ne flatum quidem admittat. Non

respirat, ergo in utero fœtus quia nec debet nec potest.

IGITVR frustra quęrũt recentiores an cor in primo in stãti sui esse fuerit productum, vel cum urgentia fuliginũ, vel caloris, ac subinde urgeat dilatatio, vel compressio. Nihilominus tamen mutari potest status controversię, & dubitare utrum edito in lucem fœtu exerceatur prius dilatatio quam compressio, aut econtra.

PRO veritate notandum primo, quod fœtus in utero, ut diximus sola transpiratione satisfit arteriarum. Sed dices si arteriæ fętus movẽtur; ergo & cor, quia arteriarum motus à corde procedit, sunt enim arteriæ cordi continuę ergo cum motu cordis necessario vitalis illa facultas spirituum procreatrix in embrio admittenda. Moventur quidem arteriæ, fœtus, sed motus ab arterijs maternis manat, ut pulsent arteriæ, non propria & vitali vi, vel facultate à corde fœtus manante, sed vi à corde, & arterijs maternis transmissa: Certum est nanque venas, & arterias uteri venis, & arterijs chorij sic hærere, ut ex illis in his uterque sanguis, & venosus, & arteriosus transfluat. Hanc vasorum symphisim, & continuitatem sæpè Galenus declaravit nam libr. de disectione uteri: Vasi inquit, quod in chorio est principium dat finis illius, quod per uterum propagatur, ut duo hæc unum dicere possis. Osculis enim ita uniuntur, ut vena à vena sanguinem, arteria ab arteria spirituum hauriat. Hoc si verum est in arterijs sic se osculantibus necesse est, ut finalis pars arteriæ matris uterinæ pulsantis impellat in contiguam illi arteriæ chorij partem sanguinem arteriosum, alioqui is arteriosus sanguis, vel retrocederet in uterũ, unde fluxit; vel duorum corporum fieret simul, & semel, uno circumscriptivè loco, & tempore confusorum, & se mutuo per tota transpenetrãtium conculcatio. Vnde fit, ut concessa diastolica dilatatione systolicam quoque compresionem cõcedi oporteat. Constat etiam experimento notissimo, quod mota una

par-

parte continui movetur totum nisi quid impediat. Arteriæ fœtus arterijs maternis continuæ sunt; ergo dum dilatantur arteriæ matris, necesse est chorij arterias dilatari. Et si vis illa pulsatilis á corde embrij manaret, & à sinistro cordis ventriculo vitalis spiritus qui perpetuò comitatur arteriosum sanguinem, in arterias fœtus influeret, misceretur continuo arteriosus matris sanguis cum arterioso sanguine fœtus: & in arterijs fœtus, duplex esset motus alter a corde embrij, alter ab arterijs maternis qui sibi nō responderent.

GALENVS obijci nobis potest. Verumtamen varius est in hac re, nam libr. 6. de usu part. cap. 21. & libr. de formatione fœtus nostram sententiam insinuare videtur, nam fœtum, ait vivere more plantæ, ideoque nec cordis, nec cerebri actione egere, ut nec aurium, nec oculorū. Contrariam sententiam tueri videtur 7. de usu part. cap. 22. & lib. 6. cap. 21. & tandem lib. de fœtus formatione cap. 9. & alijs in locis.

DICVNT etiam, quod cor viscus omnium calidissimum ac veluti focus ignis, si motu privetur non habebit unde refrigeretur, neque enim ex transpiratione id assequetur cum sit circumscriptus calido, & angusto loco. Neque ex maternis arterijs cordi fœtus aliqua accedit refrigeratio, novæ materiæ aut spiritus accessione; nihil enim ab arterij fœtus potest in ipsius cor infleere propter membranulas, quæ aortæ osculo incumbunt. Respondetur fętum in uteri conceptaculo contentum, eorum animalium modo, quæ imperfecta dicuntur habere satis subsidij ad vitam tuendam ex maternis arterijs: Deinde cum aquis innatet eorum tēpore aliquantulum refrigeratur.

TANDEM addunt plurimos ex matre mortua excēctos incolumes ut Scipionem, & Manilium. Respondetur, quod vitalis vis per arterias omnes diffusa, etiam citra

cor-

cordis communionem poteſt ad alicuius licet exigui temporis prædicationem ſe ipſam conſervare. Vidimus, ait Galēnus 2. de placitis victimam avulſo corde ambulaſe, quod nos in cane ſæpè ſummus experti. Quid ſi dicatur matres eas pro mortuis elatas fuiſſe, quæ tamen adhuc vivebant?

SECVNDO eſt notandum, quod dilatatio adæquata, & compreſsio adinvicem terminant, & terminantur, ita ut terminus aquo dilatationis ſit terminus ad quem compreſsionis, & econtra terminus aquo compreſsionis ſit terminus ad quē dilatationis. Ex quo fit ut regulariter loquendo ſi adæquate ſumantur iſtæ actiones neutra poſsit dici prior altera in vitæ primordio. Minimè dilatatio, quia non dilatatur, niſi quod prius compreſſum eſt: neque cōpreſsio, quia non comprimitur, niſi quod prius erat dilatatum; & ut diximus, terminus aquo dilatationis, eſt terminus ad quem compreſsionis, ſicuti terminus à quo cōpreſſionis terminus ad quem dilatationis.

TERTIO eſt notandum, quod liberiori aere frui deſiderans fœtus iam maturatus rumpit membranas calcitratu, & eodem motu rumpit, etiam unionem illam penes quam arteriæ fœtus continuæ ſunt cum arterijs maternis. His ſuppoſitis,

EXISTIMAMVS primam actionem vitalem quam exercet, fœtus, eſſe compreſsionem ſi loquamur de inadæquata, & imperfecta compreſsione. Duas habet partes concluſio. Probatur prima pars, nempè quod compreſsio ſit prima actio vitalis. Certum eſt nanque, quod fœtus rumpit ſymphiſim illam, ſeu unionē quam habent arteriæ fœtus cū arterijs matris violēta voluntaria cōpreſsione quando conatur ſeparari à membranis, & ab arterijs matris. Dein de rupta unione, hoc habet proprium omne corpus mēbranoſum, & nervoſum, ut quando ſolvitur à tenſione quam habet contrahat veluti corrugationem, & compreſ-

ſio-

sionem; atque ita arteria sequens talem motus inclinatio-nem naturalem efficit primam compressionem.

SECVNDA pars conclusionis patet ex dictis nam talis cō pressio, imperfecta est, & inadæquata, quia non præcessit vitalis dilatatio cuius terminus ad quē est terminus aquo compressionis, ut dictū est. Dices, esto quod concedatur, arterias dicto modo moveri, quid hoc habet cū corde, cuius gratia celebratur respiratio, quod etiā viscus non accipit vim motus ab arterijs, sed potius arteriæ ab ipso. Controversia vero præcipuè versatur, circa respirationem, & motum cordis primum an sit dilatatio an vero compressio. Respondetur, quod ab arterijs debemus exordium motus venari extra uterum, quoniam ipsæ intra uterum moventur saltem ad motum arteriarum matris, cor vero, ut vidimus quiescit eo tempore. Quin etiam edito animali in lucem secundum probabiliorem sententiam arteriæ, & cor identificantur in armonia motus, ita ut quando cor dilatatur, dilatentur etiam arteriæ, & comprimantur, quando cor etiam comprimitur. Præter id, quod cor intime est unitum cum arteria magna, ac proinde motis arterijs maternis, movetur arteria magna fœtus, ea vero mota, etiam cor fœtus nō vitaliter sequitur eius motū. Igitur tempore partus rumpuntur membranæ, & simul etiam unio illa arteriarum cum arterijs, ad quam ruptionem veluti contrahuntur arteriæ fœtus, & ad talem imperfectam compressionem, quodadmodo cor etiam fœtus comprimitur. Ex quibus elicitur, quod sequens motus vitalis, & adæquatus sit dilatatio tam cordis quam arteriarum, quia terminus talis compressionis imperfectæ, & inadæquatæ, qui dicitur ad quem, erit aquo subsequentis dilatationis vitalis, adæquatæ, & perfectæ.

DICES præterea; ruptio membranarum, & unionis fit in utero, sed diximus, quod in utero non potest, nec debet fœtus respirare; ergo ibi nec dilatatur cor nec respirat

fœtus. Dicimus quam primum rumpit membranas fœtus potest quodadmodo respirare, nam aquæ quibus innatat, non amplius continentur, sed effluunt; atque ita amplius iam etiam si aliquantulum respiret: nõ suffocabitur. Deinde necessitas partus nascitur ex eo, quod fœtus qui hactenus sola transpiratione contentus erat, iam illa non satiatur, sed liberiorem aërem optans egressum desiderat, quo circa calcitratu rumpit omnem illam unionem, & exire conatur; igitur si loquamur de adęquata, & vitali compressione, aut dilatatione, in hoc tempore partus prior est dilatatio quam compressio.

Hoc modo possunt interpretari rationes, & authoritates in principio allatas, quæ hac modificatione veritatem sortiuntur, & non aliàs. Hyppocrates lib. de dieta loco supra allato, ubi loquitur de semine, & ait movetur ab igne, motum vivificatur; & alimentum attrahit ab ingredientibus in mulierem cibis, & spiritu: nostram magis sententiam insinuat: nam in utero vivificatur semen, & movetur, atque alimentum attrahit ab ingredientibus in mulierem cibis, & spiritu. Hoc enim significat, quod alimentum, & cibos accipit fœtus á matre. Per spiritum, & possumus intelligere spiritus vitales, quos accipit fœtus per arterias à matre; & aërem etiam quem attrahit fœtus tẽpore quo rumpit membranas, ille enim ingreditur in mulierem quẽ attrahit eo tempore.

SIT primum corollarium. Ex textu etiam colligitur, id quod dictum est, nempè fœtum in utero vivere more plãtæ, & tanquam animal imperfectum sine respiratione cum sola transpiratione; non enim sanguinem conficit, neque chylum, sed dumtaxat tertiam solam coctionem celebrat, quæ consistit in sola vegetabili nutritione. Quod significare videntur verba nostri textus; dicit enim cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem; prius dicit dare vitã postea inspirationem. Nam homini existenti in utero mater

no prius dat vitam sine inspiratione, quia vivit sine illa, ut vidimus, postea vero cum in lucem exit dat illi inspirationem. Et in hoc quoque verbo comprobantur ea, quæ etiã dicta sunt; monstravimus enim, quod licet præcedat aliqua compressio inadæquata & imperfecta, exorditur vitã animal prius ab inspiratione quam ab expiratione.

SECVNDVM corollarium. Respiratio non solum est magnum Dei donum in quantum est ipsa vita, sed in quãtum includit modum quendam mirabilem à paucis animadversum, in quo elucet maxima Dei providentia. omnes enim actiones & motus hominis fatigant, & virtutem exhauriunt, ut deambulatio, cursus, manuum, & brachiorum motio, locutio, manducatio, & cætera. Sola respiratio etiam si consistat in motu musculorum, & sit adeo iugis, & continua, ut cessare non possit sine morte, & duret quandiu vita non fatigat. Imò potius cum lassus aliquis quiescit ab alijs motibus imoderatis, solet quodadmodo recreari sola respiratione, aliquando valida, & repetita. Omnes sensus præter unum olfactum fatigantur in suis actionibus, quamvis sentire sit quodam pati, ut ait Aristoteles. Visus in longa, & diuturna visione solet fatigari, & quamvis delectetur in pulchris obiectis, & iucundis coloribus solet etiam in his fastidium invenire, & recreari clausis oculis. Auditus in continua auditione etiam fatigatur; non solum sonorum gravium, seu acutorum, verum etiam in auditione prolixa soni iucundi, ut musicæ. Gustus lassatur in longa gustatione etiam saporum delectabilium. Tandem tactus in omni operatione sua peculiari, sive his, quæ ad venerem spectant, sive ad simplicem contactum fatigatur. Olfactus vero non fatigatur multi enim sine fatigatione bonis odoribus circumdati longam vitam degunt. Discriminen vero huius sensus ab alijs est in eo, quod olfactio est cũ respiratione à qua lassitudinem abstulit Deus.

VLTIMVM corollarium. Estne philosophandum circa supradicta eodem modo in Christo Domino nostro? Christus Dominus fuit perfectus Deus perfectus homo,& hoc quod est pendere à matre sacratissima,tam in nutritione intra uterum, quam in lactatione extra illum, insuper & in unione arteriarum cum arterijs providit pientissimus. Verumtamen quamvis leges communes in partu sunt, ut diximus, quod rumpat infantulus calcitratu mẽbranas, & unionem illam cum matre; aliter contigit in Christo Domino in quo nexus ille suavissimè fuit solutus sine calcitratu,& violentia,quia partus fuit sine dolore & cum omni virginea serenitate.

CAPVT LIX.

ET *si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra sive gloriatur unũ membrum congaudent omnia mẽbra.* Paulus 1. Corinthiorum 12.



TRANSFERT D. Paulus, quod accidit in corpore humano ad id, quod accidit in corpore Christi mystico. Nam quemadmodum in corpore humano dolorem quẽ patitur una pars corporis, aliæ partes corporis veluti persentiscunt: ita accidit in corpore mystico,nam si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra. Sed in hoc magna latet controversia ex cuius enodatione textus magis illustrabitur. Nimirum qua ratione verum sit quod dolore affecta una particula omnes aliæ condolentiam persentiscant. Nam etiam si verum sit, quod causa dolorifica,& tristis sensatio reperiatur in una parte, non

etiam

etiam consequenter aliæ partes dolorem patiuntur, quia possunt esse immunes à causa dolorifica, & omnino sanæ existere ut constat experientia.

TOTA quæstionis solutio pendet ex alia utrum, & quo modo dolor attrahat. Nam cum videant physici, quod ad partem dolentem concitentur fluxiones colligunt alias partes corporis ad illam transmittere sanguinem, & spiritum atque ita condolentiam persentire quandoquidem ei auxiliantur. Igitur immorabimur in controversia de doloris tractione, ex cuius explicatione illustrabitur textus, ut ostendetur in corollarijs.

QVOD vero dolor attrahat monstrat experientia, & docet Galenus in arte Medicinali ubi scribit. Nam si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter evacuabimus plus ratione excitati doloris attrahemus. Secundo de diff. febr. cap. 11. Vehementiores siquidem calores atque dolores attrahunt vehementius minus autem debiliores. Et lib. de curatione per sanguinis missionẽ Quippè cum dolor sanguinem ad se trahat.

VERVM enimvero affirmandum est dolorem per se propriè nullo modo trahere, sed impropriè, & per accidẽs. Nam dum Galenus rem attingit exactius, & loqui studet accuratius omnem dolorem fluxiones commovere scribit, & nihil magis quam profluvia lacessere, & incitare inflammationesque augere, nec non inflammata exacuere & irritare, fluxionibusque occasionem præbere, lib. 5. met. cap. 4. air. vitandum enim ne dolor incidat, ac rursus profluvium exciret, cum nihil sit, quod profluviũ magis quam dolor proritet, & phlegmones augeat, lib. 5. aph. com. 23. cum partes dolentes semper ad se ipsas moveant fluxiones. Eodem lib. comm. 66. Hoc in illis præsertim fieri vulneribus est existimandum in quibus adest quidẽ dolor, & propter ipsum omnino aliquid influit, sed à medicis reprimitur valde infrigidantibus, aut adstringentibus

medicamenti: nam si dolor absit, neque fluxio movetur. Primo de symp. med. facul. agens de aceto. Possit etiam cum asperum molestumque habeat transitum dolorem inde ciere atque eum in locum calidam elicere fluxionem si quidem id palam est partibus dolentibus quippiam influere Et lib. 1. de comp. med. per genera cap. 4. At qui omnis dolor inflammata exacuit irritatque, & fluxionibus occasionem præbet, quamvis reumatica intemperie eger non afficiatur. Atque ut hæc sit summa 13. meth. medendi. At vero, quæ dolent cernuntur ea quoque phlegmonem ex dolore pati. Sed causam eius quidam omnino non assignant; quidam nullo modo probabilem. Nostra vero sententia talis est. Docuimus in eo opere, quod de facult. nat. edidimus, unam esse facultatem naturæ quam excretoriam dicimus. Ea suo munere tum fungitur, cum triste aliquid sentit. Vnum vero quidam ex his, quæ eam contristant, ipsa, quæ dolorem excitat causa quæcunque sit. Hanc igitur eijcere dum properat phlegmonem interdum in particula concitat. Cum enim primis suis conatibus nihil profecit vehementius aggressa, quod infestat expellere sanguis, & aliquid spiritus ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Atq; hinc fit, quod ex dolore particula proportione confluentis in eam humoris in tumorem attollitur. Hactenus Galenus.

Ex quibus omnibus locis Galeni colligitur dolorem nõ attrahere, sed partes, quæ circumiacent ad mittendum instigare. Cum enim partium omnium vis suapte natura ad expellendum id, quod eas irritat insurgat fit ut particulæ superpositæ, ac præsertim proximæ dolentem versus se comprimant, sanguinemque, & spiritum in illam immittant.

PROBATVR primo hęc sententia, quoniam in dolore reperiuntur molesta sensatio, appetitus, solutio continui, vel intemperies, & obiectum; sed nihil horum trahit; ergo

po-

dolor non attrahit. Primum non attrahit sensatio vel appetitus in quibus videtur consistere dolor quoniam actiones sunt, quæ agere vel attrahere nequeunt. Neque solutio continui, quia motus est, qui nunquam est movens, sed actus eius quod movetur; igitur non trahit. Neque intemperies, frigiditas enim non attrahit sed pellit, calorem vero per se non attrahere alibi monstratur. Tandem neque obiectum, quod vel est prima qualitas, vel secunda, quas non attrahere planè constat.

SECVNDO probatur dolorem non attrahere: Quandoquidem attractionis causæ communiter constituuntur, substantiæ familiaritas, & calor, sed harum nulla interest dolori, hunc igitur longissimè ab attractione esse, dubitationem nullam habet.

IN magno tamen discrimine laboramus cum inquirimus, cur ex dolore commoveantur fluxiones. Christophorus Vega, Mercatus, & alij arbitrantur dolorem animalem facultatem excitare, quæ suis instrumentis usa, ea ad dolentem partem, ut ei auxieletur mittit. Quod probant tum Galeni verbis 5. aphorism. scriptis, comment. 53. cum docet naturam duobus veluti instrumentis sanguine, & spiritu causam doloris per vim expellere, & hac ratione dolentibus partibus inflāmationes advenire. Tum etiam adductis 13. methco. 3. ubi asseruit unam esse naturæ facultatem quam excretoriam dicimus, quæ cum triste aliquid sentit, ac eijcere dum properat, & sanguinis aliquidque spiritus, in afflictam partem exprimit, inflammationem concitat. Ex quibus dolore commoveri animalem facultatem concludunt; atque hanc uti sanguine, & spiritu tanquam instrumentis adversus causam doloris: cum vero hæc ad partem afflictam excernere conna tur sua uti excretoria facultate mediante compressione fibrarum musculorum, & nervorum. Et cum dixit naturæ facultatem intelligendam cenlent, nostræ naturæ non na-

turalem, ut ab animali distinguitur, quam cum triste aliquid sentire addidit, animalem esse cõfirmat, quia naturales facultates non sentiunt.

SED hæc opinio constare non potest. Nam facultas animalis motrix sua sponte operatur cognitione præcedente, atque in nobis potest antecedere actio liberę voluntatis, iam si fluxio fieret ope facultatis animalis mediis musculis cum nostra facultas hunc motum possit cohibere, caderet etiam in nostram facultatem, seu potestatem fluxiones reprimere, & coercere, quod repugnat experientiæ, ut patet.

PRÆTEREA impossibile videtur persuasu sanguinem, & spiritum à facultate partibus dolentibus in suppetias venire. Etenim quod morbum adauget, & exasperat tensionem facit maiorem, phlogosim magis accendit, omnique ex parte intensiorem dolorem excitat, dolenti parti aliquid opis præstare non potest. Sed sanguis, & spiritus, qui à facultate mittuntur; tot detrimenta inferunt parti laboranti; ergo credendum non est facultatẽ illam parti, quæ incipit inflammari se adiutricem adhibere ad depellendum.

DEINDE si fluxio parti affectæ subsidio iret, medici per initia morborum, defluentium materierum impetum nunquam propulsarent: videmus in principijs inflammationum, medicos omnes conatu studioque magno contendere, ut fluentes humores regrediantur, & repellãtur, plurimis igitur malis vexatur pars dolens fluxionis causa, ut dicendum non sit, naturæ facultatem illi præsidium ferre.

DICET tamen aliquis nostri corporis partes nulla uti ratione, tamen naturæ quodam instinctu afflatuque aliæ alijs prodesse student. Fatemur tamen nos naturam sic partes omnes instruxisse, ut cum nulla ratione utantur, tamen videantur omnia ratione quadam efficere.

Ve-

Verumtamen nulla illis ex hac fluxione oritur commoditas, quin potius aperta pernities; ergo non eo mittuntur humores, ut dolenti parti auxilium ferant, quod non modo frustra, sed etiam temere id natura instituisset.

Si dixeris ulterius in defensionem talis adiutorij partium, adhuc interrogo. Cur facultas ad partem dolētē plus quam quantum liceat mittit, si ut auxilio sit, emittit? Si quod & quantum opus est parti ad expellendum mitteret sine dubio iuvaret: at nunc gravissimé lędit.

Nec placet si dixeris facultatem sine intelligētia, & cognitione mittere, atq; ideo plus quam opportet emittere. Quoniam sicut sine cognitione, ac solo naturali instinctu mittit cum necesse est, ita posset, ac deberet cessare, & conquiescere cū opus non est, veluti feriatur, & nihil agit cum abest dolor. Quare huiusmodi autores non benè constituunt hanc facultatem animalem, atque eandem mittere, ut auxilietur, nam in utroque defecit dicta opinio.

Vallesius septimo controversiarum cap. 3. & Rosellus in libr. Galen. de caus. morborum cap. 6. q. 23. scribunt: hanc fluxionem potius excitari á facultate naturali expultrice. Vnde quum aliqua pars afficitur dolorosa sensatione partes viccinæ irritatę cæco impetu ad dolorem expellendum insurgunt, non quidem ad ferendum suppetias. Quapropter vehementer cōprimuntur seq; recipiunt quemadmodū, qui cursum incipiunt, & tantillum deflectunt, gradumq; prius revocant ut continuo prorumpant vehementius. Humores autem ex illo partiū cōpressu impetum faciunt in dolentem. Nam cum cavitates quibus continebantur compressione partium minores fiant ne duo corpora existant in eodem loco repente advolant, & ex compressa parte undique erumpunt in afflictam.

Sed neque hęc opinio satiat dubitantes. Primo enim falsum est, quod cum pars aliqua afficitur dolorosa sensatione partes viccinæ irritatæ cęco impetu insurguntad

dolorem expellendum: nam partes viccinæ nō possunt irritari, quia non afficiuntur dolore, quia causa dolorifica dumtaxat est in parte dolente: igitur falsum est, quod expellant irritatæ sanguinem, & spiritum. Confirmatur, quia supponimus. quod de facto contingit, & negari non potest dari partem aliquotam unam, & determinatã, quæ dolore afficiatur, reliquis omnibus sanis existẽtibus. Qua in hypotesi etiam ab ipsis sanis transmittitur sanguis, & spiritus sine ulla irritatione ipsarum.

Ex quo principio falsum cõcurrunt reliquæ partes suæ conclusionis, & explicationis sententiæ. Nam partes sanæ non possunt vehemẽter comprimi seque recipi quemadmodum, qui cursum incipiunt, & tantillum deflectũt gradum quo prius revocant, ut continuo prorumpant vehementius. Quoniam tales partes sanæ sunt, & nullo afficiũtur dolore, nulloque alio affectu præternaturam. Compertum est enim, quod si detur una pars dolorosa etiam si omnes aliæ sint secundum naturam à plerisque harum transmitti fluxiones. Tum etiam partes sanæ non comprimuntur, quia non est a quo comprimantur; atque ita humores non possunt ex partium compressu impetum facere indolentem. Tandem cavitates quibus continebantur compressione partium non fiunt minores ne duo corpora existant in eodem loco, neque advolant, & ex compressi parte undique erumpunt in afflictam; quia totum hoc nititur falso illo principio, quod partes transmittentes sanguinem, & spiritum exprimant.

IGITVR, quod pars dolore affecta comprimatur mirum non est, quia adest causa dolorifica, quæ aliquando cõprimit aliquando dilatat, in dolore enim datur solutio continui, vel manifesta, vel obscura, Cæterum partes sanæ ex quibus fit transmissio sanguinis, & spiritus, non est cur comprimantur, eò præcisè quia sanæ existunt. Quando duo dolores sunt in corpore etiã si partes dolorosæ cõpriman-

mantur ex una in aliam non fit transmissio, imò ut inquit Hyppocrates, unus dolor alterum obscurat; sed ex partibus reliquis sanis fit transmissio in utranque partem dolorosam, ut constat experientia.

PRO resolutione quæstionis est advertẽdũ primo ad sensationem dolorificã concurrere imaginationẽ, seu sensum communem, ut loquamur in utraque sententia concedẽtis, & negantis hũc sensum, media illustratione; & spiritu animali. cuius signũ est instar plurium quę possunt afferri, quod si in pugna aliquis vulneretur dolorẽ nõ sentit, quia mens est aversa, & abstrahitur cõcursus facultatis cerebri illustrationis, & spiritus. Idem ostendit experientia duorũ dolorum, quorum unus alterũ obscurat, ut dicit Hyppocrates, quia talis concursus partitur, & minor fit, in utraq; parte dolorifica, quia ut inquit commune axioma, pluribus intentus minor fit ad singula sensus.

SECVNDO est advertendũ, quod magna datur analogia inter spiritus animalem, & vitalem, & inter utrumque, & sanguinem, cum enim habeant simbolam naturã facile alliciuntur adinvicem; patet hoc in studiosis tenacibus, nã ex iugi studio solent oculi rubescere, & inflammari: quia quãvis in studio spiritus animales queadmodum, & in visione soli sint necessarij alliciuntur tamen vitales, & sanguis cũ his propter splendoris, & naturæ analogiam. Hinc respõdetur cur pugnaces ferè intuitu rerum rubearum irritentur; nam & in Hispania, qui tauros agitant rubris tunicis induti in forum prosilire consueverunt, quasi illos magis irritaturi. Et lib. 1. Machab. legitur: Elephantis ostenderũt sanguinem uvæ, & mori ad acuẽndos eos in præliũ. Persæ nanquæ, qui Elephantis utebantur in prælijs consueverunt illos irritare possito ob oculos succo uvæ, & mori; nã ob similitudinem sanguinis solebant furere, quasi conspectu sanguinis sæviẽtes. Totum docet erudite Vallesius lib. sacræ philosophiæ cap. 82.

IGITVR spiritus animales intuitu rerum rubearum cōmoventur, ad quorum commotionem vitales alliciuntur & cum his sanguis: is commotus præsenti præcipuè iræ causa ut in prælijs facile fervet. Dari vero talem agitationem receptum est à medicis, qui proinde spuentem, aut fundentem ex naribus sanguinem, vetant ipsum sanguinem, & res alias omnes rubras intueri, & ad cærulea, aut nigra potius iubent oculos convertere. Contra exanthematis secundum cutem laborantes iubent rubris indumētis operiri, atque cubiculi, in quo decumbunt parietes rubris tapetibus tegi, ut scilicet rubra despectent. In illis quidem timentes, ne sanguis amplius agitatus erumpat, in his sperantes fore, ut ita abundantius ad cutem emergat.

HIS suppositis duę sunt causę attractionis dolorificę. Prima, & principalis. Ad sentiendam causam dolorificam apponitur concursus illustrationis, & spiritus animalis, proinde ad tolerandam causam dolorificam debet diverti sentiens musica, dulci colloquio, & alijs rebus abstrahentibus talem concursum. Spiritus animales splendoris & naturę analogia alliciunt vitales, & hi sanguinem; atque hoc modo ad partem dolentem fit talis attractio sanguinis, & spiritus. Nam cum hi tenues & maximè mobiles sint, adeo ut ab Hyppocrate idcirco vocentur impetum facientes, & in venis, & arterijs cum ipso sanguine mixti abundent faciantque eum fluxilem esse, alioqui concreturum, atque ut Aristoteles etiam cēset futurum etiam frigidum ni spiritibus calesceret; consentaneum est, ut ad motum animalium moveantur vitales, & cōsecutione sanguinem in quo volutātur naturaliter. Cum pręcipuè ut medicorum fert opinio, spiritus vitales ex sanguine, & animales ex vitalibus generentur. Omnęs ergo hę substantię sanguis dico & duplices spiritus proximam habere naturam est necesse, atque adeo spirituum naturalem fulgorem cum fulgo

re

re rubro sympathiam ob quam illô alliciantur secumque sanguinem commoveant.

NOVIT Vallesius, ut ipse refert dicto loco, quędam qui oculos in rem quampiam cum rubore splendentem aliquantisper atentius intendens, non aliter oculis ac toto vultu afficiebatur, ac si vino æstuaret, aut erysipelate corripi inciperet.

DICES si spiritus animales trahunt vitales, & hi sanguinem, ergo in quacunque sensatione sensus externi dabitur attractio, & fluxio sanguinis, & spiritus, quod videtur falsum. Respondetur negando consequentiam, quia in statu secundum naturam sicut spiritus veniunt ad organum sentiendi, qui dumtaxat sunt necessarij animales; ita etiam vitales perveniunt secundum exigentiam naturalem in moderata quantitate ad vivificandum calorem insitū partium. Cæterum quando magna applicatur facultas sensifica, & magnus fit conatus, tunc etiam magnus fit concursus spiritus, & sanguinis, ut patet in supradicto exemplo de intuente colorem rubrum paulo attentius; & in studiosis tenacibus, in quibus proculdubio oculi rubescunt ratione sanguinis, & spiritus de novo attracti, & concurrentis. Porro in dolore magnus fit conatus, & magna sensatio ad percipiendam causam dolorificam. Nam quãto maior fuerit causa dolorifica tanto maior fit dolor, qui sensatio quædam est; proindeque maxima quantitas accedit spirituum animalium, qui tandem in dolore solent dissipari, & consequenter vitalium, & ultimo sanguinis; nam omnes hæ substantiæ ad invicem sunt sequaces ut diximus.

SECVNDA causa tractionis sanguinis, & spiritus in dolore est dilatatio aut compressio partis dolorificæ. Compertum enim est apud medicos, quod semper in dolore datur solutio continuitatis imo apud plerosque unica cẽsetur causa doloris: ut cunque autem sit inseparabilis est solutio continuitatis à dolore; quæ aut est compressio, a

dilatatio, utraque autem saltem per accidens est causa tractionis, ut ostendemus, & primo dilatatio.

CERTUM est enim, quod in dilatatione viæ, & meatus fiunt ampliores, & consequenter patet additus, ut facillime fluant humores, & tandem fluunt, ad evitandum vacuum si dilatatio hæc fit subito. Nam & viarum etiam, & meatuum apertio, & dilatatio tradditur etiam causa eius tractionis, quæ fit in calore.

COMPRESSIO etiam quæ á frigiditate solet proficisci est causa tractionis. Nam pars quæ comprimitur media compressione exprimit humores ad partes viccinas, qui dilatant vias, & meatus partium viccinarum, & tãdem humores tam expressi ratione compressionis, quam fluxi ratione dilatationis meatuum, refluũt postea ad partem dolorificam, & illam replent.

DICES si humores exprimuntur in compressione dolorifica, ergo non fit attractio quia non fluunt. Respondetur, quod quamvis primò occursu exprimantur postea refluunt, tum quia ratione dilatationis quam faciunt trahuunt humores ad partes viccinas, & postea utrique suoprè impetu refluunt ad partem dolorosam tanquam ad imbecillem; tum etiam, quia ex compressione solet suboriri putredo, & calor, qui causa est refluxus talium humorum. Sit exemplum in utriculo aëre vel liquore semipleno, qui si comprimatur in medio distenduntur extremæ partes utriculi ex refluente aëre, vel liquore, qui denique diminuta compressione refluunt ad partem unde fluxerunt. Hæ sunt causæ tractionis in dolore.

OMNIA argumenta, quæ fiunt pro opinione Vallesij dumtaxat probant irritationem non esse facultatis animalis, ut dicebat prima opinio, sed facultatis naturalis. Et hoc quidem concedimus irritari expultricem partis dolorificæ, quæ aliquando frustratur ratione oppressionis à sanguine fluente. Verumtamen nõ probat

par-

partes viccinas irritari ad expulsionem; imò probavimus satis manifestè, eas sanas & inculpatas esse, ac proinde ab ipsis non posse fieri transmissionem sanguinis, & spiritus lege expulsionis.

SOLUM superest, quod dicas partes viccinas, etiam si sanæ existant, cæco impetu posse transmittere sanguinem, quia facultas naturalis vocatur ab animali in consensum. Et quod facultates adinvicem in consensum trahantur manifestè conspicitur in medicina; quia in rigore facultas expultrix incipit irritari, & moveri ad expulsionem cum autem ea sola non possit illam perficere vocat in adiutorium, & consensum facultatem animalem cuius operatio conspicua est in rigore. Idem observatur in epilepsia, in qua causa morbifica primo irritat facultatem expultricem, quæ mox trahit in consensum animalem loco motivam, ut ferat suppetias.

SED totum hoc nihil instat. Tum primo, quia si vocaretur facultas naturalis ab animali esset in adiutorium, & ut ferret suppetias, quod monstratum est non posse contingere, quia ferè semper, quod transmittitur, non solum non fert auxilium, sed maiorem dolorem, & molestiam ratione fluxionis. Quod si non vocatur facultas expultrix in adiutorium, sed irritatur (ut inquiunt cęco impetu) hoc fieri non posse probavimus, nam partes viccinæ supponuntur in statu secundum naturam & omnino sanæ, quia causa dolorifica circumscripta potest esse in parte dolente, ac proinde illæ irritari non possunt.

PRÆTER id, quod est maximè notandũ, facultatẽ expultricem vocare interdũ in adiutorium animalẽ, ut patet in rigore, & in epilepsia; nunquam tamen observamus animalem vocare expultricem. Hoc autẽ contingit aut quia inferiores potentiæ de quorũ numero est expultrix possunt vocare superiores, & animales, superiores vero minimè vocant inferiores. Vel quia animalis potest vocari in sym-

ſympathiã per ſubſtantiã per quã deſcendit, ut per nervos aut membranas. Naturalis vero non poteſt, quia non deſcendit, ſed inſita eſt unicuique parti. Itaque facultas naturalis partium viccinarum non trahitur in cõſenſum, quia non deſcendit per aliquam ſubſtantiam per quam tanquã per medium poſsit irritari. In rigore facultas expultrix media vellicatione quam producit in membranis, & nervis irritat facultatem animalem, & eam trahit in conſenſum. Idem contingit in epilepſia in qua media punctione generis mẽbranoſi actuatur facultas animalis ad opus ſuum.

PRIMVM corollarium. Textus noſter ſignificare videtur, quod ſi eſt dolor in aliquo membro, omnia membra talem dolorem perſentiſcant, quod quantum attinet ad phyſicam conſiderationem videtur impoſsibile; Nam ut diximus, etiam ſi cauſa dolorifica exiſtat in una parte, aliç poſſunt eſſe immunes ab illa atque intra latitudinem ſanitatis. Debet ergo intelligi iuxta dicta. Nimirum, quod à partibus ſanis, & viccinis recurrunt ſanguis, & ſpiritus modo dicto ad partem dolentem, qui nonnunquam parti auxiliantur, quãvis aliquando noxã illi afferant. Si ſanguis & ſpiritus non fluant in magna copia, ſed in moderata auxiliantur: & aliquãdo etiã ſi in maiori: nam ſi detur tumor frigidus in aliqua parte, qui terminari non poſsit ob frigiditatem, & craſsitiem; adveniente ſanguine, & ſpiritu ratione doloris terminatur optimè, & concoquitur, in his caſibus auxilium illud venit á partibus, quaſi partes mitẽtes opem ferant, quia dolorem ſentiunt.

SECVNDVM corollarium. Ducitur metaphora, & comparatio à corpore phyſico ad corpus Chriſti myſticum. Nã quemadmodum in corpore humano dantur ſpiritus, qui vocantur impetum facientes, & omnium ferè actionum ſunt autores, qui ſpiritus veniunt ad partem dolentẽ. Ita in corpore myſtico datur ſpiritus omnium actionum autor.

tor. Et Paulus in eodem capite supra textum dicit: unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Et postea subdit, hæc autem omnia operatur unus, atque idẽ spiritus. D. Augustinus Epistola 133. ait: Vt sic membrum patiens dolore levetur non per communionem cladis, sed per solatium charitatis: quia dolor non cõmunicatur, sed auxilium.

VLTIMVM corollarium. Addit sive gloriatur unũ membrum congaudent omnia membra. Nam si datur voluptas in uno membro spiritus exhilarantur, qui vividiores facti alia membra roborant. Sic etiam in corpore mystico gaudium membri communicatur alteri per eundem spiritum. Nam comparatio non tenet in omnibus.

CAPVT LX.

ECCE mittam eam in lectum, & qui mechantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiã ab operibus suis egerint, & filios eius interficiam in mortem, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda. Apocal. *cap.* 2.



RCANVM est non indignum philosophi desiderio, quod docet nos sacra scriptura dum facit Deum scrutatorem cordis, & renum. Cordis scrutatio non adeo magnum mysterium portendit, quia ut dicitur Matth. 15. cap. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. Sed quid in renibus scrutatione dignum in Deo? Hoc quidem scrutatione dignum in philosopho: præser-

tim

tim cum hæc eadem sacra phrasis sub ijdem verbis in sacra scriptura repetatur. Nam Psalm. 7 legitur: *Consumetur nequitia peccatorum & diriges iustum scrutans corda, & renes Deus.* Psalm. 25. *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.* Et Hieremiæ cap. 11. *Tu autem Domine Sabbaot, qui iudicas iuste, & probas renes, & corda.* Et cap. 17. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Et cap. 20. *Et tu Domine exercituum probator iusti, qui vides renes, & cor.*

Ex quibus insurgit controversia de usu renum. Erasistratus, & Asclepiades, ut refert Galenus 1. de naturalibus facultatibus, nullum ferè usum renibus ascribunt. Aristoteles libro de partibus animal. renes ad continẽdas, & stabiliendas venas primario, & per se constructos putat, sed secundario ad humorem super vacuum excernendum his abuti naturam.

PHYSICI, ac medici plerique in ea hodie sunt sententia renum nullum alium, & in homine, & alijs animalibus usum esse, quam ut peculiari vi serosum humorem à massa sanguinea per vasa emulgentia attrahant, atque ita sanguinem à sero purgent. Cum enim triplex in epate redúdet excrementum, biliosum, fęculentum, & serosum; & priora duo statim peracta coctione expurgentur: tertium vero sanguinem alioqui crassum, & ad motum ineptum vehat, ut expedite in graciles, & angustiores venas permeet. Equum est tandem vi munere hoc perfunctum, tanquam inutile secernatur, expurgetur, & in propria cóceptacula amandetur: at conceptacula hæc sunt renes. Sed quomodo hæc expurgatio fiat an renum tractione, an venarum vi expultrice, an seri proprio motu, an alio quovis modo controversia non caret. Erasistratus successione ad id, quod vacuum est expurgationem hanc fieri putat. Sed hæc opinio redargutione non eget. Recentiores, quidam expurgationem fieri non tractione renum, sed sola vena-

rum

rum expulsione fieri contendunt; quia nihil trahit, propter ipsum trahere, sed ut eo fruatur; at renes sero nō nutriuntur, quia densa est, & solida renum substantia, serosus autem sanguis tenuissimus est. Sunt qui contrariam tueantur sententiam, nusquam expulsione expurgationem hanc fieri, quia fieret venarum, & arteriarum compressio, coarctatis superioribus, & laxatis inferioribus, qua ratione non solum serum, sed etiam totus sanguinis ad renes compelleretur.

ITAQVE nec trahi serosum humorem á renibus, nec pelli, sed eo ferri existimarunt, alij quidem ex accidenti, ut Erasistratus, qui successione ad id quod vacuatum est, id est, fuga vacui expurgationem hanc fieri voluit; alij per se, id est, propria facultate, ut Averroes, qui non trahi alimentum á partibus, sed ipsum insita vi ad partes ferri adnotavit. Sed nec Erasistrati, nec Averrois opinio probari à quoquam potest, utraq; enim facultates animæ tollit præsertim tractricem illam nutrici famulantem.

SED ut conciliemus sententias, asserimus urinam quandam partim trahi, partim expelli, sed tractionis maiorem, quam expulsionis inesse vim. Quandam expelli tantum, nullo modi trahi. Quandam postremo, nec trahi à renibus, nec à natura expelli, sed eò sponte per iter iam diu assuetum ferri.

VRINA naturaliter constituta, quæ serum est sanguinis, partim trahitur á renibus, partim venarum vi pellitur, modo in naturali politica sint omnia rité dispusita, sed in ea expurgatione seri renum vis attractrix valentissima est, venarum expultrix levissima. Cur enim in renes potius, quam in aliàs partes decumberet serum, nisi peculiaris adesset renum tractus? In urinæ profluvio critico pellitur tantum non trahitur à renibus urina. At dum fit humorum colliquatio, nec

pel-

pellitur in renes, quia debilior expultrix, nec trahitur à renibus urina; sed qua data porta ruit fluitque.

TRIPLEX est urinæ materia, quā cōplectitur Hyppocr, section. 5. lib. 6 Epidemion sub hac brevi, & dilucida sententia. Vrina concolor cibo, & potui, tum qualis esse solet, tū cum huiusmodi colliquatio est. Vrina concolor primam indicat urinæ materiam potum scilicet; nam maxima ex potulentis urinæ suppeditatur materia. Altera particula; quæ sic habet; qualis esse solet: secunda materiæ urinæ indicatur, quæ vera est, & naturaliter constituta, serum scilicet quatuor, qui in venis continentur humorum. Postrema particula tertia urinæ materia exprimitur, humores scilicet omnes, & corpora quę liquantur. Itaque concludimus non omnem urinam pellici à renibus, sed eam tantū quæ naturaliter est constituta, quæ serum est quatuor, qui in venis continentur humorum. Neque tamen ea nutriri volumus, quia non omnis tractio nutritionis gratia instituitur; trahit ferrum magnes, trahit palleas succinum, his tamen nō aluntur. Vrinam vero, quæ materiam habet humores crudos, aut alios quosvis, quæque diebus criticis liberaliter profunditur, pelli tantum, non trahi existimamus. Quod si liquefactis humoribus, aut corporibus fluat urina, ea nec trahitur à renibus, quia non est connaturalis, nec vi venarum expellitur, quia maxima adest virium exolutio, sed sponte per patentissima vasa ad renes fertur, quia loca illa vacuationi sunt maximè consueta. Atque hęc est communis opinio medicorum.

DOCTISSIMVS Senertus lib. 3. suę practicę cap. proprio paradoxum quoddam proponit de usu renum; quāvis enim prædictum concedat, alium quidem fore etiam concedendum affirmat, nimirum, quod renes, peculiari vi sanguinem suo modo elaborandi ratione proprij parenchimatis habeant, & quod peculiariter conducant ad generationem, quatenus etiam sint sedes concupiscentię, & libidinis.

PRO-

PROBAT primo ex sacra scriptura, ut intelligant, qui nostros labores,& alios huiuscemodi frustraneos censent, quasi sacra scriptura nihil possit nos docere in his, quæ ad physicam pertinent,nisi solum quo ad mores,cum divina aspiratio summè sit sapientissima, & id, quod in scientijs, & artibus verum est loquatur, nisi forsam aliquando nostro vulgari idiomati adaptata, cum nostro sentiēdi [illegible] co modo videatur convenire. Infert ergo ex crebra mentione quam facit de renibus cum corde, quod sedes sint renes concupiscentiæ,& libidinis,& quod materiam elaborent ad generationem.

SECVNDO, quia renes peculiare,ut reliqua viscera parēchyma,& quidem, ut rectè Galenus, sentit non multum à cordis substantia differens habeant, & cum reliquorum viscerum carnibus concoquendi peculiaris vis,& quidem singulis propria tribuatur,causa non est cur ea renum parenchymati deneganda sit. Neque video quomodo concludat Epati vim sanguificandi, & cordi sanguinem arteriosum generandi tribuens ea de causa, quod epar peculiare parenchyma habeat, peculiare itidem cor; & epatis quidem parenchyma colore sanguini venoso cordis vero sanguini arterioso respondeat, nisi etiā peculiaris vis sanguinem suo modo elaborandi renum parenchymati tribuatur. Deinde cum vena emulgens tam magna, & omnium à cava prodeuntium amplissima sit, multum etiam sanguinis ad renes vehit,& quanto pro sui nutritione renes non indigent,reliquum ergo cum sanguine arterioso mistum,& sero defęcatum,ut in aliud usum cędat necesse est. Quartò,arteria tam ampla si tantum serosum humorem expurgarent renes opus non fuisset, sed id potius officium habent arteriæ, ut sanguis arteriosus sanguini venoso confusus,& mistus, atq; à sero maximè repurgatus in renibus aliquo modo misceatur, atque elaboretur quē venæ,& arteriæ spermaticæ, quæ statim sub renibus, & ad

re-

renes sanguinem hauriunt, ac seminis generationem intestes deferant. Nam quod vulgo docetur arterias emulgentes, ut arteriosum expurgent sanguinem, serumque in arterijs copiosissimum in renes effundant factas esse difficultate non caret. Qui enim ex Galeno 5. de usu part. cap. 5. ideo serum in arterijs contineri probare cōnantur, quod arteriæ renibus datæ sunt, hi principium petunt, & incertum per æque incertum probant. Nam si venæ emulgentes datæ sunt, ut sanguinem à seroso humore purgent, atque ex vena cava optima sanguinis portio ad dextrũ cordis ventriculum feratur, & ex eo demum in sinistro cordis vẽtriculo sanguis arteriosus generatur, & elaboratur: unde in arteria magna, quæ ex sinistro ventriculo cordis nõ ita longo à renibus intervallo exoritur copiosissimum illud serum ortum habet?

CONFIRMAT sapor, ac odor ille, qui in animalibus plurimis non castratis per universum corpus diffunditur maximé tamen in renibus percipitur, & præcipuè in adultis: in novellorum autem teneriorum, quadrupedum renibus cum nondum feminas incunt, non ita percipitur. Oribasius quoque lib. 6. collect. cap. 38. ex suppressione, ac retẽtione seminis renes male affectos fuisse deprehendit.

INSUPER in Gonorrça medicamenta lumbis ad semen imminuendum, atque alterandum applicantur, ut ex Arçteo lib. 2. morborum cronicorum cap. 7. Trallian. lib. 9. c. 9. Et experientia suadet: Inter signa etiam renum calidorum medici recensent propensionem ad libidinem, somnia libidinosa, & nocturnas pollutiones. Contra frigidorũ ad venerem segnitiem. Et seminis qualitates practici passim ex renum constitutione deducunt, atque si illud, calidius, ac acrius sit, etiam ex renum calore fieri docent. Tandem vasorum præparantium dictorum origo idẽ persuadere videtur. Etenim si simpliciter saltem sanguinem è vena cava, & arteria aorta ad testiculos deferre deberent

pos-

possent deduci é propriori loco, non vero per tam longas ambages, partim ex ipsis emulgentibus, partim propè emulgentes originem sortiri, quod inditio est vasa ista non simpliciter ex vena cava, & arteria, sed ex ipsis renibus elaboratum aliquid accipere, & ad testiculos deferre.

Hæ potissimum rationes sunt (ait Senertus) quibus quis adduci posse videtur, ut de vulgata sententia de usu renum dubitet, ut habet Aristoteles metaphysico. B. cap. 1. Est operepretium aliquid facultatis, & cognitionis habere valentibus benè dubitare.

SED quamvis hoc acutissimum sit paradoxum, adhuc tamen undiquaque non est verum, ut monstrabimus. Verum enimvero etiam si non omnino constet, hoc saltem effecit Senertus, ut alijs ad intimius forsam punctum attingendum ansam prębuerit.

ITAQVE bené astruit Senertus, nam hoc etiam cum eo commune nobis est, renes multum conducere ad venerē, libidinem, & generationem, ut non inepte sedes dicantur similis appetitus. Verum in hoc decipi videtur, quod existimet sanguinem elaborare ad generationem renes. Dumtaxat enim, ut postea monstrabo renes conducunt ad venerem, libidinem, & generationem, quatenus alliciunt, & attrahunt serum.

ET primo quod materiam non elaborēt renes ad generationem multa suadent. Seminis enim sunt vasa excoquentia, generantia, & materiam illius deferentia. Hæc quatuor sunt, duæ venæ totidemque arteriæ. Aristoteles meatus venales vocat, Avicena vasa lucibaria. Venarum dextra immediaté à trunco descendentis cavæ oritur, sinistra ab emulgente ramo. Illius sanguis purior est egregieque percoctus; huius vero aquosior, & sero multo dilutus. Vasa excoquentia sunt hæc eadem quando miro artificio implicata unicum corpus effingunt, varicosum, cādidum,

riam ad seminis generationem haurit sanguinē ab emulgente serosum, quia emulgens propter tractionem renū sero abundat. Cum ergo serum quatenus salsum est maximè conducat ad libidinem, & generationem, quoniā pruriginem, & titillationem inducit. Hinc fit, quod renes serum pro lectando sint causa titillationis, libidinis, generationis, & concupiscentiæ, & sedes istorum effectuum cēseantur. Quamvis enim nimia salsugo inducat sterilitatem siccando vehementer, & acrius efficiendo semen; moderata vero facit salacitatem, irritationem, & pruritum augens, ac proinde ad generationem conducit. Ob id fabulati sunt Poëtæ; Venerem natam esse in mari decidentibus in illud cęli verendis atque ab spuma vocatam Aphroditem. Et cæteris paribus multo plures sunt generationes in mari quam in terra ob illius salsuginem. Id circo providentissima natura ex vasis deferentibus materiam ad seminis generationem; alterum haurit sanguinem à vena cava; alterum ab emulgente, quia nimirum serum salsum requirit moderatum, respuit immoderatum. Hæc est causa non quæ adducitur ab Andrea Laurentio septimo libr. anatomes cap. secundo, ubi dicit, quod sinistra vena à ramo emulgente non á trunco oritur, quia arteriæ magnæ truncus ad lævam inclinans perpetuo diastoles, ac systoles motu agitatus hanc exilem venam dirumperet. Nam motus arteriarum naturalis non rumpit venas; in pluribus enim partibus, ubi adsunt venæ exiguæ pulsant arteriæ sine tali ruptione.

INFERT etiam, quod renes faciant ad libidinem ratione seri attracti nam constat experientia, quod in abstinentia à venere, in his qui casti sunt immoderatè gravamen persentitur, in huiusmodi regione quod solet tolli eadem licita venere.

AD rationes Senerti facilimum est respondere. Ad

arteriarum quam tractio renum. Tandem quod maximè suadet nullam fieri elaborationem in renibus alicuius materiæ ad semen, est quod ait Senertus materiam illam iam elaboratam excipere venas, & ad testes transportare, sed ostendit Anatomes non dari venas, quæ materiam aliquam excipiant. Nam vasa ingredientia sunt rami emulgentes; egredientia vero soli ureteres sunt, qui serum excipiunt, & ad vesicam deferunt. Nam vasa deferentia, ut diximus sunt sinistrum, ramus emulgentis, dextrum vero ramus venæ cavæ.

SIT primum corollarium. Ex dictis colligitur renes cõducere ad libidinem, & generationem media seri attractione, & proinde in sacra pagina notari tanquam simbolum concupiscentiæ. Patet hoc præcipuè ex nostro textu in quo fit quærimonia de fornicatione, de qua quoniam sumit ultionem dicit, quod scrutator est Deus cordis & renum. Confirmant verba antecendentia textum, quæ sic habent, sed habeo adversum te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetam, docere, & seducere servos meos fornicari, & manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus, vt pęnitentiam ageret, & non vult pęnitere à fornicatione sua. Et statim subdit verba textus. Et quamvis aliud significari dicatur, sumit tamẽ textus parabolam fornicationis, & eam prosequitur, secundum proprietatem locutionis, iuxta quam renes tãquam simbolum concupiscentiæ proponit scrutandos. Ita Nicolaus de Lyra.

SECVNDVM corollarium. In pluribus alijs locis per renes pravas concupiscentias, & cupidinem rei venereæ, non pauci Theologi censent. Ita enim Nicolaus de Lyra, locum Ieremiæ cap. 17. quia ego sum scrutans renes & corda explicat. Examinans, & puniens concupiscentias, & malas cogitationes. Et ad locum Nahum cap. 2. & dolor seu defectio in cũctis renibus. Glossa habet, & deficiunt

Ecclesia huc alludere videtur in oratione illa qua depreca-tur castitatem: Vre igne Sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus. Neque solum Hebræorum ista fuit sententia; sed & Varro, ut Isidorus lib. 11. Origin. habet renes dictos putavit, quod rivi ab his obsceni humoris nascantur, & lumbos ob libidinis lasciviam.

TERTIVM corollarium. Si in omnibus his locis adductis contendit sacra scriptura, concupiscentiam resecare, & cohibere lasciviam, cur præsertim fecerit mentionem renum potius quam aliarum partium generationi magis intimè, & immediatè deservientium? Dixerim potius ad nostram consolationem quam ad doctrinam, hoc ideo fieri, quia quamvis seminis generatio fiat in testibus, & in parastatis varicosis ex coctio, tamen renes dumtaxat præcaventur, quia sunt prima radix & origo libidinis, & concupiscentiæ, quatenus in renibus primum subministratur serum illud salsum, quod ad generationem maximè conducit, quia necessariam irritationem & titillationem excitat. Vicium vero concupiscentiæ adeo est tremendum, & formidabile, ut si in sua origine, & radice non resecetur, difficulter postea vincatur. Ideo consultum est admirabile in vitio libidinis occasiones vitare, nullus est enim cordatus homo in ipsa occasionis fuga. Id circo in sacra pagina peccatum libidinis non solum præcavetur in renibus, sed etiam in cibo, & potu externo, quasi sint causa necessaria peccati. Deuteronomij 21. in quærelis patris dicitur: Filius noster iste protervus, & contumax est monita nostra audire contemnit commesationibus vacat, & luxuriæ, atque convivijs: quasi hæc adinvicem sint consequentia. Et Paulus ad Ephes. 5. dicit nolite inebriari vino in quo est luxuria. Tandem dubitabis cur ita adinvicem combinentur renes & cor, ut simul de utrisque fiat sæpè mentio. Vt diximus

de corde exeunt fornicationes, adulteria, &c. Et in Epistola Iacobi. cap. 5. legitur : Epulati estis super terram, & in Luxurijs enutristris corda vestra.

Hanc habent connexiones renes cum corde.

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA.

Omnia sub correctione minimi Ministri Sãcte Ecclesiæ Romanæ, & suplexoro cũ David, Psalm. 118. *Appropinquet deprecatio mea in cõspectu tuo Domine iuxta eloquium tuum, da mihi intellectum.*

IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Acri-

Car-

E.

H.

H.

I.

L.

M.

N.

FINIS.



